1 9

PROTESTATIO FIDEI CATHOLICÆ BAMBERGICA MARCELLIANA VINDICATA.

ET

FUMIVENDULUS RÖMHILDENSIS, JOANN-CHRISTOPHORUS SELDIUS PRÆDICANS,

Unà

Cum falsitatibus, calumniis, & asyllogistiis, quas eidem Professioni frivolè opposuerat, explosus.

A

R. P. MELCHIORE CORNÆO SOC. JESU, SS. Theologiæ Doctore, & in alma Herbipolensium Universitate Professore ordinario.

HERBIPOLI,
Typis, ELIÆ MICHAELIS ZINCK.
ANNO M. DC. LIII.

REVERENDISSIMO & ILLVSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

D. PHILIPPO VALENTINO,

IMPERIALIS ECCLESIÆ BAMBERGENSIS Episcopo, Sacri Romani Imperii Principi, Domino meo clementissimo.

EXtulerat nuperrimè è Pharo sua, munificentißimis impendiis recens educta, faculam aliquam fidei Catholicæ, Bambergensis Academia, hoc est professionem fidei nostræ orthodoxæ, brevi quidem scripto comprehensam, sed dißipandis animorum tenebris apprimè aptam, in vulgus dederat: cum é vicino Thuringorum nemore, novæ lucis inimicus, Joann-Christophorus Seldius Römbildensis Prædicans, velut Cacus quidam, ex antro suo, & fuliginem, & caliginem, & tetras Acherunticasque nebulas, contra obtendere est nisus. Vetera & jam olim protrita mendacia reposuit, multas etiam ex suo cerebro falsitates & ineptias adjecit, quibus fumum fucumque veritati nostræ Catholicæ faceret. Et quamvis perlectis eiusmodi næniis multi unâ mecum putarint, hominem eum dignum non esse,

qui alia re quàm ſilentio & neglectu à nobis, refutaretur, atque ego quidem viderem à veſtris, eoque præſertim, cuius præcipuè latus ſica illa Prædicantis impetere videbatur, haud equidem immeritò contemni, fuere tamen alii, qui cum ſcirent, me tunc temporis, brevem duobus aliis eiusdem farinæ declamatoribus reſponſionem meditari, impellendum omnino putarint, ut eâdem operâ, & huic, pro ſuo merito aliquid reponerem, atque ita unâ fideliâ plures ſimul parietes dealbarem, & juxta parœmiam patriam, tres muſcas uno plectro ictuq; ferirem. Parui ergo demum juſtæ (ut videbatur) urgentium voluntati, & poſt caſtigatam duorum, quos præ manibus habebam, licentiam, auctario Prædicantem Römbildenſem adjiciens ad juſtas rationis ferulas, uti merebatur, vocavi, & quanta potui perſpicuitate, fumoſos hominis cavillatoris fumos fucosque omnium oculis, palàm expoſui, falſitates detexi, arguendi infantiam ſtuporemque non ferendum non tam reprehendi, quàm lectori cordato reprehendendum & culpandum dedi. Qua in re ipſo ſtatim ſuſcepti certaminis initio ad Reverendiſſimi & Illuſtriſſimi Principis prædeceſſoris Tui auguſtum nomen, cogitationes animumque meum ultro adjeceram, ut, in cuius fundo &

do &

do & ditione nata esset pugnà, eius fælice ductu etjam, & arenam hanc inire, & herbam ab hoste prostrato captare optarem. Verùm cum insperata Mortæ necessitas, hanc vel illi lauream, vel mihi opem eripuerit, ad Te Reverendissime & Illustrissime Princeps, Domine clementissime, quem in demortui fastigium unanimis Patrum conscriptorum consensus solo poloque plaudente Bambergensi Ecclesiæ Antistitem dignissimum suffecit, lubens volensque accedo. Tibi enim profectò meritisque Tuis hæc debebatur gloria, ut Tuo recens inaugurati patrocinio non modò reportaretur á me victoria, sed etiam fælicissimis initi Principatus auspiciis & lætissima congratulatione celebraretur. Præteriere Seldium Bambergenses Academici Tui, vix verbo dignati verbosum Ministrum. Rectè illi quidem. Nam pro merito tractarunt suo, & neglectu debellarunt indignum pugnæ caput. Ego verò quorundam suasu stylum, seu malis, stimulum in manus sumens, ad hominem castigandum me accinxi. Nimirum latratorem importuniùs affectantem, si non verbere aut jactu acri iratæ dexteræ, linguæ saltem aut convitii increpitu aliquo retardandum arcendumq; putavi. Utri nostrûm rectiùs egerint, nolim equidem valde disputare. Il-

lud certò scio, ita à me hanc contentionem esse susceptam & pertractatam, ut omnibus facilè appariturum sit, utrosq; nos non consilio sed methodo ac modo discrepare, & vestros equidem, hominis inverecundi ineptam audaciam sprevisse, me verò quàm rectè illi & quàm ex ratione spreverint, confutando ostendisse. Atq; hic neque ullius hominis laudem ambio, neque vituperationem curo. Sentiat orbis quod volet universus. Mihi abunde est si Reverendißima & Illustrißima Celsitudo Tua, iis oculis, quibus hominum nostrorum industriam operamque solet, aspicere non gravetur, & si intelligam Tibi uni laborem conatumque meum non displicuisse. Dabam Herbipoli, Calend. Martiis Anni M. DC. LIII.

Rev^mæ^ & Ill^mæ^

Celsitudinis Tuæ

servus humillimus

MELCHIOR CORNÆUS
è Soc. JESU.

Bene-

Benevolo Lectori.

QUod si tibi, Benevole Lector, in hac controversia pertractanda fors subinde acrior in adversarium esse videbor, etiam atque etiam te rogo, ut apud animum expendas tuum, quàm non ferendum sit, in tam serio salutis negotio, adversarios nostros, calumniis, & falsitatibus, & mendaciis impune in nos certare. An verò illi ea religio syncera & minimè fucata videri potest aut debet, cujus Doctores nisi fucum fumumque faxint, nihil efficiunt? Certè fides divina non eget figmentis, nec Ecclesia Christi fraudibus, nec synceritas fuco, nec veritas mendacio. Vnde non immeritò viri aliquot Principes, hoc uno argumento impulsi à Lutheri & Calvini disciplina ultro recessêre, & ad Ecclesiæ Catholicæ sinum sibi confugiendum esse putarunt, quod viderent Prædicantes imposturis & mendaciis Catholica dogmata impugnare. Ego equidem, etsi multa in hominibus illis dissimulanda, & imperitiam excusandam, & stuporem sponte condonandum non negem: attamen ut in negotio fidei, falsitatem, & imposturam, & mendacia non oderim, ὡς ἀΐδαο πύλας, utque earum malarum rerum autores ore calamoque vindice non persequar, impetrare ab animo meo non possum. Nihili homo sit, qui, ubi de religione & DEI cultu contenditur, vel umbram falsi commenti non toto animo execratur. Si rationis veræ aliquam speciem afferret Seldius, audiendus fuisset. Jam verò cum præter evanidos figmentorum & falsitatum fumos fucosque aut nihil, aut parum, in medium adducat, quis vitio ver-

tat,

tat, aut Bambergenſibus quod omnino ſpreverint, aut mihi, quod denſatis ictibus verberonem fecerim? Non potui ſané hominis impotentiam mitiùs habere, quàm habui, absque fidei & veritatis publicæ injuria. Hiſce ergo gemellis germanisque virtutibus, Fidei & veritati, ſeveritudinem meam, ſi qua tibi eſſe videbitur, Lector benevole, condona, animæ verò tuæ ſalutem tempori in
tuto collocare, ſatage.

FVMI-

FUMIVENDULI

RÖMHILDENSIS

EXPLOSI.

PARS PRIOR.

Tractationem præliminarem Seldianam complectens & excutiens.

DUo quædam in Deductione, ut ipse fabulatur, fundamentali, facit Prædicans Römhildensis. Primò, in Epist. dedicatoria accusat Catholicos & violentiæ & fraudis, subinde addens argumenta aliqua, quibus persuaderi scilicet homines debeant, religionem Romano-Catholicam aut fugere aut deserere. Secundò aliquot locos Jesuiticæ Theologiæ proprios confingit & exagitat. Qua in re conficienda multos fœdosque fumos facit, quos, auspice veritatis syncerææ luce, facilè dispellemus.

CAPUT I.

Seldius in Epist. dedicat. Principi suo fumos vendidisse demonstratur.

EOsque multiplices, tetros, fætentes, Acherunticos. Videat æquus Lector & judicet.

SECTIO I.

Seldius Catholicos accusans fumos vendit.

§. 1.

Primus Seldii fumus.

Romani-Catholici ad propagandam suam Religionem insistunt viam violentiæ.

I. QVid ais os fumeum? An nos unquam Catholici, vi & armis, vicinos populos, eo nomine aggressi sumus, quod Papistæ non

 essent?

essent? An nos Cæsari rebelles, officiales eius è fenestris præcipites dedimus? An ii nostri fuerunt an vestri qui prætextu libertatis religionis, in Ferdinandum 2. invictæ memoriæ Augustum, arma tulerunt, qui pacem turbarunt, qui bello patriam everterunt, qui exteris in Imperium evocatis illud bustum fecerunt? Quis Catholicus populus & noster, & si graviter pressus, & fidei profitendæ libertate spoliatus, unquam contra Imperatorem, Regem, Principem aut Dominum suum eâ causâ arma corripuit aut vim intulit? Aut quis è nostris Doctor populos ad tale facinus audendum oratione sua incitavit? Privamur in Batavia, concione, missæ sacrificio, publica synaxi, omni templi usu. Et quamvis durum imperium graviter feramus, non tamen unquam in mentem venit, neque porrò veniet, vim meditari, aut Magistratui per tumultum & seditionem repugnare. In Anglia quid non patimur sacrorum nostrorum ergo? Exilia, mulctam, carcerem, catastas, cruces, diras mortes, ultro pro fidei integritate subimus, & jam multo nostro sanguine protestamur, malle nos esse pro religionis libertate martyres, quàm rebelles. Ecclesia nostra patientiâ se vindicat, non armis. Vincit ferro hostium, non suo, neque manu illud stringit, sed pectore excipit. Testis est ultima illa terrarum Iaponia, in qua etsi Patres nostri, qui novellam illam Ecclesiam Christo aggregarunt, aliquot centena fidelium millia, manu animisque prompta, cogere & armare in persecutores possent, nunquam tamen id fecerunt, neque facere voluerunt. Quia licet Imperator Iaponiæ sit tyrannus, est tamen legitimus illius terræ Princeps, cui ex lege Evangelii possunt debentq; Christiani, cum absona jubet, repugnare, non rebellando, sed moriendo. Novimus ab antiquo, semen Christianorum fuisse, non sanguinem hostium, sed martyrum. Verùm vult videri ex ratione nos accusare Prædicans.

II. Ait enim: *Hanc violentiæ viam elegisse testatur Inquisitio Hispanica.*

1. Inquisitio Hispanica, est judicium legitimum, in hæreticos à fide Catholica deficientes, antiquissimo more ac jure constitutum. Exercuit illud prisca ætas in Albigenses, autore S. Dominico, sæculo tertio decimo. Usum est eo Concil. Constantiense in Joannem Hus & Hieron. Pragensem sæculo quinto decimo. Constituit & lege canonica ordinavit Paulus 3. P. M. Anno Christi 1542. Præ cæteris verò Christiani orbis Dynastis, Rex Hispaniarum, singulari fidei conservandæ zelo ardenter amplexus est, unde & Hispanicæ nomen accepit.

Hoc

Hoc ergo judicio Rex Catholicus in regnis suis animadverti in eos subditos jubet, qui erroribus ab Ecclesia damnatis adhærescere fuerint deprehensi.

2. Quid jam hoc ad te Seldi, quod Rex Hispaniæ subditos suos hæresis convictos flagrare jubet? Ideone per violentiam fidem suam propagare dicendus est? An tibi violentus Deus, qui Deut. 13. jubet falsos prophetas, & eos qui Deos alienos colere docturi essent, absque misericordia necari? An violentus Moyses, qui ultore Levitarum ferro triginta idololatrarum millia deleuit. Exodi 32? An Elias, qui 450. sacerdotes Baal, cultus divini corruptores, in torrente Cison, ad unum omnes, contrucidavit? 3. Reg. 18. An violentus Constantinus Magnus & primus Christianorum Imper. qui, petente Concil. Nicæno, Arium hæresiarcham, cum aliquot sociis, exilio mulctavit, teste Sozom. l. 1. c. 20. & Donatistas supremo supplicio affecit, referente August. l. 1. contra epist. Parmeniani? An violentum Concil. Ephesin. ex quo Nestorius in Oasim deportatus? An Concil. Chalcedon. quod Dioscorum in Gangram Paphlagoniæ militari manu perduci voluit, Euag. l. 2. c. 5? An Theodosius, Valentinian. Martianus, & alii Imperat. qui hæreticos bonis exui, exilio, verberibus, & morte affici jussere. C. de hæret. L. Ariani. l Manichæos. l. quicunque? An Justinianus, qui ex finibus Imperii ejici, jussit? An Michael, qui capitali pœna feriri præcepit, apud Paul. Diacon. l. 16. & 24? Quid? An non licet Regi Hispaniæ, uti fures patibulare, latrones in crucem agere ita & hæreticos urere? Ita sanè. Qui lege in reos agit, qui flagitia publica pœnis exagitat, non est violentus dicendus sed justus. Et uti crucem malam nemo accuset alius, quàm scelestus, qui, quod meruit, timet, ita ultrices Inquisitionis flammas nullus criminatur, nisi quem conscia mens tale supplicium jubet pauescere. Ab Inquisitionis igne omnes boni perspicuam Justitiæ lucem hauriunt, tu verò Seldi tetrum calumniæ fumum captasti, quem Principi tuo venderes. Dignus hercule, qui non in tam benignum Saxoniæ Ducem, sed in Alexandrum Severum Romanorum Cæsarem incidisses qui fumum fumo castigaret. Sed pergis fumigare

III. *Testatur laniena Parisiensis.*

Quid? Catholicos violentiâ religionem suam propagatam velle? Fumus est. Ita res habet. Gaspar Colinius Admiralis Franciæ, anno Christi 1572. ob conspirationem in vitam Regis Caroli 9. cum præcipuis Hugonottorum capitibus, initam, voluntate eiusdem Regis, qui

eo fine eos Parisios, ad nuptias sororis suæ, advocarat, die 24. Augusti, ad datum æris campani signum, occidi jussus est. Eadem cæde involuti fuerunt, Telinius, Rupifucaldus, Lavardinus, aliique Proceres, nec non è reliquo factionis Hugonotticæ vulgo ad tria circiter capitum millia, ut ii referunt autores, qui magis ad verum loquuntur. Genebrard. Chronol. l. 4. ad annum cit. hisce verbis breviter narrat: *Regis Navarræ nuptiæ, quas excepit, ob quandam in Catholicos principes conjurationem dies Bartholomeanus, sive matutina Bartholomeana. Postero die de aliis pœna sumpta.* Et quæstione quidem deinceps à Parlamento habita, Colinius maiestatis reus, publicæ pacis hostis, & initæ adversus Regem conspirationis autor declaratus est, & straminea eius effigies, ex furca & patibulo publico, pendere jussa, teste Henr. Spondano in Hist. anni cit. Et quamvis contra hanc cædem, jure quàm optimo patratam, aliqui hæretici libellos quosdam sparserint, Jacobus tamen Cujacius, Iurisperitorum eius temporis facilè princeps, & Vido Faber Pibracius vir doctissimus, contrariis scriptis veritatem egregiè vindicarunt. Hinc, re bene expensa, tale est Seldii hoc loco argumentum: *Rex Galliarum Catholicus, Hugonottos rebellionis & conjurationis reos, jussit Parisiis, vi armata opprimi & enecari. Ergo Catholici suam religionem violentiâ propagare moliuntur.* Quis non videat spissum hic calumniæ fumum? An non enim licuit Regi Christianissimo rebelles suos plectere? Aut verò Hugonottis concessum esse debet, in Principes Catholicos eorumq. vitam ac fortunas conspirare? At Seldius etiam ab Anglia fumos accersit.

IV. Testatur conjuratio pulveraria in Anglia.

Ita testatur, sed tuos fumos. Hæc res est. Anno Christi 1605. mense Novembri Robertus Catesbius nobilis Anglus, & Thomas Percius comitis Northumbriæ gentilis, cum pluribus aliis, magnam partem Catholicis, insanam & à Catholicis reliquis omnibus illaudatam iniere conspirationem in Jacobum 6. Scotiæ & Angliæ Regem, ut nimirum pulvere pyrio ædes in quibus Rex comitia indixerat & celebraturus erat, inflammarent, & Regem unà cum proceribus è medio tollerent. Res Dei consilio fœliciter detecta, & conspiratores meritas tam atrocis facinoris pœnas dederunt. Hic fumosis faucibus exclamat Seldius: Ergo Romano-Catholici suam religionem vi & violentia satagunt propagare. Cui ego facilè respondeo. Pauculi aliqui furore improvido acti, ab omnibus aliis culpati. Esto. Omnes, vel ii, qui ex fidei Catholicæ præscripto agunt, nego. Stultum est toti nostrorum hominum

minum generi improperare, quod pauci malè peccarunt. Aliàs quid vetet in te retorquere argumentũ, & Lutheranos eâdem formâ arguere & dicere: Sunt inter Lutheranos qui piceata manu aliena sublegunt, qui latrocinantur, qui alienum thorum invadunt. Testes sunt rotæ, cruces, gladii, quibus subinde plectuntur. Ergo Lutherani universim sunt fures, latrones, adulteri. Certè, quis neget hunc arguendi modum esse fumeum? Is solus, qui tuum in nos fumum, quem hoc loco excitas, Seldi, probarit.

V. Pergis. *Testantur, rogorum itemque exiliorum insignia.* Nihil efficis miser præter fumum. Primùm equidem, & vestrates non multò mitiora in nos exercent judicia. An nescimus ante annos non multos in Suetia jussa Regis, septenis, manu carnificis, caput à cervice revulsum, hoc solummodo objecto crimine, quod ritu Papistico peccata per exomologesin apud Jesuitam expiassent, & Missæ sacrificio interfuissent? Vide ergo an non te ipsum & tuosmet proprio gladio confodis, & de violentia convincis? Secundò dic sodes, an non totâ Saxoniâ iis subditis, qui Romano-Catholici esse volunt, indicitur ut res suas convasent, & aliò abeant? An non hoc vicissim inter Principes Imperii & Lutheranos & Catholicos per pacem Religionis constitutum est, ut subditos suos, vel ad suam fidem profitendam, vel ad migrandum compellere jus fasque sit? Quid ergo hic exilia accusas? Vel enim Principes Lutherani, cum Catholicos è terris suis excesse jubent, per violentiam illicitam, suos religionis ritus propagant, vel non. Si non, cur nostros ergo calumniaris? Si propagant, ergo argumentum tuum in te ipsummet & tuos adæquè valet. Et mirum est Seldi, tales te fumos & ineptias Principibus viris obtrudere & venditare audere.

§. 2.

Secundus Seldii fumus.

Catholici viâ fraudulentiæ fidem suam propagant.

I. At quomodo probas, mi homo? *Testem ex innumeris, hac vice unicum produco.* Ex quibus innumeris? Certè si adnumerare deberes, ne unum unicum quidem reperires. Attamen cedò, quemnam ex innumeris unicum illum? *Henricum Marcellium Iesuitam Bambergensem.* Ohe Seldi, illum tu testem tui fumi! Produce sis ergo testimonium. Ubinam Marcellius dicit id quod tu dicis? Nullibi. Sed si ejus mentem interroges, dicet te pinguiter & splendidè mentiri. Ergo non est tibi testis, nisi delires, eumque testem tui dicti putes, qui palam tibi adversatur.

II. Sed video quid velis. Erraſti. Voluiſti exemplum adducere non teſtem. Demus ergo veniam improvidentiæ tuæ. Itane verò? Marcellium unum in exemplum adducis? Stupida planè res, cum de Catholicis univerſum probare velis, unicè unicum exemplum in medium proferre. Non aliter atque ſi ego ut oſtendam Lutheranos eſſe calumniatores, unum te Seldium calumniari demonſtrem. Unum exemplum, mi Domine, non probat quicquam de toto genere. Etſicut, etſi tu calumniator ſies, non ideo Lutherani reliqui calumniatores eſſe probari poſſunt: ita neque ſi Marcellius verſutè agat, Catholici verſutè agere arguuntur. Vide ergo quàm paucis verbis quàm multa pecces.

III. Jam verò ne hoc quidem exemplum, quod unicum adducis, quicquam veri continet. Ubi enim ſunt verſutiæ & doli Marcelliani? *Nimirum dicit: proteſtationem ſuam Chriſtianam infallibilibus verbi divini principiis nixam.* Ita dicit & verè dicit. Ubinam verò hic dolus? *Sequenti tractatu oſtendetur.* Benè habet. Nos videbimus, ſed fumos & dolos tuos.

Gloriatur ſuam Proteſtationem niti ſcripturâ ſacrâ. Ubi hic fraus dic ſodes? *Sed ſubaudita limitatione, quatenus ſcriptura in vulgatam verſionem eſt translata.* Eſto. At quæ hic fraus? Marcellio & omnibus bonis, verſio vulgata eſt ſacra ſcriptura. *Quatenus in libris non ſolùm canonicis ſed etiam apocryphis eſt contenta.* Hic fraus eſt, ſed tua. Tu hoc Marcellio affingis. Libri apocryphi non ſunt nobis ſacra ſcriptura.

Quatenus ad traditiones pari pietatis affectu amplectendas nos remittere creditur. Ita. At quæ hic fraus? Omne verbum Dei eſt motivum fidei divinæ, ſive ſcriptum ſive traditum. Ergo non eſt fraus noſtra quod dicamus etiam verbo Dei tradito fidem noſtram niti oportere, ſed tua cavillatio. Age ſis, Prædicans. Dic antequam ullum Dei verbum extaret ſcriptum, an nullum erat in mundo verbum Dei? An nulla in hominibus fides? Iterum dic. Cum verbo divino credis, an tua credulitas innititur literæ ſcriptæ verbi an vero ſenſui? Utiq; ſenſui. Jam autem ſenſus verbi undenam eſt, ex litera mortua & ſcripta, an verò ex traditione majorum? Ergo, niſi deſipis, cum verbo Dei ſcripto fidem habes, magis traditioni inniteris quàm literæ ſcriptæ. Quid ergo in Marcellio dolum appellas, quod tu ipſe, niſi cerebrum omne perdidiſti, omnino admittis?

Idem commendat ſcripturæ perfectionem & eminentiam. Meritò quidem ille. Sed tu dolum oſtende. *Subaudita tacita conditione, non*

quod

quod contineat omnia ad salutem necessaria, sed quod monstret unde illa sint petenda, nimirum ab Ecclesia & ex traditionibus. At ego hic dolum ostendi volo, & versutiam. Qui scripturæ perfectionem & eminentiam tribuit, non decipit. Et qui eam perfectionem & eminentiam certis quibusdam limitibus circum scriptam intelligit, quomodo versutus est? Si tu, cum ex illo audis, aliter animo concipis, & erras, tuus stupor est, non Marcellii dolus.

SECTIO II.

Seldius fidem Romano-Catholicam deserendam & detestandam cavillatur, & fumos vendit.

§. I.

Primum argumentum Seldii, sive primus fumus.

I. *Est Novitas ab Adversariis concessa & confessa.* Ain' tu Prædicans? Novitas religionis nostræ? Et à nobis concessa & confessa? O fumum mendacii! Ubi? A quo nostrum concessa? Ubi confessa? Nunquam nusquam. Hoc ergo prima statim fronte impudenter confingis. Nunc ad elumbe argumentum tuum in forma.

II. *Quacunque religio nova est, illa est deserenda & detestanda. Atqui Pontificia nova est. Ergo* Nego Minorem. *Eam probat D. Hunnius.* Non probat. Ille hircum mulsit. Tu nisi meliùs illo probes, cribrum suppones.

III. *Est nova I. quo ad probandi principium.* Fumum facis, aut proba. *Scripturæ præsidio dejecti confugiunt ad principia Christianæ religioni planè adversantia, qualia sunt, apparitio & Satanæ informatio.*

Ingens calumnia. Nego nos scripturæ præsidio dejectos. Nego apparitiones Sanctorum, quibus subinde ad probandum utimur, esse fidei nostræ adversas. Nego Catholicos à Sathana informationem petere. Nos verbo Dei solo nitimur, tanquam motivo formali fidei. Cæteræ rationes, sive à Patrum testimonio, sive ab apparitionibus beatorum, sive à miraculis, sive à lumine naturali, sive à sapientum etiam paganorum (neque enim hos omnino aspernamur) autoritate petitæ, velut in subsidiis militant, neque ad fidem faciendam sed confirmandam advocantur. Didicimus id ab antiquissimis Ecclesiæ nostræ antistitibus, qui non scripturis tantum divinis, sed ratione etiam naturali, sapientumque dictis pro veritate Christiana decertant. Quid? an non

ille gentium Doctor, & vas electionis Paulus, Athenis & in Areopago, disputans, gentilis Poëtæ testimonium produxit, Act. 17? Quod si autoritas vatum infidelium fidei non officit, qui officiant apparitiones spirituum fidelium, quæ à nostris Doctoribus aliquando roborandæ religioni nostræ adducuntur?

IV. *Atqui hoc probandi genus, novum, suspectum & heterogeneum esse fatentur Papistæ alii.*

O fumi Prædicantici! Quinam illi Papistæ? *D. Thom. 1. p. q. 2. a. 8. ad 2. ubi dicit: innititur fides nostra revelationi Apostolis & Prophetis facta, qui canonicos libros scripserunt, non autem revelationi, si qua fuit aliis Doctoribus facta.* Quid inde? Idem & nos dicimus. Fides divina, soli revelationi divinæ innititur, ut motivo proprio & formali. Non tamen excludit propterea alias rationes, quæ ad roborandos hominum animos aliunde adsciscí prudenter possunt. Et an non hoc S. Thomas eodem loco verbis expressis docet? *Et inde est*, inquit, *quod etiam autoritatibus Philosophorum sacra doctrina utitur, ubi per rationem naturalem, veritatem cognoscere potuerunt, sicut Paulus Act. 17. inducit verbum Arati dicens: sicut & quidam Poëtarum vestrorum dixerunt, genus Dei sumus. Sed tamen sacra doctrina huiusmodi autoritatibus utitur, quasi extraneis argumentis & probabilibus. Autoritatibus autem canonicæ scripturæ utitur propriè ex necessitate argumentãdo. Autoritatibus autem aliorum Doctorum Ecclesiæ, quasi arguendo ex propriis, sed probabiliter.* Quid aptius & clarius in rem sensumq; nostrum dici potuit? Et sanè idem Angelicus Doctor cum quæst. 2. a. 3. probat Deum esse, non tantum utitur divino testimonio ex Exodi 3. *Ego sum, qui sum.* Sed in corp. quinque viis ex lumine naturali petitis, ad fundamentalem fidei nostræ articulum (nimirum esse Deum) stabiliendum progreditur. Quomodo ergo est contrarius nobis, cum quæstiones de religione controversas, etiam alia quàm scripturæ sacræ autoritate roborare molimur? Eadem mens est Alcasario & Estio, cum revelationes alias à fide divina arcent. Non sunt, neque esse possunt motivum formale fidem divinam fundans, possunt tamen esse & sunt motivum probabiliter confirmans. Vides nunc Seldi, ut omnis ille tuus novitatis imaginariæ apparatus in fumum abeat, imò totus sit fumus?

V. *Verùm à Satana mendacissimo spiritu informationem petunt, in rebus fidei.*

Calumniæ teter fumus. Nego facere. Proba. *Petrus Cottonus Jesuita id fecit. Quæsivit ex dæmone, quis locus Novi Test. aptissimus ex omnibus foret probando purgatorio.*

Quam multiplex hic fumus ô superi! Quid si negem Cottonum id fecisse? Et certè nego. Quo teste probabis? *Thuano historico.* At vacillat fides hominis & suspecta meritò nobis est, quem nemo ignorat ad Hugonotissmum inclinasse. Sed quid audio? Addis etiam testem Rivetum. Præclarè scilicet. Atque si non esset ille juratus & Catholicorum & Jesuitarum hostis.

Sed tamen, mi Seldi, nolim tam esse hodie durus. Dono gratis, quod verum non est, & quod tu probare non potes. Esto, Cottonus Jesuita, qua nescio curiositate, aut etiam, si vis, animi in obliquum acti desperatione, cacodæmona, ita ut narrat Thuanus, consuluerit. Quid quæso inde demum in rem præsentem conficies? Hoc scilicet, Catholicos Satanæ oraculum flagitare in dubiis? Pone in forma argumentum tuum, & si oculos habes. vide ineptiam tuam. Ita habet. Cottonus Jesuita in dubia fidei quæstione consuluit dæmonem. Ergo Catholici in dubia fidei quæstione consulunt dæmonem. Miseret me hercule tui. Atque si ergo sic dicerem Seldius: Lutheranus & Prædicans habitat Römhildæ. Ergo omnes Lutherani & Prædicantes habitant Römhildæ. Quis putasset Doctorem Theologiæ, cum ad Principem suum scriberet tam pueriliter labi potuisse? Pudeat infantiæ.

VI. *Tannerus etiam p. 2. Anatom §. 133. ex diabolorum testificatione probat, eos ad Christi & aliorum Sanctorum sepulchra pelli & torqueri.*

Quid hinc infers? Ergo Catholici à Satana petunt informationem in rebus fidei? Minimè verò Ne id quidem vel de solo Tannero ex hoc loco colligitur. Quid ergo? Velle Tannerum ostendere, Seldium & ei similes, ipsis dæmonibus esse obstinatiores: cum hi ad sepulchra Sanctorum adducti ostendant se credere & contremiscere, isti verò nil commoti, contemnant.

VII. *Nova est Papistica religio, quo ad salvandorum cultum.* Quid hoc salvandorum cultus? Activusne an passivus? Quid vis dicere? *Nova est imaginum veneratio.* Et quàm nova tandem? Jus atque honestas venerationis illius cum Ecclesia nata fuit. Ipse etiam usus cum eadem adolevit. Tertull. qui Apostolorum ætatem attigit lib. de pudicit. testatur suo tempore in calicibus sacris imaginem Christi pastoris expressam extitisse. Et primis quinque sæculis imagines in Ecclesiâ fuisse contra Calvinum, ex antiquis Historicis & Patribus ostendit Bellarm. l. 1. de Imagin. Sanct. c. 9. Quid hic tu obtendis?

Masius testatur veteres Judæos & Christianos detestatos fuisse, si imago aliqua in altari poneretur.

Masius ille unus est, & propter similia quædam, in Indice censorio nigrum theta accepit. Quare eius testimonium contra omnes adductum nullius est momenti.

Serarius in Ios. cap. 18. quæst. 16. excusat, & ait loqui de antiquissimis temporibus.

Erras. Non excusat Masium, sed Optatum & Augustinum quos ille laudaverat, dicit loqui, de statutis quæ Dii putentur esse, quæ non sint tolerandæ in aris Christianorum.

VIII. *Novus est cultus Sanctorum, & Ecclesia primitiva Apostolorum temporibus vicina incognitus.*

Quàm vetere falsitatis fumo obsitus hic sermo! Cultus eorum & invocatio etiam in vetere Testamento usurpata, in novo, cum ipso nascentis Ecclesiæ exordio, propagata, constanti usu ad nos pervenit. Ostendit hoc latè (ut alios taceam) Jacobus Gaulterius in sua Tab. Chronograph. verit. 2. sæculis omnibus, à Christi ortu ad nostram ætatem ordine deductis, & Bellarm. l. 1. de Sanct. Beat. c 16. cui vetustati tam venerandæ tamq; lucenti frustra Seldius fumos suos obtendit.

Perefius, *ingenuè fatetur, ante Cypriani ætatem nullum extare hujus traditionis vestigium.*

Peresium, si ita loquitur, non miror, unum contra omnes Sed te miror, tam Logices inscium, ut putes ab unius obscuri hominis testimonio te universim aliquid posse concludere. Ad ferulas cum istis tam ineptis ineptiis.

§. 2.

Secundum argumentum Seldii, fumus.

I. *Falsa est Papistica religio. Ergo.*

Nego Antecedens. *Multa enim Christianismi fundamentum concernentia habet Religio Papalis communia, i. cum impietate Judæorum.* Cum Judæis, ita quidem. Cum impietate Judæorum? Impium sit. Quare aut proba, aut te impium calumniatorem dicam.

II. *Judaizant in adstruendo multiplici scripturæ sensu.* Nugas affers. Multiplex sensus non est Judaicè impius, sed Catholicus.

Judaizant in adstruendo purgatorio. Fumos vendis. Purgatorium Christianum est. *Ejus ignem ut sufflent, impiorum Thalmudistarum opem implorant.* Gerræ Siculæ. *Bailius allegat librum Judaicum*

Mazor,

Mazor, adprobandum purgatorium. Ita, ut probet purgatorii antiquam esse fidem, quod vos hæretici de novitate traducitis. Quare tuum argumentum hoc loco est planè simile huic Catholici credunt unum Deum. Ergo Catholici impiè Judaizant. Quod quàm ineptum sit, quis non videt?

Judaizant in adstruendo ciborum delectu. Nugæ. *In quatuor temporum jejunio.* Gerræ. *In Missa sacrificio.* Affaniæ. Cur non addis, in tenendo decalogo? Nam & hunc à Judæis accepimus. *Cætera dogmata Judaicæ religionis, quæ in Ecclesiam Pontificam postliminiò revocata fuerunt, consultè prætereo.* O quantò consultius egisses, si omnia præteriisses, non jam dicerem te fumos vendere. Quænam ista ineptia est nos de Judaismo accusare, hoc nomine, quod multa agamus & credamus quæ Judæi agunt & credunt? Multa Judæi rectè & agunt & credunt. Deum esse credunt, scripturis veteris testamenti fidem adhibent, ex decalogi præcepto parentes honorant, à furtis abstinent, ab adulterio cavent. An non bene? Et si nos eadem hæc præstemus, an non etiam benè? Ergo non omnis qui agit, quæ Judæi agunt, aut olim egerunt, Judaizare est dicendus.

II. *Religio Papalis multa cum impietate Ethnicorum habet communia.*

Cum impietate? Hoc proba. *Cum hisce (Ethnicis) Papistas multa habere communia, expresso verbo Dei repugnantia, tradunt scriptores Pontificii.*

Nugas agis. Nemo nostrorum scriptorum tradit, nos vel unum ex fidei nostræ præscripto agere verbo Dei adversum. Hoc tu imponis *Virgilius Polydorus, l. 5. de R. 1. cap. 1. Multa ab Hebræis & Romanis & Ethnicis instituta ad Papistas manasse dicit.*

Ita quidem. Sed non dicit illa instituta esse cum expresso Dei verbo pugnantia. Hoc tu ex tuo fumas.

Idem lib. 6. cap. 8. dicit: Ita bellè Ethnicos, perinde in hac re, (festorum institutione) & in nimis multis aliis æmulamur.

Calumniaris palàm & imponis Polydoro. Non dicit nos malè æmulari Ethnicos in festorum institutione. Tu ex tuo carioso cerebro istuc ei affingis. Sed in prava celebratione, *eo quod*, ait, *bona pars hominum otium istud festorum dierum, non ad orandum, non ad divina scripta audienda, cuius rei causâ datum est, sed ad omnifariam bonorum morum corruptelam augendam, in dies magis magisq; impudenter consumat, dictitans se id animi gratiâ facere, quasi planè sentiens cum Platone, qui ob illud ipsum Deum eiusmodi festa sacra instituisse ajebat. Atq; ita bellè*

 Ethni-

Ethnicos perinde in hac re, ut in multis aliis &c. Quis tibi creduit deinceps Seldi, qui ita impudenter Polydoro imponis?

In specie, ab Ethnicis ignem purgatorium mutuati sunt Papistæ. Nego mutuatos. *Ut eius existentiam probent allegant Ethnicos, Poëtas, Philosophos, Aristotelem, Senecam.* Benè habet, quid tum? *Ergo ab illis mutuati sunt illum ignem.* Unde tu mutuatus es illam pecorinam & stultam consequentiam? Numquid etiam ut probemus Dei existentiam, animæque nostræ immortalitatem, etiam adducimus gentilium tum Poëtarum tum Philosophorum dicta & sententias? Ideone à gentilibus Dei cultum & fidem mutuati sumus? Quomodo audes Seldi tam insipidas & stolidas nugas viris Principibus proponere?

Iterum, ab Ethnicis accepere Sanctorum invocationem, flagellationem, Sanctorum canonizationem.

Mirum ni addas templorum structionem, imò cibum & potum. Hæc enim ante nos omnia ab Ethnicis etiam factitata sunt. Fatemur in locum superstitionum gentilium, successisse multa, ex iis, quæ nos modo gerimus, quæ etsi aliquam retinuerint similitudinem, pravitatem tamen suam exuerunt.

Ludovic. Vives fatetur, non videre se in multis, quod sit discrimen inter opinionem illorum de Sanctis, & inter id quod gentiles statuebant de suis Diis.

Ludovic. Vives, propter hæc & similia, quæ subinde liberiùs, quàm pro rei veritate profudit, ad purgatorium jam dudum ire jussus est. Quando exinde reducem & emundatum illum citaveris, audiemus.

Flagellationi flagrones tantam vim tribuunt, quantam scriptura sanguini & baptismo.

Calumnia est, non responso, sed flagris digna. Non pudet orbi tam impudenter imponere?

Item, accepere ab Ethnicis multa dogmata falsa, de peccato, de libero arbitrio, de lege, justificatione, &c.

Nego nos dogmata de hisce tenere falsa. Nego ab Ethnicis accepisse.

Desumpsere definitiones peccati, liberi arbitrii, &c. ex Aristotele vitiosissimè translato & intellecto, &c.

Quantus hic calumniæ fumus? Hæc non dicere, bone vir, sed probare te oportebat. Nos & Aristotelem & Moysen, utrumque investigamus. Scripturas, non nostro privato sensu, sed juxta Ecclesiæ & antiquorum Patrum communem interpretationem capimus. Ita verò in dogmatis pertractandis philosophamur, ut Philosophiam Theo-

Theologiæ, rationem revelationi, Aristotelem Bibliis ancillari & subesse statuamus.

III. *Religio Pontificia multa cum erroribus hæreticorum habet communia.*

1. Valentinizant. Scripturam sacram ambiguitatis accusando, & sacra sua linguâ peregrinâ perficiendo.

Primum Valentiniani de ea re non accusantur, vel à S. Augustin. vel Epiphan. vel Irenæo. Hic primus tuus est falsitatis fumus. Deinde falsum est, nos sacram scripturam ambiguitatis accusare. Ambiguitas, si qua in scriptura est, vitium non est. Accusare autem est de vitio arguere. Lingua, qua sacros ritus peragimus, peregrina non est, cum toti clero sit nota, & toti frequenter populo perspecta. Quæ verò vulgum scire attinet, ea linguâ communi explicari jubemus.

2. *Pelagianizant in articulo de peccato originis.* Quomodo sodes? *Illud extenuando.* Falsum est. *Concupiscentiam peccatum propriè dictum esse negando.* An hic erat error Pelagii? O turpis error! Negamus concupiscentiam esse peccatum, sed non negamus peccatum originale esse propriè dictum peccatum. Dicimus concupiscentiam non esse ipsum peccatum originis, sed effectum ejusdem.

Pelagianizant, naturalibus viribus tribuendo virtutem quâ homo ad conversionem se præparare possit. Solis? absq gratia Dei? Falsum dicis. Nemo nostrum tribuit. *Bellarm lib. 5. de justificat. cap. 22. tribuit.* Erras. Non tribuit solis. Dicit enim ibi hominem lapsum posse reparationem suam mereri de congruo. Atqui juxta Bellarminum nullum meritum, sive de condigno sive de congruo, est absque gratia Dei gratuita. Ergo.

Pelagianizant, legis impletionem possibilem statuendo. Nego. Pelagius dicebat legem in hac vita perfectè impleri posse, sine adjutorio gratiæ divinæ, teste S. August. hæresi 88. At nos dicimus posse, sed cum auxilio gratiæ divinæ. Quid ergo calumniaris?

Hæc dogmata ex Pelagianismo hausta esse ad oculum demonstrarunt. Hunn Gerhard. Meisn. Mornæus. Non demonstrarunt, sed fumos fumeos orbi vendiderunt. Et quæ malum, ô Prædicantes, ista vestra est vel calumniandi libido, vel animi hebetis stupor, ut ita nobiscum agatis. Age sis, vel in hoc uno puncto semel responde, Seldi. Pelagius dicebat, hoc modo: Potest homo, solis naturæ suæ viribus, absque gratia divina, à natura distincta, implere legem Dei perfectè, ita ut gloriam & beatitudinem mereatur & consequatur. Numquid hoc

verum est? An non hoc S. Augustinus testatur? Aude negare, si vir es. Bellarminus autem, una cum omnibus Catholicis dicit: Non potest homo solis naturæ viribus, absque gratia divina, à natura distincta, implere legem Dei perfectè, ita ut gloriam & beatitudinem ea impletione mereatur & consequatur: sed potest tamen hoc facere, una cum auxilio gratiæ divinæ gratuitò datæ. Nunquid & hoc verum est? Aude iterum negare. Ecce ergo rem, in parallelo ob oculos positam.

PELAGIUS.	ROMANO-CAHOLICI.
1. Potest homo solis naturæ viribus implere legem Dei.	1. Non potest homo solis naturæ viribus implere legem Dei.
2. Ad impiendam legem Dei non opus est homini gratia à natura distincta.	2. Ad implendam legem Dei opus est homini gratia à natura distincta.
3. Sine gratia potest homo servare legem perfectè & gloriam merendo consequi.	3. Sine gratia Dei non potest homo servare legem perfectè, & gloriam merendo consequi.
4. Homo potest servare legem, sine gratia etiam.	4. Homo potest servare legem, sed cum gratia tantùm.

Jam sic. Vel vos Prædicantes hæc intelligitis vel non. si non, stupore stipites meremini. Si intelligitis, ergo calumniamini cum nos Pelagianismi insimulatis & digni estis, qui à Principibus populisq; vestris, quorum credulis & synceris aliàs auribus illuditis, fumo, ut ille ab Alexandro Severo Taurinus, pereatis. Et vehementer metuo, ne fumeum supplicium, quod hic effugitis, ad Orcum non effugiatis.

IV. *Religio Papistica nullum contra afflictiones & tentationes præbet solatium.*

Imò, prudenter rem æstimando, plura & solidiora animis confortandis subsidia suppeditat religio nostra. Nam si Christum pro nobis passum creditis, & nos credimus. Si in eo spei vestræ anchoram defigitis, & nos defigimus. Si baptismate abluti estis, & nos sumus. Si corpore & sanguine Christi refici putatis, nos maiori fidentia id credimus, habentes sacerdotes, in eam rem, ritu ab Apostolis tradito, ab Episcopis Apostolicam successionem habentibus, ordinatos consecratosque. Insuper habemus Pænitentiæ Sacramentum, in quo peccatorum exomologesi facta, absolvimur, magnamque animi tranquillitatem consequimur. Vos eo caretis. Nos sacro Confirmationis ritu ab Episcopis in pugnam pro fide capessendam roboramur.

Vos

Vos non habetis. Nos Sacramento Matrimonii gratiam divinam adipiſcimur, ut onera eius ſtatus faciliùs perferre poſſimus. Vos puro puto contractu politico plebem veſtram contentam eſſe jubetis. Nos pro Eccleſiæ miniſtris ſacrum ordinem, gratiæ divinæ cauſativum, magno ſolatio poſſidemus. Veſtri Prædicantes ſolo ſago & barba prolixioribus à vulgo diſcrepant. Nos in ſacro Miſſæ ſacrificio quotidie Jeſum Chriſtum, pro peccatis noſtris Deo patri incruentè offerimus, eumque nobis realiter in altari præſentem, ingenti animi ſolatio adoramus. Vos eo per fidem veſtram ſpoliati eſtis. Nos uberem indulgentiarum theſaurum in Eccleſiæ ſcriniis depoſitum credimus, qui nobis inſigni cum mentis voluptate, conceditur, & quo debitum pœnarum, cui in altera vita obnoxii eramus, exſolvimus. Vos ridetis, ſed ridendo, ſolatio noſtro miſeri caretis. Nos cum credamus opera bona, quæ cum auxilio gratiæ, & in ſtatu gratiæ peregimus, compenſationem apud juſtum Deum, in altera vita habitura, conamur quamplurima præſtare, & eorum conſcientiâ licet in omni humilitate delectamur, & ſpe retributionis in adverſis lubentes volentesque perduramus. Vos ea ſpe & voluptate tam ingenua, per fidem veſtram privamini. Nos cum ſanctos invocamus, cogitamusque quod ii in cœlis pro nobis ſuas preces interponant, quando cum animis noſtris expendimus, eſſe virginem veram Chriſti miſericordis, imò & miſericordiæ matrem, quæ, à nobis implorata, noſtram apud filium ſuum cauſam agat, admirando omnino ſolatæ mentis affectu, eam inclamamus, putamusque perire nos non facilè poſſe, pro quibus Jeſus Chriſtus in terra mortuus eſt, & Maria mater Jeſu in cœlis orat. Hiſce vos ſolatiis dogmata religionis veſtræ per quandam quaſi latrocinii ſpeciem miſerè diſpoliant. Scio ego quid ſolatii prætendatis. Novi quid auribus inclamant Prædicantes. Extollunt merita Chriſti pro nobis paſſi. Eius morte ita eſſe deleta peccata, & ita patri æterno factum ſatis, ut nulla porro opus ſit ſatisfactione. Satis ſuperque eſſe, ſi quis modo firmiter credat, Chriſtum pro ſe mortuum, & eius paſſione peccata ſua funditus ſtirpitusque eſſe deleta. Confide fili, inquiunt etiam morituro, remittuntur tibi peccata tua. Fides tua te ſalvum fecit. Apprehende merita Chriſti. Noli timere. Certò ſtatue te eſſe filium æternæ vitæ. Sed permittite mihi Domini Prædicantes, ut quod de hac ſolatione veſtra in mentem venit, ingenuè dicam. Videtur mihi hæc ſolatio veſtra, quam nimium credulis vulgi auribus inſtillatis, eſſe conſolatio patibularia, & ſimilis ei quam quidam olim Moguntiæ carnifex,

domo

domo & lingua Westphalides, impendere iis solebat, quos infælici arbori adnectere volebat. Verbis enim ad omnem dulcedinem compositis dicebat directo illi: Buck by myn Sohn / ick sall dy nit weh doen. Interea tamen nihil moratus, ferali funi implexum, è scala deturbabat, & magnum I. faciebat. Eheu quàm timeo, ne vestra, quâ populum nimis quàm leniter delenitis, consolatio, ejuscemodi sit, ut animos spe vana frustratos, cruciatibus dedat nunquam cessaturis! Tu Seldi dicis pleniorem huius argumenti deductionem, refutationi Marcellianæ reservari, & ego te ibi exspecto. Interea hæc hoc loco boni consule, & si tibi subinde durior videor, cogita te non meruisse mitiora ab iis, quos Judaismi, ethnicismi, hæresios & impietatis tam frivolè accusas. Antiqui moris est ut redhostire liceat.

CAPVT II.

Proœmium Seldianum breviter excutitur.

DIcit Prædicans, multum referre ad refellendam hæresin, ut quis intima eiusdem principia & fundamenta, quibus potissimum innititur, perspiciat. Ideoque exempli afferendi ergo, Calvinistarum, Arminianorum & Photinianorum fundamenta, ut ipse putat, funditus eruderata exponit: Deinde ad Marcellium accedit. Quid de cæteris, rectè an secus sentiat, non excutiam, nec mea refert. De Marcellio dicit eum jactare protestationem suam, niti infallibilibus verbi divini principiis, & ex sacra scriptura juxta genuinum ipsius sensum & interpretationem orthodoxæ antiquitatis deductam, sed nihil minus in re ipsa esse: Hoc se deinceps ostensurum pollicetur. Larga equidem est pollicitatio. Videamus quàm stet promissis Seldius.

CAPUT III.

Locus primus, petitus à Romani Pontificis hodierni placito & arbitrio.

HIc nimirum primus ordine locus est, ex quo, Prædicans, si Diis Deabusque placet, deducet, Protestationem fidei Marcellianam non niti verbo Dei, neque ex scriptura juxta genuinum eius sensum & interpretationem orthodoxæ antiquitatis esse deductam. Ita verò illum exponit.

Θέσις. Assecurationis Marcelliana (& in genere religionis Pontificia) principium ratione γενέσεως primum, & ratione ἀναλύσεως ultimum, est hodierni Romani Pontificis placitum & arbitrium, adeoque principium illud est ignotum, incertum & fallax, & ex propria Papistarum confessione partiale & inadaquatum, nec minus sibi ipsi dissonum.

Multa hic fumo involuit Prædicans, quæ ordine explicanda sunt, & luci suæ restituenda. Primò enim dicit principium fidei nostræ Romano-Catholicæ, primum in generatione, & ultimum in resolutione esse placitum hodierni Pontificis. 2. Illud esse ignotum, incertum & fallax. 3. Ex nostra confessione partiale & inadæquatum. 4. Sibi ipsi dissonum. Antequam tamen fumos Prædicanticos, quibus Seldius veritatem orthodoxam obscurare nititur, disjiciamus, præmittemus nitidissimam doctrinæ nostræ lucem, de principiis fidei nostræ, ut ne quis ignoratione rei tam necessariæ ipso in limine à scopo disputationis aberret.

SECTIO I.

De veris fidei Catholicæ principiis.

§. 1.

Quid & quotuplex sit principium fidei in genere.

PRincipium in genere est, unde aliquid est. lib. 5. Metaph. c. 1. Ergo principium actus fidei (de actuali enim fide loquimur) est, unde est actus fidei. Jam illud principium, unde est fides, vel est eiusdem fidei effectivum, vel constitutivum. Effectivum fidei Catholicæ principium, est intellectus, gratiæ divinæ auxilio suffultus & adjutus. Constitutivum quod eius essentiam constituit, vel est materia vel forma. Materia eius, est objectum materiale, sive omne id quod creditur. Formam intrinsecam propriè non habet, sed illa ipsa est animæ fidelis forma. Habet tamen extrinsecam quandam formam, quæ quidem extra illam consistit, sed tamen essentialem ejusdem respectum terminando, essentiam tribuit, & ita formaliter speciem & essentiam constituit. Hæc forma est objectum formale fidei, sive est motivum formale, quo intellectus cietur ad eliciendum actum fidei divinæ Catholicæ.

§. 2.

Quod sit principium motivum formale fidei Catholicæ.

Assensus intellectivus, (qualis est fides) speciem & differentiam

nancifcitur à motivo fuo formali. Nam fi in objectum feratur intellectus ob caufam neceffariam certò & evidenter cognitam, eft & dicitur fcientia. Si propter caufam probabilem tantùm, eft & dicitur opinio. Si propter folam hominis alicuius teftificationem, eft & dicitur fides humana. At verò fi affentiatur ob teftimonium Dei revelantis, jam eft & dicitur fides divina. Ergo ficut motivum formale fcientiæ eft caufa neceffaria, & opinionis caufa contingens probabilis, & fidei humanæ teftimonium humanum, ita motivum formale & confequenter principium formale fidei divinæ eft teftimonium divinum, five verbum Dei, five jam illud verbum Dei fit literis exaratum, five fola traditione confignatum, perinde habet, dummodo fit verè verbum & teftimonium Dei. Planè ficut fides humana eft, cum ego credo aliquid ob teftimonium hominis, five illud teftimonium fcripto authentico mihi proponatur, five fine fcripto, modo ita mihi proponatur, ut eo inducar ad affenfum rei teftificatæ. Et certè veteres illi fideles, antequam ulla extarent biblia, aut verbum Dei fcriptum, nunquid fide divina crediderunt? Quis dubitet? Ergo principium formale motivum fidei noftræ Catholicæ eft unicè unicum, nimirum verbum Dei, teftimonium Dei, revelatio Dei.

§. 3.

An principium motivum formale fidei Catholicæ fit unicum?

Jam dixi effe unicè unicum, nimirum verbum Dei. Ab hoc fides capit effentiam, fpeciem & differentiam. Hoc fi deeft vel mutetur, ceffat effe fides divina. Non aliter atque, fi tollas motivum fcientiale definit fcientia. Quare, fi credas etiam Deum effe, quia præceptor, quia parochus, quia Moyfes, vel S. Auguftinus dixit, etiam quia Papa dixit, etiam quia Angelus dixit, non credis fide divina. Quare fide divina credere, eft folum, quia Deus dixit, credere.

§. 4.

An præter principium motivum formale fidei, ad credendum fint neceffaria alia principia proponentia, adjuvantia, confirmantia, credibilitatem conciliantia.

I. Nemo nifi infanus dubitet. Ut credam aliquid ideo, quia Deus dixit & revelavit, neceffarium equidem eft Deum dixiffe & revelaffe, non

non tamen id satis est, sed insuper oportet, ut mihi de ea revelatione constet. Ergo debet mihi revelatio proponi. Ergo vel immediatè ab ipso Deo, vel ab aliqua creatura. Atqui Deus non loquitur neq; revelat nobis immediatè & per semet ipsum. Ergo eius revelatio ab alio nobis proponi debet. Ergo ad credendum fide divina, præter motivum formale, opus est principio proponente, quod mihi revelationem proponat. *Fides ex auditu est. Auditus autem per verbum Christi* nobis propositum, Rom. 10. *Quomodo enim audient sine Prædicante.* ibid. Præterea proponens ille debet esse certus & infallibilis, ut me non decipiat, in proponendo Dei testimonio. Nam si falli & fallere potest, & verbum non divinum pro divino mihi obtrudere, jam non sum securus ut infallibiliter & fide divina credam. Ergo ut fide divina credam, opus est principio rationem formalem proponente, & quidem infallibili.

II. Præterea de eo proponente, mihi certò & evidenter (certitudine & evidentia saltem morali) constare debet, credibile esse, illum proponere mihi verum Dei verbum, & credibile esse, illud quod ille proponit, esse à Deo revelatum, & me prudenter posse & debere me applicare ad credendum fide divina & propter autoritatem divinam. Neque enim cuivis dicenti hoc vel illud esse verbum & testimonium Dei revelantis, statim debemus aut possumus fidem adhibere & credere. *Qui facilè credit levis est corde.* Eccli. 19. & frequenter decipitur. Atqui fides divina & levitatem & deceptionem non admittit. Ergo ut credamus opus est principiis motivis credibilitatis, quibus persuadeamur, & evidenter quidem, credibile esse, eum qui nobis proponit verbum Dei, esse in ea re infallibilem.

III. Demum etiam fides à suo motivo formali firmiter constabilita, tamen quia evidentiam non habet, & ab adversariis tum ratione tum autoritate oppugnari consuevit, non respuit principia alia, à Doctorum antiquorum testimoniis, ab historia temporum, à lumine naturali petita, quæ velut auxiliares copiæ in eius castris militent, & ad hostium insultus repellendos non inutilem operam conferant. Qualia sunt post verbum Dei & Ecclesiæ Catholicæ autoritatem, loci Theologici, quos D. Melchior Cantus Ep. Cannar. doctissimis suis libris prosequitur.

§. 5.

Quod sit principium proponens infallibile fidei Catholicæ.

I. Servator noster Jesus Christus Opt. Max. cum in vivis degeret,

ipse fidei argumenta Apostolis & Synagogæ Judæorum præsenti expo-nebat. Et ut se credibilem redderet, signa & portenta non pauca in oculis omnium patrabat, quibus perspectis, Judæi, jam tum primò ad fidem tenebantur, ita ut absque peccato eam denegare non possent, juxta illud. Joan. 15. *Si opera non fecissem in iis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent.*

II. Postquam autem Dominus perfecto redemptionis nostræ opere triumphator ad superos rediit, Apostolos cum autoritate prædicandi & fidem proponendi infallibili destinavit, & quo eam infallibilitatem mundo testatam & perspicuam redderent, & ut homines doctrinam adeo novam & inauditam prudenter ut credibilem acceptare possent, potestatem eis morborum curandorum, dæmonum ejiciendorum, & cæterorum mirabilium efficiendorum ultro concessit, Marci. 6. Luc. 10. Ideoque illi ab ascensione Christi *prædicaverunt ubiq;, domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis, Marci 16.* Et profectò nisi Apostoli prodigiis, supra vires naturæ patratis, credibilitatem sibi conciliassent, quomodo orbem, à fide, quam prædicabant, tam alienum, ad eandem amplectendam adducere prudenter, vel ita fortiter obstringere potuissent, ut ille ad credendum teneretur? Atqui Christus sub pœna damnationis præceperat omnibus, ut fidem eam animis totis amplecterentur & prudenter amplecterentur.

III. Jam veró cum eadem huius præcepti obligatio adhuc hodie nos obstringat, ut vel verbo Dei & doctrinæ Jesu Christi credamus, vel perfidiæ pœnas ad Orcum perpetuò damnati exsolvamus, Apostoli autem jam dudum exstincti sint, necesse est, ut in mundo relicta sit autoritas infallibilis, idem verbum Dei, quod Christus docuit, & quod Apostoli prædicarunt, & quod antiqui Martyres sanguine suo obsignarunt, eâdem infallibilitate nobis proponendi, ut in credendo non fallamur. Neq; enim satis est dicere, nos habere verum Dei verbum in Bibliis exaratum, huic nos fidem, & non alteri adhibere & posse & debere. Nam revera liber ille Bibliorum de se evidenter credibilis non est, quod ipse contineat verbum Dei. Unde enim scio Biblia esse verbum Dei? Unde constat Evangelium Matthæi & non Nicodemi, Marci & non Thomæ quod circumfertur esse genuinum? Unde sciam hasce & non alias esse epistolas à S. Paulo exaratas? Quasi verò non potuerint pravorum hominum opera hi codices pro veris supponi, sicut de quibusdam aliis credimus, quos, non obstãte sacro titulo quem præfe-

præferunt, pro apocryphis & non pro sacris habemus. Ergo est necesse ut sit aliquis proponens, qui in locum Apostolorum successerit, & ex ea parte munus habeat, verum Dei verbum, eiusque genuinum sensum idque infallibiliter (quo firma sit & infallibilis fides nostra) proponendi. Dico autem hanc autoritatem residere in Ecclesia Catholica, eiusque capite summo Pontifice, Ecclesiam in hoc negotio dirigente, ut à vero aberrare nunquam possit, non minus quàm Apostoli cum viverent, propter certissimam Spiritus S. opem, in docendo & verbo Dei prædicando errore labi nequibant. Ergo proponens infallibilis verbi Dei & fidei nostræ, est Ecclesia Catholica à capite suo gubernata.

§. 6.

Ostenditur, Ecclesiam Catholicam à capite suo gubernatam, esse evidenter credibilem, cum verbum Dei & fidei articulos proponit.

Atque hæc Ecclesia Catholica à summo Pontifice gubernata, ea obtinet à Deo credibilitatis argumenta, tamque perspicua, ut nemo prudenter de eius autoritate dubitare, aut ab ea ad ullam hæresin declinare possit. Ego certè cum ea apud animum meum expendo, ita evidentiâ rei convincor, ut dicere cogar, me everso sensu stultum equidem fieri posse, sed Lutheranum aut Calvinistam salvo intellectus usu fieri nunquam posse. Sola enim Romano-Catholica Ecclesia ea habet credibilitatis motiva, quæ meritò persuadeant, illam esse veram, verbi Dei, post Apostolos in cœlum abeuntes, depositariam. Illa enim Evangelium ab Apostolis accepit, & continua successione in possessione Evangelii perseveravit, pastores habens ordine succedentes, à S. Petro usque ad præsentem Innocentium X. Romanum Pontificem. Illa in omnibus Conciliis per caput suum præfuit. Illa tot persecutionibus deleri nunquam potuit, neque portæ inferi quivere unquam adversus eam vel per paganos, vel per hæreticos, vel per pravos etiám Catholicos prævalere. In illa tot Sancti Martyres olim vitam pro religione posuerunt. In illa hodie India omnis convertitur. In illa Japonius sanguis pro Jesu Christo & Evangelio quotidie adhuc funditur. In illa dæmones è corporibus pelluntur, morbi fugantur, mortui resurrexere & resurgunt. In illa vixere quotquot unquam prodigiis & miraculis religionem Christianam illustrarunt. In illa omni-

bus semper sæculis vixerunt, & etiamnunc vivunt, viri ac mulieres, magno numero vitæ ac morum sanctitate perspicui. S. Gregorius noster est, Hieronymus noster est, Ambrosius, Augustinus, Chrysostomus noster est. Omnes denique illi, quorum certa est sanctitudo, nostri fuerunt, & in Ecclesiæ nostræ communione objerunt. Atque hanc rem loquuntur muri, clamant lapides, vociferantur libri, ut sine aperta dementia in dubium verti non possit. Quomodo ergo moraliter certum & evidens non est hanc Ecclesiam infallibiliter verum Dei verbum & fidem Christianam nobis proponere, quæ successione perpetua ab Apostolis huc usque deducta perdurat, quæ omnibus persecutionibus sola superstes, doctrinæ constantiâ immobilis, Doctoribus vitæ puritate conspicuis illustrata, tot Sanctis ex utroque sexu confessoribus ornata, tot Martyrum, pro fide Jesu Christi in eius communione obeuntium, sanguine & triumphis purpurata, laureata, coronata? Quid vestra Synagoga novitia, & recens nata, quid horum simile habet? Ubi est successio sacerdotum ab Apostolis usq; in hanc horam demonstrata? Ubi Episcoporum series perpetua? Ubi conversiones gentium & populorum antea infidelium? Ubi dæmonum expulsio? Ubi morborum sanatio? Ubi vita functorum in vitam restitutio? Ubi denique miracula? Ubi Virginum Deo devotarum agmina? Ubi virorum vitæ sanctitudine conspicuorum exercitus? Ubi Martyrum pro Christo obeuntium sanguine sed proprio purpuratæ legiones? Ubi gentium idololatricarum à vobis conversarum regna & imperia? Ubi denique sunt basilicæ & Ecclesiæ munifico sumptu à vobis exstructæ? Ubi cænobia divinis laudibus frequentandis erecta? Ubi Xenodochia & hospitales domus vestro ære dotatæ? Scilicet hæc vestræ Ecclesiæ insignia sunt, Catholicos populos à sua fide abstrahere, Monasteria à majoribus vestris Catholicis fundata, evertere, Ecclesias non struere sed à nostræ fidei hominibus structas, invadere. Quæso si quis ad vos diverteret Aristotelicus, disciplinis philosophicis comprimis imbutus, & à fide adhuc alienus, velletque in fide Christiana à vobis erudiri, quid ageretis? Dic Seldi, quid cum homine isto occiperes? Diceres, verbo divino & revelationi cælitùs delapsæ credendum est? Non abnueret equidem homo ille. Sed diceret, cedo verbum Dei, ut ei credam. Dabis Biblia? dices hoc esse verbum Dei? At ille. Unde habes sodes hoc verbum Dei? Tibine Deus ipse locutus est, aut in manus hunc codicem dedit? Non. Sed à majoribus traditum accepi. Quinam isti majores? Lutherus. Lutherus

therus unde accepit? A Deo immediate? Quis credat? Quivis nebulo id dicat & ego credam? Non hoc ergo, sed à Papistis & eorum Ecclesia accepit Lutherus verbum Dei. Benè habet. Ergo Lutherus non scivit hoc esse verbum Dei, nisi per Ecclesiam Romanam, & non aliter, nisi quia Ecclesia Pontificia dixit & testificata est. Jam sic. Vel Ecclesia Pontificia in hac testificatione sua de verbo Dei est infallibilis, vel non. Si non, ergo non potestis firmiter & infallibiliter credere hoc esse verbum Dei, cum de eo non habetis nisi testimonium fallibile. Si est infallibilis, ergo ad illam potiùs me conferam, quæ sicut est infallibilis in verbo Dei proponendo, ita sine dubio etiam erit infallibilis in vero eiusdem verbi sensu tradendo & explanando. Unde enim scitis in verbo tradendo non falli, in sensu autem eiusdem verbi falli? Certè ergo aut Christiana fides fallibilis est, aut si infallibilis est, sola Catholica Christiana est. Ita ille & rectè.

§. 7.

An juxta argumenta illa credibilitatis, infallibilitas proponendi revelationem & fidem, conveniat Pontifici etiam soli & sine Concilio proponenti & definienti.

Omnino hoc affirmandum cum S. Thoma 1. 2. q. 1. a 10. Bannez, Valent. Tur. Cajet. Suar. Cano, Bellarm lib. 4. de Rom. Pont. cap. 2. & cum communissima Catholicorum sententia, contra Alphons. de Castro lib. 1. adv. hær. c. 2. & Adrian. 6. in quæst. de confirm. qui putant Papam absque Concil. gener. non posse definire infallibiliter. Probatur autem assertio nostra. 1. Papa in officio capitis Ecclesiæ & munere proponendo verbum Dei & articulos fidei credendos, succedit S. Petro. Atqui S. Petrus habuit potestatem Ecclesiæ gubernandæ absolutam, & independentem à conditione Concilii generalis. Illi enim absolutè dictum fuit. *Pasce agnos, pasce oves*, Joan. 21. *Tibi dabo claves regni cælorum, quicquid ligaveris solveris, erit ligatum solutum, &c.* Matth. 16. 2. Non est credibile, Christum, Vicario suo dedisse in munere illo necessario proponendi articulos fidei infallibilitatem, cum conditione, quæ tam est difficilis, & sæpe moraliter impossibilis Nam sæpe fieri non potest, ut Concilium generale convocetur, tunc cum res aliqua definienda urget. 3. Multa sanè de facto definita à Pontificibus extra Concilium fuerunt, ut in Hist. Eccles. patet, quæ tamen ab universa Ecclesia, indubiè, eo nomine, ut fidei decreta

recepta

recepta fuerunt. Et contrarium quidem, à paucis defenditur, & licet apertè hæreticum non sit, est tamen nunc erroneum & hæresi proximum, ut censet Bellarm. cui ergo lubens subscribo. Neque obstat Adriani 6. qui ipse Pontifex fuit, autoritas. Scripsit enim ea, rebus non ita ut nunc sunt expensis, & ut Doctor privatus in schola disseruit, non autem ut Pontifex ex cathedra definivit. Hæc præmisisse satis esto. Nunc ad Seldium in arena nos avidè exspectantem, veniamus.

SECTIO II.

An Principium fidei nostræ Catholicæ primum in generatione, & ultimum in resolutione sit placitum hodierni Pontificis.

§. I.

Respondetur ad quæstionem.

I. SEldius affirmat absolutè, ego nego, & dico esse, vel calumniam, vel stuporem Prædicantis, qui inter principium formale motivum & inter proponentem illud motivum non distinguit. Fidei nostræ principium unicum est verbum Dei, & in hoc ultimò illa resolvitur. Si enim ex me quæras, cur credis, Jesum Christum esse verum Deum & hominem pro nobis mortuum? Respondeo, quia Deus dixit & revelavit. Si instas: credisne etiam Deum hoc revelasse, & credis ipsum verbum Dei? Dico me credere. Cur credis ipsum verbum Dei & revelationem? Hic sisto, & nullum aliud motivum formale affero, & aio: credo verbum Dei, propter ipsummet verbum Dei. Quia verbi illius Dei, non datur aliud verbum Dei. Et tamen credere illud debeo, & propter verbum Dei credere debeo. Atque ita quidem in naturalibus etiam assensibus contingit, ut rationi motivæ formali assentiendi, assentiamur propter se ipsam. Et in fide humana, credimus Romam esse, quia homines fide digni testantur, credimus autem eos testari, non jam propter aliud, sed propter idemmet eorum testari. Ergo in verbum divinum & revelationem Dei, tanquam in ultimum principium formale motivum resolvitur fides nostra.

II. Illud non diffiteor. Quod si quidem urgear edicere, unde mihi infallibiliter constet, hoc verbum Dei, cui fidem adhibeo, esse verbum Dei, & cur acceptem Evangelium Joannis pro verbo Dei, præ Evangelio Nicodemi, cum utrumque æquè præferat titulum Evangelii

gelii JESU Christi, non diffiteor inquam, tunc me respondere, Ecclesiam Catholicam hoc mihi verbum tanquam divinum proponere, istud verò minimè. Et addo, Ecclesiam in hoc negotio esse infallibilem, & hanc infallibilitatem mihi evidenter constare ex motivis credibilitatis perspicuè notis. Ergo jam non resolvo ulterius, in aliud motivum formale fidei, sed in principium proponens motivum, & concilians credibilitatem tum motivi formalis, tum proponentis illud motivum formale.

III. Planè uti primi fideles qui fidem ex auditu Apostolorum prædicantium hauserant, respondissent. Cur enim illi credebant Verbum incarnatum & mortuum? Quia Deus revelavit. Quare credebant Deum revelasse? Quia Deus revelaverat. At unde notum erat illis Deum revelasse? Quia Apostoli illis dixerant & revelationem Dei proposuerant. At cur non dubitabant de Apostolorum vel fraude vel falsitate? Quia norant esse infallibiles, & erat illis evidenter credibile, hoc quod illi dicebant esse verbum Dei. At unde erat illis nata evidens illa credibilitas? Ex motivis credibilitatis perspicuis, nimirum quia videbant illorum virorum vitam cœlestem, morum sanctitatem, & miraculorum magnitudinem.

IV. Unde sicut non obstante eo quod primi fideles nitebantur Apostolorum infallibili autoritate, & sanctitate & miraculis, habebant tamen verum & unicum motivum formale fidei: ita & nos Catholici, etsi in credendo dependeamus à Pontificis definitione, & motivis credibilitatem evidentem ei conciliantibus, verum tamen & unicum obtinemus fidei divinæ principium formale motivum, nimirum verbum & revelationem Dei. Et sicut tunc temporis ineptissimus fuisset, qui ita dixisset: Religionis Christianæ principium generatione primum & resolutione ultimum est huius vel illius Apostoli placitum & arbitrium: ita ineptissimus est Seldius cum talem thesin effutit: Religionis Pontificiæ ratione γενέσεως primum, & ratione ἀναλύσεως ultimum, est hodierni Romani Pontificis placitum & arbitrium.

§. 2.

Dispescitur fumus Seldianus.

Multa hic Seldius è Latio & ex Hellade fumat. θέσιν, ἔκθεσιν, ἀπόδειξιν, ἀντίθεσιν, quid non? ingeniosè scilicet profert. Sed bellulis illis vocibus fumo suo fucum facere nititur.

I. *Papista*, inquit, *jactant se inniti scriptura.* Ita, ut motivo formali fidei inadæquato. Nam adæquatum est verbum Dei, sive scriptum sive traditum. *Tamen postea cum ad rem venitur, ad autoritatem Pontificis recurrunt.* Ut ad motivum formale credendi? nego. Ut ad principium, infallibiliter scripturam & eius sensum proponens & explicans. concedo. Planè sicut primi Christiani ad credendum movebantur verbo Dei. At verbum Dei non habebant nisi ab autoritate infallibili Apostolorum. Quid hic opus est apinis & tricis & fumis? Fides primævorum Christianorum dependebat à verbo Dei, ut solo principio motivo formali, dependebat ab Apostolorum autoritate tanquam à principio motivum proponente, dependebat à miraculis tanquam à motivis credibilitatis. Ita & nostra fides dependet à verbo & revelatione ut unico motivo, ab autoritate Pontificis ut proponente infallibili, à Patribus, Doctoribus &c. ut motivis credibilitatis. Quid ergo mali agimus, quod, cum fidei nostræ rationem damus, non tantum motivum formale, sed etiam principium proponens, & motiva credibilitatis adducimus? Mirum est Seldi, te in re tam manifesta fumum venari.

II. *A Marcellio, Romani Pontificis judicium tanquam principium & fundamentum ultimum supponi, ex propriis eius hypothesibus concludo.* Sed pueriliter concludis & imperitè. Age sis enim conclude semel.

Ecclesia est infallibilis, Marcellio, ideo quia gubernatur à Pontifice S. Petri Successore, cui à Christo absolutè est promissa firmitas & indefectibilitas in fide. Distinguo Ant. Si ly, *ideo quia*, significat motivum formale fidei. nego. Si significat propositionem motivi infallibilem. concedo Ant. Nunc perge inferre. *Ergo Ecclesia immunitas ab errore, ultimò resolvitur in Pontificem* Tanquam in motivum formale credendi. nego. tanquam in proponentem infallibilem. concedo. *Ergo scriptura autoritas & certitudo resolvitur in infallibilitatem Pontificis.* Tanquam in motivum credendi. nego. Tanquam in proponentem infallibilem ipsius motivi credendi. concedo. Quid jam vis amplius Seldi? Nunquid enim non omnino idem, quod tu nobis hic obiectas, primis Christianis, qui ex auditu Apostolorum verbum Dei & fidem Christianam hauserunt, objici potest? An non enim illi infallibiles in credendo erant? & ideo infallibiles, quia infallibili Dei verbo nitebantur? Iterum, an non ideo infallibiles erant se vero Dei verbo niti, quia acceperant illud ab Apostolis, qui à Christo missi erant, & quibus abso-

absolutè à Christo fuerat promissus spiritus Sanctus infallibilis? Ergo primorum Christianorum immunitas ab errore & fides infallibilis ultimò resolvitur in Apostolos. Ergo verbi Dei autoritas & certitudo resolvitur in infallibilitatem Apostolorum. Certè hæc argumentatio nunquid fumea est? At tam similis est tuæ, quàm lacte lacti est.

Sectio III.

Autoritatem Pontificis esse principium ignotum, incertum, & fallax, fumus est Seldii.

§. I.

Esse ignotum, primus fumus Seldii.

ITa fumat Prædicans. *Autoritas Pontificis gignit quæsiti petitiones & probationes circulares. Ergo est principium ignotum & dubium.*

Nego Antecedens. Probare contendit. *Sic enim arguit Marcellius. Quicquid docet verbum Dei, illud est audiendum, & admittendum. Atqui Papam in definienda fide esse infallibilem docet verbum Dei, Matth. 16. Ergo.* Benè fit. Perge porro. *At, si Minor negetur, & dicatur locum illum scripturæ non intelligi de Papæ infallibilitate in docendo, probat Marcellius autoritate Papæ sic explicantis, & sic intelligendum esse dicentis. Ergo committitur circulus.* Nugæ nugarum, fumi fumorum. Non committitur hic ullus circulus formalis & vitiosus.

Valentia & Becanus animadvertere circulum? A nobis committi, nego, ab hæreticis vitiosè objici. concedo. Tuum vero Seldi hoc loco erat, non dicere Valentiam & Becanum circulo pallium quæsisse, sed ea quæ illi & præsertim Becanus, clarissimè responderunt, refellere. Id non fecisti, neque facere potuisti.

II. Ego autem tibi ostendo hic nullum committi circulum à nobis. Circulus formalis & vitiosus est ille, cum per unum probamus alterum, & per illud alterum, ut sic ex eo uno probatum, vicissim probamus illud unum. Exemplum esto. Si ex die, quam oculis percipio, probem ortum solis quem non video, & si vicissim ex ortu solis ut formaliter per existentiam diei probato, probem existentiam diei, vitiosè & formaliter sum circulator. Ratio vitii est. Quia priori modo ex re magis nota colligo minus notam, quod equidem fas est: posteriori ex minus nota colligo magis notã, quod per Logicæ præcepta non est fas.

 Atqui

Atqui Catholici, cum ad infallibilitatem Pontificis in dubiis fidei recurrunt, non ita agunt. Ostendo in præsenti materia. Nam cum ex scriptura Matth. 16. probant Pontificis infallibilitatem, afferunt rationem motivam formalem fidei suæ, nimirum verbum Dei. Quando verò ab hæretico negatur illud verbum, si in eum sensum accipiatur, esse verbum Dei, recurrimus equidem ad Pontificem, qui ita definit, & infallibiliter nobis explicat sed jam non damus rationem motivam formalem, cur credamus illum esse sensum scripturæ, sed afferimus rationem infallibiliter proponentem nobis motivum fidei. Ergo necdum circulamur. Quod si deinceps heterodoxus neget infallibilitatem Pontificis in proponendo motivo fidei, non redimus ad scripturam antea allatam. Non tam stulti sumus, & hoc hercule agendo circularemur. Sed recurrimus ad motiva credibilitatis, quæ nobis evidenter credibile reddunt, Pontificem infallibilem habere autoritatem proponendi & explicandi verbum Dei.

III. Vide ergo sis ut progrediamur. Initiò antequam credamus, proponuntur nobis motiva credibilitatis, quæ efficiunt, ut persuadeamus nobis, evidenter (evidentia saltem morali) credibile esse, id esse revelatum, quod Pontifex sive Ecclesia Catholica à Pontifice directa, nobis proponit ut revelatum. Deinde audimus propositionem Ecclesiæ, & verbum illud, quod illa declarat nobis esse verbum & revelationem, mente pecipimus. Demum adhibemus animum & credimus Pontificem esse caput Ecclesiæ Catholicæ habens infallibilem potestatem definiendi, quia hoc est revelatum, & illam ipsam revelationem credimus propter ipsammet revelationem. Et hic tandem tanquam in ultimo & formali motivo sistimus. Ergo hoc ordine progrediendo nulli adhuc involuimur circulo. Jam analyticè regrediendo, credimus fide divina Pontificem esse in efiniendo infallibilem, quia verbum Dei dixit. Item, credimus etiam fide divina verbum Dei hoc dixisse, quia dixit. Iterum, applicamus intellectum ad credendum verbo Dei, & hoc verbum esse verbum Dei, quia Pontifex infallibilis nobis illud ut tale proposuit. Iterum hunc Pontificem esse infallibilem in proponendo verbo Dei, persuasi fuimus, quia novimus illum esse caput Ecclesiæ Catholicæ, in qua elucet personarum & doctrinæ constantis perpetua successio, vitæ Sanctitas, Martyrum constantia, miraculorum patratio. Ergo neque prorso neque verso ordine circulamur, quia non redimus ad eandem probandi rationem. Qui

scriptu-

ſcripturam eiusq; ſenſum genuinum admittit, & Pontificis infallibilitatem ignorat, huic ex ſcriptura Pontificis infallibilitatẽ comprobamus. Nempe ignotum ex noto. Qui infallibilitatem Pontificis agnoſcit, & ſcripturam canonicam neſcit aut negat, ei ſcripturam ex Pontifice oſtendimus. Iterum rectè, ignotum ex noto Qui neutrum agnoſcit, id eſt neq; ſcripturæ ſenſum, neq; Pontificis infallibile judicium, illi primò motiva credibilitatis adducendo, perſuademus credibile eſſe Pontificem infallibiliter proponere nobis verbum Dei Hoc obtento & ad evidentiam moralem perducto, redditur homini ſcriptura à Pontifice propoſita credibilis, ex ſcriptura credibili fit credita, ex ſcriptura creditur, creditur Pontifex, At ex Pontifice credito non redditur iterum ſcriptura credita, hic enim eſſet circulus.

Igitur ex Pontifice credibili probamus ſcripturam credendam, ei qui non credebat, ex ſcriptura credita probamus Pontificem infallibilem credendum, ſine circulo. Iterum ex Pontifice infallibili credito, probamus ſcriputram credendam ei, qui non credebat, & ex ſcriptura jam credita, non probamus iterum Pontificem credendum aut creditum, quia foret circulus.

IV. Ex hiſce facilè apparet quàm inanis illa ſit de circulo à circitoribus Prædicantibus facta accuſatio.

Bellarm. inquit Seldius, *lib. 4. de P. R. cap. 3. probat Pontificis R. infallibilitatem ex Matth. 16. & Luc. 22.* Concedo. *Expoſitionem autem ſuam probat allegata ſeptem Pontificum autoritate. Ergo circulatur.*

Diſtinguo Ant. Allegat autoritatem Pontificum illorum ex illo ipſo ſcripturæ teſtimonio quod explicat, probatam. nego Is eſſet circulus. aliunde ex motivis aliis, & ſanctitate vitæ & conſenſu cum aliis Patrib. ibid. laudatis, perſpectum, concedo. Hic non eſt circulus.

Non quieſcit, circulator, an quadruplator? Prædicans. *Nugatoria emergunt illationes ex doctrina Pontificia, quibus proceſſio fit ab eodem ad idem.* Nimirum. Cedo illas.

Papa Romanus in definiendo eſt infallibilis, juxta dicta Matth. 16. Luca 22. *Quia*

Papa Romanus infallibiliter definit dicta illa eſſe de ſua infallibilitate intelligenda.

Et vice verſa.

Papa Romanus infallibiliter definit dicta Matth. 16. & Luca 22. de ſua infallibilitate eſſe intelligenda.

Quia

Papa Romanus eſt infallibilis in definiendo juxta dicta Matth. 16. Luca 22.

Nunquid hic egregiè triumphat Seldius? Ita ut pſittacus in glacie.

RESP. 1. in genere. Argumentum hoc etiam in Iſraelitas tempore Moyſis viventes, & in Apoſtolos à Chriſto fidem edoctos, & in primævos Chriſtianos, qui ab Apoſtolis immediatè fidei doctrinam acceperunt torqueri poteſt. Nam, Iſraelitæ illi credebant & dicebant: Moyſes eſt fidelis & verax Domini Propheta, quia Pentateuchus hoc dicit. Et viciſſim Pentateuchus eſt verax, quia Moyſes verax Domini Propheta illud ſcribit. Quia revera non aliunde ſciebant Iſraelitæ Pentateuchum continere verum Dei verbum, niſi ex teſtimonio & autoritate Moyſis. Item, Apoſtoli ſic ſtatuebant: Chriſtus eſt filius Dei, quia ipſe infallibilis dicit. Et Chriſtus in dicendo eſt infallibilis, quia eſt filius Dei. Item, Chriſtiani primitivi ſic credebant: Apoſtoli nobis ſunt teſtes infallibiles, quia Evangelium verbum Dei infallibile hoc dicit. Et vice verſa, Evangelium eſt verbum Dei infallibile, quia Apoſtoli teſtes infallibiles hoc nobis pro tali proponunt.

Reſponde nunc Seldi, an non illi fideles ita loquebantur? An non etiam rectè & ex præſcripto rationis? An verò circulum vitioſum patrabant? Sicut ergo Iſraelitæ autoritate Pentateuchi probant Moyſen, & autoritate Moyſis probabant Pentateuchum. Et ſicut Apoſtoli concludebant Chriſtum ex ipſius verbo infallibili, & viciſſim deducebant verbum eſſe infallibile, ex autoritate Chriſti. Et ſicut primitivi Chriſtiani Evangelio conformabant Apoſtolos, & vice verſa Apoſtolis Evangelium absque circulo, ita nos hodie ſcripturâ ſtabilimus infallibilitatem Pontificis definientis, & infallibilitate Pontificis ſtabilimus ſcripturam absqne circitione. Ergo quisquis Iſraelitas, Apoſtolos & primitivos Chriſtianos à circuli vitio abſolvit, nos etiam abſolvat oportet.

RESP. 2. ſpeciatim ad formam. *Papa Rom. in definiendo eſt infallibilis, juxta dicta Matth. 16. Luc. 22.* Diſtinguo aſſumpt. eſt infallibilis juxta ſcripturam, infallibilitate credenda & fidei, concedo, infallibilitate omni & fidem antecedente, nego Aſſumpt. *Quia Papa Romanus infallibiliter definit illa dicta eſſe intelligenda de ſua infallibilitate.* Diſtinguo: Si illud: *Quia*: notat motivum credendi formale,

male, nego. Si indicat propositionem motivi. concedo. Jam ad vicem versam *Papa Romanus infallibiliter definit Matth. 16. & Luc. 22. de sua infallibilitate esse intelligendа, quia est infallibilis juxta eadem dicta Matth. 16. & Luc. 22.* Nego hoc *quia*. Nam Pontifex nobis infallibilis in ea explicatione, est, non quia illa verba hoc dicunt, sed quia aliunde ex motivis perspicuæ credibilitatis nobis evidens est, omne illud esse credibile, quod sit Dei verbum, quod ille tanquam eiusmodi tenendum proponit. Jam circulum tuum in fumum abiisse vides?

SECTIO IV.

Autoritatem Pontificis definientis esse principium incertum, fumus est Seldii.

I. EDic enim Seldi cur incertum principium illud? *Quia falsò de Pontifice dicitur, quod sit verus successor Petri in munere Apostolico Ecclesiam infallibiliter regendi.* Ne dic tantum Prædicans, sed proba. *Summa est discrepantia Petri & Pontificis.* In quo? *In vita.* Vita nihil hic ad rem. Papa non succedit Petro in vita, sed munere regendi. Neque habet infallibilitatem vivendi, sed docendi. *Etiam discrepat in doctrina.* Ostende. *Ostendit D. Keslerus.* Non ostendit, sed fumos fumeos fecit, quos vel puer uno difflet spiritu, quasi ventus folia aut peniculum tectorium.

II. *Incertitudinem augent hypotheses Papistarum.* Quænam illæ? *Supponunt enim Papistæ, tunc Papam infallibiliter definire, quando adhibet justam diligentiam & ordinaria media.* Omnesne hoc supponunt? Erras. Omnes dicunt, eum si licitè ex munere suo operari velit, diligentiam adhibere debere, non tamen hoc requirunt omnes ad hoc ut validè definiat. At tamen quicquid sit de hoc, transeat quod dicis. *Atqui fieri potest ut Papa non adhibeat, vel adhibere queat justam diligentiam.* Si non adhibet, non definit, juxta illam hypothesin. Et si non definit, non obligat ad credendum. At quomodo non potest adhibere diligentiam & media ordinaria? *Quia Pontifex fieri potest ut sit amusus, & adeo latinæ linguæ ignarus.* Transeat. *Etiam Græcæ.* Transeat. *Etiam Hebreæ.* Transeat. *Ergo non potest adhibere media ordinaria ad definiendum.* Fumea consequentia. *Inter media necessaria, est linguarum cognitio.* Propria. Nego. Aliena vel propria. concedo. Qui judex, sermonis quo lex conscripta, inscius est, diligentiam sufficientem ad sententiam rectè & ex præscripto

Jam verò Pontifex vetat alterutram partem hæresios nomine culpari, Ergo tua probatio nil nisi fumus est ab igne privato mutuatus.

Partes litigantes utrinque scripturæ testimonia allegant. Ita. *Ergo eo ipso fatentur quæstionem illam esse omnino de fide.* O fumeam consequentiam! ô simplex Prædicantis caput! Tam tu hospes es in nostris Theologis, & Philosophis, ut nescias eos sacræ paginæ testimoniis vicissim certare, etiam in causis, quas certò sciunt ad forum fidei non attinere?

Et observationem præ aliis meretur, quod Esthius scribit, in Comment. Rom. 5. 12. solum Christum, ex catalogo eorum, qui peccati labem ex protoplastis contraxerunt, excipiendum esse, & eam sententiam censet esse scripturæ & toti Ecclesiasticæ antiquitati conformem.

Sed quid observatio hæc præ aliis facta, ad rem nostram? Ut ostendas Esthium contra Conceptionem immaculatam stare? Esto. Ut probes controversiam illam esse de articulo fidei? Erras. Non omne quod autores nostri censent sacræ scripturæ & antiquitati Ecclesiasticæ conforme, censent esse de fide. Si tu aliter putas, valde stupidus es. Ergo quicquid sit de veritate illius Majoris, tu eam certè non probasti.

III. Iam ad Minorem. Nego non posse à Pontifice controversiam de Conceptione Beatissimæ Matris definiri. Proba. *Pontifex ipse fassus est se non posse.* Non posse absolutè & simpliciter? Nego. Fatetur hic & nuc prudenter non posse. Transeat. Gregorius XV. dicit: *æternam sapientiam Ecclesiæ suæ tanti mysterii penetralia necdum patefecisse.* Concedo. *Ergo dicit definiri à se non posse.* Non posse hic & nunc, quamdiu res necdum est satis penetrata. concedo. Non posse absolutè & simpliciter. nego. Vin' tu autem audire, quod idem Greg XV. putarit absolutè & simpliciter definiri posse? Audi, Constitutionem die 24. May An. 1621. eius jussu editam: *Mandans & præcipiens omnibus & singulis supradictis, ne de cætero, donec articulus hujusmodi à sede Apostolica definitus fuerit &c.* Ergo existimavit articulum illum definiri à sede Apostolica posse. Esset enim illa loquendi forma ridicula, inepta, & tanto Pontifice indigna, si ille existimaret definiri non posse.

Paulus V. excusat se hisce verbis: Pontifices omnibus Regum & Principum votis adesse non posse, præsertim in iis, quæ non humanâ sed divinâ terminantur sapientiâ, nec hominum judicium, sed Spiritus S. inspirationem & internum exposcunt impulsum. Ita loquitur Pontifex, sed conclude. *Ergo Pontifex fatetur se non potuisse definire.* Absolutè &

ſimpliciter. nego. Secundum quid, hic nunc, cum internum impulſum ſpiritus non perſentiſceret, prudenter non poſſe. concedo. Neque nos dicimus Pontificem quamvis controverſiam, quovis tempore, qualibet in occaſione definire ſtatim poſſe. Abſit ſtultitia. Aliàs enim dicendum foret, etiam tunc cum vel interna animi inſpiratio reluctatur, vel cum profundo ſomno oppreſſus ſtertit, vel cum morbi violentiâ ſenſu omni everſus furit, quæſtiones de religione dubias explicare & diſſoluere poſſe. Quod verò Paulus V. crediderit præſentem de Parthenia conceptione litem à ſede Apoſtolica abſolutè dirimi poſſe, oſtendit in bulla quæ incipit: *Regis pacifici*. data Anno 1616. die 6. Julii, in qua renovat decreta prædeceſſorum ſuorum Sixti IV, & Pii V. jubentium neutram opionem hæreſis argui, *quamdiu per Apoſtolicam ſedem altera pars definita non fuerit*, atque ipſe eandem clauſulam addit; *donec à Romana Apoſtolica ſede huiusmodi controverſia fuerit definita*. Præterea in Decreto, quod coram eodem Paulo V. conditum, & ipſo jubente editum fuerat, An. 1617. die 31. Aug. & incipit: *Sanctiſſimus Dominus noſter poſt longam, &c.* expreſſe apponitur *donec articulus huiusmodi à ſancta ſede Apoſtolica fuerit definitus*. Ergo exiſtimabat poſſe à ſede definiri.

Totum ergo Seldii argumentum huc recidit. Pontifex non poteſt tunc definire, cum rei, quæ inquiritur, myſterium necdum ei pateſcit, & cum interno ſpiritus motu ad id faciendum non incitatur. Ergo Pontifex non poteſt definire. Atque ſi quis diceret: Seldius tunc cum dormit non poteſt ratiocinari. Ergo Seldius non poteſt ratiocinari. Nunquid hæc ineptia eſt? Ita, ſed Seldii.

Sectio VI.

Autoritatem Pontificis definientis eſſe principium ſibi ipſi diſſonum, eſt fumus Seldii.

SErò venis mi Seldi. Fuere ante te viri quibus tu matellam non porgas, qui antilogias Pontificum operosâ operâ oſtendere laborârunt. Sed illi hircum mulſerunt, tu modò multo inaniore conatu cribrum ſupponis.

Multa occurrunt, inquis, quæ à quibusdam Pontificibus fuêre indicta, ab aliis interdicta. Indicta ut pro fidei articulo haberentur. Nego. Ut fierent. Concedo.

Exempli loco ſit communio ſub utraque ſpecie. Sit ita. *Hæc fuit præcepta à Gelaſio & Leone PP. RR. etiam laicis.* Tranſeat. *Alii prohibuerunt.*

buerunt. Ita. Ergo sunt dissoni. In rebus & præceptis facti Esto. In rebus & præceptis fidei. nego. Quæso nunquid hi fumi sunt? Disputamus hic de Pontifice motivum fidei infallibiliter proponente, tu verò loqueris de Pontifice leges rerum gerendarum condente. Nos de cæpis tu de alliis. Articulis fidei nulli Pontificum dissentiunt. Quia una omnium fides, ut unum baptisma, & unus Jesus Christus. Præceptis in usu sacramentorum vel aliarum rerum subinde discrepant. Quia quod uno tempore fieri convenit, altero minimè convenit, ideoque non à diversis tantùm, sed ab eodemmet Pontifice uno tempore rectè præcipitur, altero eadem prudentiâ vetatur.

SECTIO VII.

Antithesis & corollaria Seldii omnia in fumos abeunt.

I. QUi in saburra mobili struit, non molem sed ruinam ædificat. Fecit Seldius, cuius illationes corollariæ tam fumeo thesios inanis fundamento nixæ, sponte sua collabascunt. Neque opus est singulis hic attexendis chartam inquinare. Unam tantùm, in specimen ineptiæ Seldianæ adducam. Est ea numero quarta illatio, & sic habet:

II. *Sequitur 4. contra nos Evangelicos hoc principium* (autoritatem Pontificis definientis & verbum Dei proponentis) *imprudenter & infaeliciter urgeri.* Papistæ non stolidi tantùm & imprudentes Seldio sumus, sed & infælices. Ingens hercule malum, si oratio Seldii tam vera esset quàm est audens. Sed, Deo laus, multum interest, inter eius dicere, & nostrum esse. Age videamus rem. Cur imprudenter Lutheranos autoritate Pontificis urgemus? *Quia reus*, inquit Prædicans, *non potest esse judex. Atqui Rom. Pontifex est reus. Nos enim eum accusamus, esse falsum scripturæ interpretem & Antichristum. Ergo Papa non potest esse judex.* Hæc tota res, nos Papistæ imprudentes sumus, quia Prædicantes Lutherani inepti sunt, & per manifestam rebellionem supremam Judicis à Deo constituti autoritatem repellunt & accusant.

III. Ad argumentum respondeo 1. illud nimium probare & in multis similibus redargui palam posse. Quid enim videtur? An non contra subditos perduellionis & majestatis supremæ reos, autoritas Imperatoris allegari potest? At dicent perfidi illi: Qui reus est, non potest esse judex. Atqui Imperator est reus. Nos enim eum accu-

ſamus eſſe tyrannum & libertatis noſtræ oppreſſorem. Ergo Imperator non poteſt eſſe judex. Ergo imprudenter eius autoritas contra nos urgetur. Iterum cum Num. 16. Chore, Datan, & Abiron contra Aaronē & Moyſen tumultum cierent, nunquid cæteri Iſraelitæ ad tribunal Moyſis peruicaces illos appellare poterant & debebant? At repoſuiſſent illi cum Seldio. Qui reus eſt non poteſt eſſe judex. Atqui Moyſes eſt reus. Nos eum accuſamus, quod ſacerdotii dignitatem per vim fratri ſuo arrogarit, & quod populi regundi jus injuſtè invaſerit. Ergo Moyſes non poteſt eſſe judex. Ergo imprudenter eius autoritas contra nos, urgetur. Iterum, cum hæretici, qui viventibus adhuc Apoſtolis & contradicentibus Eccleſiam lacerarunt, Alexander, Hymenæus, Diotrephes, Nicolaus, Ebion, Cherinthus, Simon magnus & ſimiles Seldii parentes, reliquos fideles impugnarent, an non ab his ad Apoſtolos velut ad fidei præſtites judicesque in jus vocari poterant? Sed obtendiſſent exemplo Seldii: Rei non poſſunt eſſe judices. Atqui Apoſtoli ſunt rei. Nos eos accuſamus verbi Dei & fidei corruptores, & falſitatis magiſtros. Ergo Apoſtoli non poſſunt eſſe judices. Ergo imprudenter eorum judicium nobis opponitur. Iterum, cum ſcribæ & Phariſæi Apoſtolos & diſcipulos Chriſti ab eius viventis doctrina avertere molirentur, an non ad ſui Magiſtri, ſcripturam pro ſumma autoritate & poteſtate interpretantis, judicium meritò appellaſſent? Verum illi more Seldiano reclamaſſent. Reus non poteſt eſſe judex. Atqui Magiſter veſter Jeſus eſt reus. Nam nos eum arguimus ceu ſeductorem populi, violatorem legis, inimicum Moyſis, impium, blaſphemum. Ergo Magiſter veſter Jeſus, non poteſt eſſe judex. Ergo imprudenter ad eius contra nos judicium provocatis. Jam dic Seldi, an hi rebelles, perduelles, hæretici, Phariſæi benè? an non perfidà? an non iniquè? an non impiè? At ex tua pharethra telum hoc prompſiſſent. Quod ergo rebellibus illis pro maieſtate imperii, quod Abironæis ſacrilegis pro autoritate Aaronis, quod perfidis hæreticis pro judicio Apoſtolorum, quod nequam Phariſæis pro poteſtate Jeſu Chriſti reſponderes, hoc tibi à nobis pro Papa eiusque ſupremo definiendi jure reſponſum habe.

IV. Reſpondeo 2. in forma. *Reus non poteſt eſſe judex.* Diſtinguo. Reus, qui ad legitimum judicem vocatur, concedo. Qui eſt ſupremus judex, & à ſubditis iniquam criminationem & rebellionem patitur nego Maiorem. *Atqui Pontifex eſt reus.* Coram judice competente, nego

nego. Eſt reus perduellione ſubditorum ſummum Magiſtratum ſuum criminantium. concedo Minorem. *Ergo non poteſt eſſe judex.* Nego conſequentiam, Judex & definitor ſupremus, in Rep. ſive politica, ſive Eccleſiaſtica, non poteſt conſtitui reus à ſubditis, ut poteſtatem eos judicandi perdat. Aliàs quis modus rebellionem coercendi & pacem ac tranquillitatem communem conſervandi? Ergo ſicut is qui in Imperio ad Cæſaris prætorium provocat, eiusque ſententiæ ſtari vult, fidelis & prudens eſt ſubditus, qui verò Cæſaris judicium reſpuit eiusque poteſtatem in dubium vocat, perfidus, perduellis & Maieſtatis reus ſupremum meretur ſupplicium: ita Catholicus in Eccleſia, qui ad Pontificis tribunal appellat, eiusque definitionem ut infallibilem admittit, prudens & fidelis eſt Chriſtianus: quisquis verò Pontificis ſententiam aſpernatur, cumque ſcripturæ depravatæ & Antichriſtianiſmi reum facit, rebellis, contumax, hæreticus, maieſtatis Pontificiæ reus, non fumos ſed flammas vindices meretur.

Planè ſicut in antiquo Teſtamento, Deut. 17. in cauſa dubia, provocatio erat ad ſummum ſacerdotem, cuius ſententiæ ſtare oportebat univerſos, atque ita quidem, ut ſi quis refractarius voluiſſet obtendere contra, & dicere, ſummum ſacerdotem ſe accuſare de injuria, de corruptione, de perſonarum acceptione, de nullitate poteſtatis, ac conſequenter eum reum eſſe, neque poſſe jam in ſe ſententiam legitimam proferre; ſi quis inquam ita agere auſus fuiſſet, *ex decreto judicis morte mortuus fuiſſet homo ille, ablatumque malum de Iſrael.* Ita omnino Prædicantes qui in cauſa religionis ad ſummum Pontificem in jus vocati, eius definientis imperio obedire nolunt, dicentes, Pontificem reum eſſe, neque poſſe judicare, rebelles, & maieſtatis ſacerdotalis rei, ſupplicio digni ſunt habendi.

Nos ergo Catholici cum adverſarios Pontificis autoritate premimus, jure, quod Chriſtus in Eccleſia ſua conſtituit, utimur, Seldius verò cum nos ideo imprudentiæ arguit, unà cum ſubmiſſione erga ſupremum fidei Chriſtianæ magiſtratum debita, omnem ſe prudentiam & æquitatem exuiſſe oſtendit.

V. Nunc videamus quàm infœliciter & absque ſucceſſu autoritatem Pontificiam (uti vult Seldius) adverſariis noſtris, qui ſe Evangelicos vocant, opponamus. *Vel enim*, inquit, *eſt negotium cum converſis, vel cum convertendis.* Quid dicis Prædicans? Ex hypotheſi tua eſt negotium cum veſtris. Atqui converſi ad nos, jam non ſunt veſtri. quid ergo vis? Revoca mentem immemorem tui, & vide quid loquaris.

quasi Pontifex, pro lubedine sua, & mero arbitrii nutu, quem velit scripturæ sensum dare possit. Non est hæc nostra sententia, sed Seldii figmentum & fumus. Dicimus veram scripturam eiusque sensum nobis infallibiliter constare non posse nisi per Pontificis ex cathedra definientis autoritatem. Uti Apostolis non constabat de vero Dei verbo eiusque explicatione nisi per Christum, & Israelitis in deserto, non constabat de lege Dei nisi per Moysen infallibiliter illis illam proponentem.

II. Falsissimum est, autoritatem & definitionem Pontificis, esse primum & ultimum principium religionis nostræ aut fidei divinæ, quam adhibemus scripturæ. Supra sæpius dictum est. Scripturæ & verbo Dei credimus, propter ipsummet, quia est verbum Dei. Ergo verbum Dei est principium primum & ultimum motivum credendi verbo Dei: Autoritas autem Pontificis non est principium motivum, sed est principium propositivum motivi. Planè sicut verbum Dei à Moyse Israelitis propositum erat primum & ultimum principium motivum credendi etiam ipsummet verbum Dei, autoritas autem Moysis, evidenter credibilis, erat non principium motivum fidei, sed principium infallibiliter proponens motivum fidei: Quoties vis tibi hoc dici?

III. Falsum est autoritate Pontificis id quod notissimum certissimum & adæquatum est, reddi ignotum, incertum & inadæquatum. scriptura est equidem certissima, sed eius certitudo nobis infallibiliter non proponitur nisi per Ecclesiam & Pontificem. Falsum est scripturam in se esse notissimam. Unde enim tanta & tot dubia, qui libri sint vera scriptura? Unde tot contentiones de vero eius sensu? De re in se notissima nemo nisi stolidus controvertit. Falsum est scripturam esse adæquatum Dei verbum. An omne verbum Dei scriptum est? Et an non erat verbum Dei, antequam aliquid scripto exararetur? Et an non esset verbum Dei & fides, si omnes libri interirent? Datur ergo etiam verbum Dei traditum extra scripturam.

Falsum est autoritate Pontificis scripturam reddi ignotam & incertam. Unde enim vos Lutherani scripturam accepistis? & unde vobis constat scripturam hanc esse verbum Dei, nisi quia Papa & Ecclesia papalis testatur? Ergo Papa vobis notam & certam facit scripturam.

§. 3.

ἔλεγξις & ἀπόδειξις Seldiana gracus est fumus.

Ut Seldius thesin supradictam aliquo veritatis colore interpolet, ait.

Hac conformatio ut locum habeat violentiam sacra scriptura inferre non erubescunt Pontificii. Violentiam veritati inferre non erubescis Prædicans. Proba nos inferre scripturæ.

I. *Dicta scriptura qua strictiùs explicanda & intelligenda erant, latiùs ad hetroegenea extendendo.* Nego id nos facere. Proba.

Marcellius id facit, allegando verba, de verbo Dei scripto solo accipienda, & extendendo ad traditiones ἀγράφας qua verbo scripto contrariantur. Falsum dicis. Marcellius id non facit. Proba. Multa dicis, nihil probas. *Traditiones non scripta contrariantur verbo scripto rationis efficientis, quia contra expressum verbum Dei excogitata sunt.* Tu fallis in genere causæ efficientis. Hoc ipsum quod dicis, probandum erat.

Contrariantur ratione causa formalis, hoc est ratione fidei, qua nititur verbo Dei, non ἀγράφῳ hominum commento. Sempex tu falsum dicis. Hoc ipsum probandum est. Fides divina non nititur quidem ἀγράφῳ hominum commento, nititur tamen ἀγράφῳ Dei verbo.

Tum ratione causa finalis quatenus nulla sequitur retributio eiusmodi mandata docentes & observantes Matth. 15. 9. Tu videris deditâ opera insanire, & bacchanalia velle ludere. Demus de cætero verum esse, quod falsissimum est, nullam sequi retributionem eos qui traditiones non scriptas aut docent aut observant, an omne quod retributione caret contrariatur directè verbo Dei? Ipse non intelligis credo quid loquaris.

II. *Dicta qua indeterminatè loquuntur de Ecclesia, ad solam Romanam restringendo allegat Marcellius.* Ostende. *p. 4. dictum ex Matth. 18. allegat.* Concedo. *Et hoc dictum non loquitur de Romana Ecclesia in individuo, fatente Bellarm. lib. 3. de Eccl. cap. 14.* Concedo. *At Marcell. pag. 145. de sola Romana intelligit.* In individuo, prout illa condistinguitur à cætera Ecclesia Catholica sicut pars à suo toto? An non dicam rectè te mentiri? Grave quidem hoc est, sed res ipsa cogit sic loqui, Certè aut mentiris, aut cerebrum ficulneum habes, ut mentem Marcellii clarè scribentis non assequaris. Tu elige utrum malis.

III. *Dicta*

III. *Dicta de Apostolis & de Apostolica Ecclesia in individuo pronunciata, ad Romanensem accommodat Marcellius.* Cedo exemplum Prædicans. *Profert p. 5. loca ex Ioan. 14. 16. & 16. 13.* Concedo. *Atqui illa loca intelliguntur de solis Apostolis.* Transeat *Marcellius autem accommodat illa Ecclesia Romana.* Nego accomodare. Sed cum illud Matth. 10. 20. *Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis:* quod de Martyribus etiam, Apostolorum in fide successoribus, interpretes explicant, adduxisset, occasione spiritus, in Ecclesiæ filiis ante tyrannos loquentis, dicit illum esse spiritum veritatis, quem Christus Joann. 14. & 16. Apostolis se daturum promisit. Ergo ex vi huius orationis, eo modo, uti jam dixi, contextæ, nullo modo applicat illa verba, Ecclesiæ toti, sed tantum spiritui qui Ecclesiæ datus est, in quantum de eo mentionem faciunt. Sicut si ego dicam sic: In Sancto Francisco Xaverio Indiarum Apostolo fuit spiritus ille, de quo Christus pronunciat Joan. 14. *Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis:* si ego inquam sic dicam, nemo nisi planè amens, arguet, quod verba illa Christi velim ego à Christo de S. Xaverio intellecta esse, sed quod velim intellecta de spiritu illo, quem S. Xaverius cælitus accepit ad docendes Orientis populos.

IV. Marcellius. *Probaturus Pontificum infallibilitatem, citat parabolam Christi, de sapiente architecto, fundante domum suam supra firmam petram, intelligendo per illum architectum Christum. Atqui hæc expositio non est ex textu eruta sed violenter illata.*

Estne possibile Doctorem Theologiæ te esse Seldi, & tam pueriliter calumniari posse? Marcellius dicit, Christum fundasse domum Ecclesiæ suæ, supra immobilem doctrinæ Pontificiæ petram, eamque rem explanat verbis ex Matth. 7. mutuatis. Non explicat illum Evangelii locum, neque dicit ea verba ex mente servatoris, qui ea protulit, de servatore ipso Ecclesiam suam struente, capi debere. Tu si eo fine à Marcellio allata putas, nimium quàm pro Superintendente Römhildensi es hebes. Utitur Marcellius eo loco scripturæ verbis ad explicandum, non autem autoritate ad comprobandum intentum suum. Pudere te deberet Seldi tam ineptæ & puerilis calumniationis.

V. *Idem Marcell. dictum Paulinum. 2. Cor. 3. 6. litera occidit, spiritus vivificat, explicat de scriptura sensu & verbis, p. 95.* Ostende ubi sic intelligendo sacram scripturam depravarit. *Poterat dicere ex Cornelio locum illum intelligi de ministerio legis & Evangelii.* Sed & apud

 eundem

eundem tu discere potuisti à S. Augustino lib. 3. de doctrina Christiana cap. 4. capi in sensu quo Marcellius usurpat, nimirum literam legis & scripturæ occidere, si videlicet nudis verbis, neglecto vero sensu ad errores abutaris, uti faciunt hæretici. Vide ergo ne cum Marcellium culpas, Augustinum culpes, nempe graculus Musam.

§. 4.

Antithesis Seldiana fumea ostenditur.

I. Colligit Seldius ex dictis suis, *scripturam nos reddere obscuram & ignotam.* Quomodo? *Quia Pontificis autoritatem probat Marcellius per scripturam Matth. 18. & illius scripturæ autoritatem probat per autoritatem Pontificis.* Iterum eosdem fumos, supra difflatos, revendis? Iterum circulum blatis? Probat Marcellius autoritatem Pontificis ex scriptura credita. Scripturam verò credendam probat autoritate Pontificis infallibilis, autoritate inquam non ex eadem jam scriptura probata, sed aliunde ex motivis credibilitatis asserta. Jam capis misellc circitor cerebrum tibi circulari, non nostrum argumentum?

Marcellius sui oblitus contradictoria adstruit.

Vereor ut ne tu more tuo labaris & falsum adstruas, Ostende sis tamen. *pag. 276. affirmat hæreticos admittere scripturam. Atqui p. 140. idem illud negaverat, dicens hæreticos in canone, & in versione, & in interpretatione scripturæ dissentire.* Esto, ita Marcellium scribere. Hæccine contradictoria sunt? O stupidum te caput si non vides! Marcellius dicit hæreticos, (nostri temporis intelligit) admittere scripturam. Sed omnem ne scripturam quam nos admittimus? Non dicit, sed aliquam tantùm ex qua in eos argumentari rectè possimus. Iterum, cum dicit in canone scripturæ & versione dissentire à nobis, non dicit toto canone & tota versione dissentire. (Non tam vecors & rerum ignarus est Marcellius) sed in aliqua tantùm parte. Atqui aliquam scripturæ partem agnoscere, aliam non agnoscere nihil habet contradictionis. Ergo Marcellius sibi non contradicit, sed tu, pro stupore tuo, quid diceret, non intellexisti.

II. Colligit Seldius, *scripturam autoritate Pontificis reddi incertam.* Sed malè. cum enim de scriptura vel de eius sensu dubitamus, definitio Pontificis certos nos reddit & dubium omne mentibus nostris abstergit. *At ipsi Pontificii sæpe de scripturæ alicuius sensu invicem disceptant.* Ita est. Sed tunc iudicium est Ecclesiam & Pontificem nihil

nihildum definiisse, ideoque fas esse utramlibet partem, quo major vel ratio vel autoritas impellere videbitur, amplecti.

At unde tunc sciam quis sensus sit Ecclesiæ judicio conformis?

Pro tunc scire non poteris, neque quicquam hoc refert. Satis est, in tali hypothesi, ita animo comparatum esse, ut judicio Ecclesiæ, quamprimum innotuerit, submittere te velis.

Quin adeo si Pontifex definiat, non potest esse certitudo. Eccur non? *Quia constare non potest Pontificem adhibuisse diligentiam necessariam.* Imprimis multorum, & mea etiam sententia est, diligentiam requiri quidem ut Pontifex licitè, non autem ut validè definiat. Neque enim unquam permittet Deus, ut Pontifex tunc, cum animo definiendi & populum fidelem ad credendum obligandi pronunciat, falsum pronunciet. Deinde eccur non possit constare Pontificem cum cura & diligentia judicasse? Vel enim Concilio convocato, in ipso, & cum ipso, definit, & tunc de diligentia orbi universo satis superq; constat. Vel extra concilium, & tunc sufficit doctorum virorum explorare ante suffragia. Atqui hoc abunde constare potest, sicut alia nobis constant, quæ Romæ peraguntur, nimirum publica & constante fama, fide dignorum hominum testimonio, publica Bullarum, quæ desuper expediri solent, fide, frequentibus amicorum literis, solenni Prælatorum jussu, communi populorum fidelium acceptatione.

CAPUT V.

Locus tertius, petitus à Traditionibus non scriptis, excutitur.

SECTIO I.

Thesis Seldiana proponitur.

ITa habet: *Traditiones non scriptæ, Pontificis hodierni placito, tanquam ultimo religionis Pontificiæ & assecurationis Marcellianæ principio conformantur: ideoque non possunt non esse incertæ, & progressui in infinitum exposita.*

SECTIO II.

Explanatur & repellitur.

I. TRaditiones non scriptæ variæ sunt. Aliæ divinæ, aliæ Apostolicæ, aliæ Ecclesiasticæ. Divinæ sunt dogmata à Christo Apo-

stolis tradita, & nusquam scripto comprehensa. Apostolicæ, sunt dogmata ab Apostolis, non sine peculiari Spiritus S. dictamine profecta, de quibus tamen in eorundem scriptis non fit mentio. Et solent hæ ab aliquibus etiam vocari divinæ, & illæ Apostolicæ, quia nimirum hæ à divino instinctu mediatè, illæ ab Apostolis immediatè ad nos pervenerunt. Ecclesiasticæ traditiones, propriè dicuntur consuetudines quædam antiquæ, vel à Prælatis, vel à populis fidelibus inchoatæ, quæ longo temporis usu, & tacito omnium consensu, vim legis obtinuerunt. Iterum hæ traditiones juxta materiam dividuntur. Aliæ enim sunt de fide & de materia credendi, ut quod sint tantùm quatuor Evangelia. Aliæ sunt de moribus, ut quod jejunia vel festa talia sint celebranda. Iterum, aliæ sunt universales Ecclesiam totam concernentes, aliæ particulares, quæ certis tantùm populis & Ecclesiis sunt præscriptæ. Iterum, aliæ sunt perpetuæ, aliæ temporales, certa duratione terminatæ.

Jam verò si de harum Traditionum autoritate quæritur, ita statuendum est. Traditio divina eandem vim habet quam doctrina in sacris Bibliis conscripta. Est enim verè verbum divinum, sicut id quod Bibliis continetur erat verbum divinum, antequam literis exararetur. Traditiones Apostolicæ, æquipollent doctrinæ Apostolorum in eorum Epistolis canonicis consignatæ. Tam enim sunt dogma Apostolicum & verbum Dei, per Apostolos nobis propositum, quam illud quod in scriptura Apostolica legimus. Traditiones Ecclesiasticæ, parem habent autoritatem, cum jure Pontificio & decretalibus in corpore juris canonici comprehensis. Uti etiam in Rep. eadem vis est consuetudinum approbatarum & legum scriptarum. dist. 1. cap. consuetudo. & l. diuturna. ff. de legibus.

II. Hoc verò loco agimus de Traditionibus divinis & Apostolicis, & præsertim de iis quæ de materia fidei agunt & sunt verum Dei verbum traditum, hæ enim sunt verum motivum formale fidei, non minùs, quàm verbum Dei scriptum. Et Pontifex has nobis non minori infallibilitate & necessitate proponit quàm illud.

III. Quare quæ paulò ante de verbo Dei scripto contra fumos Seldianos attulimus, hic etiam valent, ideoque nihil repetere oportet, ne actum agamus.

SECTIO

SECTIO III.

ἔκθεσις & ἀπόδειξις Seldiana fumea & evanida ostenditur.

PEculiara quædam contra Traditionum non scriptarum certitudinem argumenta accruat Prædicans, quæ quàm fumo sint vaniora ostendendum est.

§. I.

Primum argumentum Seldii, ratione κριτηρίου, fumus.

Nullum judicium infallibile à Marcellio vel ab ullo scriptore Pontificio allatum, quo veræ traditiones à falsis, & Apostolicæ à non Apostolicis discerni queant. Ergo sunt incertæ. Nego Antecedens. Canus, Valent. Bell. lib. 4. de verbo Dei cap. 9. plures regulas affert, inter quas præcipua & infallibilis est ex S. August. deprompta l. 4. contra Donatist. cap. 24. & l. 10. de Gen. cap. 23. autoritas Ecclesiæ, quando enim illa aliquid proponit ut articulum fidei, vel observavit aliquid semper, quod nemo nisi Deus instituere potuit & quod nullibi in sacra pagina scriptũ reperitur, certum est indicium esse traditionem divinam & Apostolicam. Imò etsi illud quod fieri jubet, tale sit, ut ab Ecclesia institui potuisset, si tamen omnibus retro sæculis ab universa Ecclesia est observatum, credendum est ab Apostolica traditione ortum habere. Verbo, si Ecclesia proponat traditionem & verbum Dei traditum ut tale, infallibiliter amplectimur ut tale, non minus quàm infallibiliter acceptamus verbum Dei scriptum, cum ab Ecclesia nobis ut verbum Dei scriptum proponitur.

Atqui supra dictum, testimonium Ecclesiæ & Patrum non esse infallibile, absque testimonio & autoritate Pontificis. Esto, quid tum? Autoritas autem Pontificis est infallibilis. Ergo habemus & ostendimus indicium infallibile certitudinis traditionum.

Sed Pontifex est fallibilis. Tu dicis, sed non probasti. Ergo hoc argumentum tuum est fumus.

§. 2.

2. Argument. Seldii, ratione objecti, fumus.

Incerta sunt, inquit, *Traditiones ratione objecti. Quia Pontificii incerti sunt de nunero dogmatum; quot & quanam ex sola traditione innotescant. Ergo Traditiones sunt incertæ.*

Diſtinguo Ant. Antequam Pontifex definiat. Eſto. Poſtquam definivit. nego.

Pædobaptiſmum & myſterium Trinitatis referunt Pontificii ad traditiones non ſcriptas. Concedo. *Et tamen utrumque ex ſcriptura probare nituntur.* Diſtinguo. ex ſola ſcriptura, per ſe, & independenter à traditione, & per conſequentiam certam & evidentem. nego. ex ſcriptura per accidens, ſuppoſitâ traditione, vel adverſarii acceptatione, & per conſequentiam probabilem. concedo.

Traditiones ſunt dogmata, quæ in ſcriptura neque expreſsè & explicitè, neque ita virtualiter continentur ut ex ea per conſequentiam certam & irrefagabilem erui & colligi poſſint. Huic non obſtat, quod per illationem probabilem tantùm, tanquam ex principio quodam generali, vel contra eum, qui ſcripturam fors in ſenſu intento recipit, ex ſcriptura concludi ab aliquibus ſoleant.

§. 3.

3. Argumentum Seldii, ratione probantis medii, fumus.

Incerta ſunt traditiones ratione probantis medii. Proba. *Marcellius exiſtentiam traditionum dicit poſſe judicari & colligi ex ſcriptura.* Contra quemcumque hominem? Nego. contra eum qui ſcripturam recipit. Concedo. Quid jam inde contra Marcellium? *Verùm eo principium petit, & circulari probatione illudit.* Qua ratione? *Traditionem per traditionem probando.* Aut cavillaris Seldi, aut horrendum in modum ſtupes. An circulus ſemper eſt traditionem unam traditione altera probare? An ſemper circulus rationem ratione, autoritatem autoritate, teſtimonium teſtimonio, ſcripturam ſcripturâ evincere? Quid ergo ineptis? *Cuius veritas nititur ſcripturæ ſenſu, illud nititur traditione: Eſt Marcellii, Atqui traditionum veritas nititur ſcriptura ſenſu. Ex Marcellio. Ergo traditionum veritas nititur traditione.* Nunc video Seldi te aut eſſe pueriliter cavillatorem, aut tibi ſanum non eſſe ſyncipunt. Apparet facilè Romhildam non eſſe Anticyram aut ellebori feracem. Alias quî fieri poſſet Superintendentem eius loci tam malè purgato eſſe cerebro? Vis inſtruam te, ut diſpulſo illius pheudoſyllogismi fumo, veritatem in nitida aeris noſtri luce conſpicias?

Diſtinguo Maj. Cuius veritas nititur ſcripturæ ſenſu, illud nititur traditione, in genere ſumpta. nego. traditione ſpeciali, de ſcripturæ ſen-

ræ sensu. concedo. Atqui traditionum veritas nititur scripturæ sensu. Distinguo iterum. Traditionum in genere spectatarum. concedo. traditionis specialis, de scripturæ sensu. nego Minorem. Ergo. distinguo. Traditionum in genere spectatarum veritas nititur traditione generatim sumpta. nego. traditione speciali. concedo. Jam vides circulum non esse verum in argumento Marcellii, sed imaginarium & fumeum in tuo pingui capite?

§. 4.

4. Seldii argum. ratione numeri, fumus.

Apud Papistas irreconciabilis dissensus de numero traditionum. Sed quæso, quis unquam certum earum numerum determinavit? Quod si nemo eorum hactenus certo & definito numero traditiones conclusit, quomodo ergo de numero est dissensus & quidem irreconciliabilis? Deinde, esto, sit inter Papistas aliqua de numero traditionum contentio, ideone incertæ simpliciter traditiones dicendæ? Multa certa sunt, quorum tamen numerum nemo definiat certò. Certum est esse cœlos & stellas & Angelos, & homines, & oves, & boves, & pisces maris & pecora campi: nunquid Seldi? An verò tu, vel alius, horum omnium numerum tenet? Ergo argumentum hoc tuum non numerum sed fumum meretur.

§. 5.

Progressus in infinitum ex Traditionibus à Seldio conclusus, in fumum abit.

Ita progreditur Seldius grallatorio planè gradu: *Quicquid* inquit, *creditur, testimonio aliquo verbi divini creditur.* concedo. *Sed traditio Ecclesiæ creditur.* concedo: *Ergo traditio aliquo verbi divini testimonio creditur.* Concedo totum. *Atqui illud ipsum testimonium, quo nititur, creditur.* concedo. *Ergo & illud ipsum aliquo testimonio creditur.* concedo. *Ergo dabitur progressus in infinitum.* Hic cum grallis tuis ruis miselle. Inprimis retroqueo argumentum hoc modo. Quicquid creditur ob aliquod verbum Dei scriptum creditur. Nunquid tu dicis? Ita. Nihil enim juxta te fide divinâ credendum, nisi quod verbo Dei scripto continetur. Atqui illud ipsum verbũ scriptum creditur. Ergo ob verbum aliquod Dei scriptum creditur. Ergo datur progressus in infinitum in verbo Dei. Quod tu hic responderis de-

ris de verbo Dei scripto, id tibi responsum cape pro verbo Dei tradito, sive traditione. Est enim parissima ratio utrinque. Deinde ut tarditatem tuam juvem, (videris enim mihi stupore magis, quàm voluntate labi) distinguo penult. consequentiam: Ergo & illud ipsum testimonium nititur aliquo testimonio verbi divini. distincto. nego. indistincto. concedo. Traditio, quæ est verbum divinum traditum, creditur propter se ipsam, supposita sufficiente eius propositione, sicut ipsum Evangelium, quod est verbum Dei scriptum, postquam credibiliter propositum nobis est, creditur propter se ipsum. Viden' jam ut tuo in infinitum progressui & pedes & grallæ præscindantur? Pudeat tam puerilis & fumei fumi.

Sectio IV.

Antithesis Seldii fumea, disiicitur.

I. Vexat Prædicantem quod Marcellius dicat: verbi Dei scripti & non scripti æqualem esse autoritatem: & hunc præclarum ex dictis suis opponit syllogismum.

Quicquid est incertum, & sternit viam ad progressum in infinitum, illud verbo Dei scripto, non est æquandum. Atqui traditio non scripta est incerta, &c. Ergo.

Sed mi bone, quid facies Minori tuæ, quæ è grallis, quas ei infælix architectus in duxeras, prolapsa cervicem fregit? Tu dicis ex præmissa liquere apodixi. Ego verò dico apodixin tuam græculum esse fumum. Quid jam ages? Vis declarare vim consequentiæ illius, diagrammate. At bone, si nescis. in syllogismo non declaratur neque probatur consequentia. Et tuum diagramma non probat consequentiam, sed si quid demum probet, probat consequens. An vero vis ut tam te ἄλογον putem, ut non satis distinguas inter consequens & consequentiam? Certè diagramma, quod subnectis, tale est, ut satis indicet, te non nimium Logicæ peritum esse. Ita scribis.

Verbum Dei scriptum.	*Verbum Dei non scriptum.*
1. *Est regula certissima & tutissima. Bellarm. lib. 1. de V. D. cap. 1.*	1. *Est incertum, ratione judicii, objecti, probantis medii, & ratione numeri, ut patet ex dictis.*

Inprimis hic in limine cespitas. Dicebas te subjecturum diagramma ex Marcellio eiusque sociis collectum. Primum autem quod subjiciis

jicis est ex Bellarmino, & ex te ipso stultè concinnatum. Ergo à scopo aberras. Sed videamus reliqua.

2. Est principium αὐτόπιστον. per ea quæ habet Marcell.

2. Non est αὐτόπιστον. Quia eius veritas ex verbo Dei scripto dijudicanda, juxta eund. Marcel.

Jam ante hoc nugamentum dispulsum est. Traditio particularis est αὐτόπιστον & propter se ipsam creditur. Traditio in genere accepta non est αὐτόπιστος, & ex scriptura ut credenda probari potest.

3. Quicquid uni eius apici repugnat tanquam erroneum est repudiandum. Marcell.

3. Praxis Ecclesiæ, traditioni repugnans, non est repudianda. Cornel. à lap. ad Act. 15. 20.

Imprimis Cornel. á Lap. lib. à te cit. non dicit, quod tu allegas. Deinde etsi ita loqueretur, non esset ullo modo ad rem. Nam intelligendum hoc est de traditione Ecclesiastica, quæ non est verbum Dei traditum. Atqui hic sermo est de traditione divina & Apostolica, quæ est verbum Dei traditum.

II. Adhuc non acquiescit Prædicans, sed alterum addit argumentum.

Quæcunque sortiuntur opposita prædicata, autoritatis æqualitatem destruentia, illa non sunt æqualis autoritatis. Atqui verbum Dei scriptum & non scriptum sortiuntur talia prædicata testibus scriptoribus Pontificiis. Ergo.

Minor est falsa gemina falsitate. Falsum est primò, sortiri opposita prædicata autoritatem æqualem destruentia. Falsum 2. hoc testari scriptores Pontificios. Ne unum quidem adducere potes.

Minorem conficit hoc diagramma. Conficit? id est occidit, destruit, evertit? Ita. Sed videamus.

Verbum Dei scriptum.

1. Est litera mortua, scripta atramento, in membrana vel in charta, variis corruptionibus exposita. Costerus.

Verbum Dei non scriptum.

Est verbum Dei vivi in cordibus vivis Ecclesiæ scriptum, distorsionibus non expositum. Idem Costerus.

Ita est. Quid hinc conficis? Habere prædicata diversa? Ita. autoritatem æqualem destruentia? Minimè.

2. Eius præstantia minor est, Coster.

2. Eius præstantia multis partibus superat scripturas. Idem.

3. *Subministrat literam mortuam.* Bailius.	3. *Verum sensum dat nobis qui in scriptura non habetur.* Idem.
4. *Minus est necessarium ad salutem.* Salmeron.	4. *Magis est necessarium ad salutem quam scriptura.* Idem.

Verùm quid hinc concludis? Verbum Dei scriptum & non scriptum affici prædicatis æqualem autoritatem destruentibus, & hoc Papistas testari? Valde insanus es si credis te hoc conficere. Diversitas utique est, cum contradictorio pugnent, nimirum hoc: scriptum & non scriptum: hæc tamen diversitas accidentalis est utrique, essentiæ atque autoritatis identitatem non minuens. Quid videtur? Si te Princeps jubeat patriâ excedere, nunquid idem mandatum est & eadem autoritate pollens, sive princeps oretenus tantùm edicat, sive etiam scripto consignatum tradat? Et tamen est scriptum & non scriptum. Ergo scriptum & non scriptum esse, non indicat heterogeneitatem essentialem, & autoritatis diversitatem.

Diversitas illa attributorum, indicat esse heterogenea.

Accidentaliter, esto. Essentialiter, nego. Deinde esto forent heterogenea physicè: non inde sequitur esse heterogenea moraliter & autoritate ad credendum. Tu non tam probare habebas verbum Dei scriptum & non scriptum habere prædicata opposita. Quis enim nisi amens non videt scriptum & non scriptum invicem opponi? Sed probandum tibi erat, ea quæ opponuntur, & quæ prædicatis adversis differunt, non posse eadem ad persuadendum movendamque fidem potestate pollere, & ea diversa prædicata æqualitatem autoritatis imminuere. Dicis, aliud nemini nisi vesano persuadendum. At ego repono, à nemine nisi vesano, hoc quod tu dicis, dici posse. Age dic Seldi, vel quisquis cum Seldio in re tam obvia hæres, nunquid S. Paulus, dogma Eucharisticum & institutionem sacræ synaxios, initiò prædicationis suæ, Corinthiis ore tenus absque scripto tradidit? Sanè ipse hoc profitetur. *Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Iterum quæro ex te: S. Paulus accepitne à Domino institutionem sacramenti Eucharistici per scriptum, an non scriptum? Utique per non scriptum. Iterum quæro, an non eandem doctrinam Apostolus scriptâ epistolâ deinceps 1. Cor. 11. proposuit? Omnino. Nunc demum quæro ex te: Nunquid non Corinthii tunc habebant doctrinam Institutionis ab Apostolo & traditam & in epistola exaratam? Nunquid scriptam & non scriptam? Eratne doctrina illa, scripta à non

scripta,

ſcripta & viciſſim, alia, diverſa, heterogenea moraliter? Eratne par utriusque autoritas an non? Edic bona fide, ſi quam habes. Hic habes paradigma ſcripti & non ſcripti, exarati atramento in charta, & inſcripti in cordibus vivis, detorſionibus obnoxii & detorſionibus non obnoxii, præſtantis & minùs præſtantis, neceſſarii & minùs neceſſarii ad credendum. Ettamen negare non potes parem remanere autoritatem. Ergo agnoſcis cum adverſis illis prædicatis parem autoritatem conſiſtere, aut cerebrum perdidiſti.

CAPUT VI.

Locus IV. ab autoritate Eccleſiæ expenditur.

SECTIO I.

Theſis Seldiana proponitur

ITa habet. *Pontificis Romani arbitrio & placito conformatur Eccleſiæ ſuffragium, ideoque non poteſt non eſſe ignotum, incertum & inadæquatum.*

SECTIO II.

Theſis Seldianæ fumus oſtenditur.

1. Eccleſiæ corpus eſt, eiusque caput in terris viſibile ſupremum Pontifex Romanus. Atqui corpus à capite æquum eſt dependere & gubernari. Ergo & Eccleſiam à Pontifice.

2. Pontifici, ut S. Petri ſucceſſori conceſſa eſt clavis ligandi & ſolvendi & paſcendi, idque infallibiliter. Ergo ſi eius judicio Eccleſiæ ſuffragium confirmetur, eſt infallibile. Ergo certum.

3. Notius eſt unum quàm multa, & perſpectius eſt Eccleſiæ caput, quam totus reliquus Eccleſiæ cætus. Ergo ſententia Pontificis notior & perſpectior nobis evadit, quàm totius Eccleſiæ reliquæ. Ergo ſententiâ Pontificis redditur ſuffragium Eccleſiæ notius. Ergo fumos vendit Seldius, cum dicit: ideoque non poteſt non eſſe ignotum & incertum Eccleſiæ ſuffragium.

4. Quod verò addit Prædicans ſuffragium Eccleſiæ fore inadæquatum, id minimè negamus, ſi quidem illud ſeorſim absque Pontificis confirmantis ſententia capiatur. Aliàs Eccleſiæ unà cum capite ſuo docentis ſuffragium adæquatum eſt principium, non equidem formale motivum credendi. Sæpe jam dictum eſt.

SECTIO III.

ἔκθεσις & ἀπόδειξις Seldiana plus quam fumeus fumus detegitur.

§. 1.

Duæ falsitates Seldii.

PRima. *Marcellio & Papistis, cum ad Ecclesiæ autoritatem appellant, non est sermo de Ecclesia universali.* Pinguis falsitas. Planè ad universalem Ecclesiam appellamus. Tu proba nos non appellare. *Hanc, enim sive eiusdem membra collectivè sumpta, in fundamentalibus fidei articulis errare non posse, concedimus.* Egregia probatio: *Lutherani cum Seldio concedunt Ecclesiam universalem errare non posse. Ergo Papistæ quando ad Ecclesiæ judicium provocant, non loquuntur de Ecclesia universali.* Quem non pudeat talis fumi? & tam claudæ illationis?

II. Falsitas. *A Marcellio illimitatè & indeterminatè ponitur Ecclesia, semper tamen limitatè & determinatè intelligitur Ecclesia Romana hodierna.*

Aut stupore Marcellium non percipis, aut ei imponis. Ille per Ecclesiam Romanam, de qua dicit, fide divina certum, esse solam veram Ecclesiam, & reliquos cætus esse spurios, non intelligit Romanam hodiernam, pro ut illa excludit omnes alias Ecclesias, Neapolitanam, Mediolanensem, Hispanicam, Gallicam, Germanicam, sed pro ut illa complectitur omnem fidelium congregationem, cuiuscunq; temporis ac loci, quæ Romanum Pontificem pro capite universali, S. Petri successore & Christi Vicario agnoscit. Hæc enim sola Catholica & genuina est Christi Ecclesia, reliqui cætus, qui cum hac, fidei & sacramentorum communione non conjunguntur, ut Nestorianorum, Arianorum, Eutychianorum, Pelagianorum, Hussitarum, Lutheranorum, Calvinistarum, non sunt vera Christi Ecclesia.

§. 2.

Diagramma fumeum Apostolicæ & Romanæ Ecclesiæ exploditur.

Vult Seldius ex testimoniis nostrorum probare, hodiernam Ecclesiam Romano-Catholicam à primitiva Apostolica Ecclesia quo ad dogmata fidei defecisse, ideoque ingeniosè & subtiliter pro more suo diagram-

diagramma parallelum veteris Apostolicæ Ecclesiæ & Romanæ ante oculos ponit, hoc modo.

Apostolica primitiva.	*Apostolica hodierna.*
1. Credidit vitam æternam esse χάρισμα, juxta Rom. 6.23. adeoque eandem ab operum meritis suspensam esse negavit.	*1. Non credit vitam æternam esse χάρισμα: quippe quam ab operum meritis suspendit. Con. Trident.*

Tres Falsitates hic à Seldio assertæ.

1. Falsum est Ecclesiam nostram hodiernam negare vitam æternam esse gratiam. 2. Falsum est Apostolicam primitivam, vitam æternam ab operum meritis suspensam negare. Illam affirmare probat evidenter Gaulter. in tab. per omnes ætates, verit. 6. 3. Falsum est, id quod ab operum meritis dependet, non esse & appellari χάρισμα. Vita æterna est gratia pro gratia inquit S. August. id est gratia pro meritis gratuitò nobis concessit. Audi verba tanti Doctoris lib. de corrept. & gratia cap. 13. *Veruntamen quia & ipsa vita æterna,* QUAM CERTUM EST BONIS OPERIBUS DEBITAM REDDI, *à tanto Apostolo gratia Dei dicitur, cum gratia non operibus reddatur, sed gratis detur, sine ulla dubitatione confitendum est, ideo gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur, quæ gratis contingunt homini. Rectè quippe ipsa intelligitur, quæ gratia in Evangelio legitur. Gratia pro gratia, id est pro his meritis quæ contulit gratia.*

2. Certa fuit de gratia Dei, de remissione peccatorum, de Spiritus S. testimonio, & æterna beatitudine. ex Rom. 5.12. c. 4. v. 12. 16. 18. c. 8. v. 15. 16. 38. 39.	*2. Non est certa de gratia Dei, de remissione peccatorum, de salute. Marcell. p. 174.*

Præfidens nugator est hic Prædicans. Putat satis esse, si ipse quid affirmet aut neget. Falsum est Apostolicam Ecclesiam determinatè de singulorum fidelium in individuo salute & remissione peccatorum certam esse. Falsum est id à S. Paulo ll. cit. asseri. Neque Ambros. Catharin. pro hoc errore facit. Non dicit nos certos esse, aut esse debere de gratia & justitia nostra, sed esse posse. Quàm verò & hoc ipsum male ex testimoniis illis probet, ostendit Bellarmin. lib. 3. de justificat. cap. 9.

3. Non admisit prætèr credentes & non credentes tertiam classem hominum (in Purgatorium detrudendorum) quod concludunt dicta, in quibus mentio fit tantum duplicis classis. Rom. 2. v. 6. 7. 8. c. 6. 20. 22. c. 8. 15. 13.

3. Admittit tertiam classem hominum scilicet mediorum, inter optimos & pessimos, quos ad purgatorii ergastulum ablegant. Concil. Trid. sess. 25.

Falsum est Ecclesiam Apostolicam ab initio non admisisse Purgatorium. Demonstrat hoc Jacobus Gaulter. in tabula sua chronogr. per omnia ordine sæcula verit. 10. Loca S. Pauli allegata, sunt autoritatis negativæ & nihil probant.

4. Credidit Evangelium in literas relatum esse potentiam Dei ad salutem omni credenti. Rom. 1. 16. agnovit illud tãquam canonem & vocem supremi judicis. 2. 16.

4. Negat scripturam (& consequenter Evangelium in literas relatum) esse talem potentiam, quod evincunt testimonia ex Costero & aliis supra adducta.

Hic homo videtur mortale veritati bellum indixisse, ita agminatim falsitates producit in campum.

1. Falsum est Rom. 1. 16. dici *Evangelium in literas relatum*, esse potentiam Dei. Imponit Prædicans S. Paulo, eiusque verba corrumpit. Verba illa: *in literas relatum*: falsarius homo de suo cerebro addit.

2. Falsum est, nos negare Evangelium, etiam scriptum, non esse potentiam Dei ad salutem omni credenti.

3. Falsum est, Rom. 2 16. dici Evangelium & præsertim scriptum, esse canonem & vocem supremi judicis. Nihil horum ibidem dicitur. Hæc verba sunt Apostoli: *in die cum judicabit Dominus occulta hominum, secundum Evangelium meum, per Jesum Christum*: quæ sole clariora sunt, & ita redduntur à Theophyl. apud Cornel. in die supremo judicabit Dominus etiam secreta hominum delicta, secundum quod de die judicii eiusque pœnis & præmiis evangelizare ego & docere soleo, edoctus à Christo. Quid ergo fumosus Prædicans in tam lucida luce umbras quæritat?

5. Negat opera & fidem simul justificare. Falsum est juxta *Rom. 3. 27. cap. 4. 5 & 5. 1.*

5. Affirmat fidem & opera ad justificationem simul concurrere. Concil. Trid. sess. 6. c. 6.

Nego

Nego juxta Paulum hoc dicere. Loquitur ille de operibus legis, fidem & gratiam antecedentibus.

Rectè affirmat, & cum antiquitate fideli affirmat.

Neque refert hoc loco explanare res ante hac tam protritas & conculcatas à nostris Doctoribus.

6. Credidit legem etiam à renatis esse impletu impossibilem, c. 8. 3.

6. Credit esse possibilem Concil. Trid. sess. 6. can. 18.

Falsum est Apostolicam Ecclesiam credidisse legem esse servatu impossibilem. Falsum est hoc Rom. 8. 3. ab Apostolo affirmari. Audite verba Apostoli quotquot aures habetis. *Nam quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem: Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne.* Per quam quæso Logicam ex hisce verbis colligitur, legem renatis esse servatu impossibilem? Etsi Seldius cum omnibus Prædicantibus se ruperit, nunquam tamen vel atomum illius consequentiæ inde extundet. Ita agunt isti belli homines. Ad singula verba jactant scripturam scripturam. Cum verò scriptura apertis oculis inspicitur, tam ea in rem illam quadrat, quàm pugnus in oculum, ut dici vulgariter solet.

7. Improbat invocationem Sanctorum, dum solius Dei invocationem approbat juxta illud Rom. 10. 14.

7. Approbat invocationem Sanctorum. Trid. sess. 15.

Falsum est veterem Ecclesiam invocationem repellere. Contrarium latè ostendit Gaulter. verit. 2. Falsum est Rom. 10. 14. solam Dei invocationem probari. Verba Apostoli eccilla. *Quomodo ergo invocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei quem non audierunt? quomodo autem audient sine prædicante.* Hic ego homines omnes qui intellectu prediti sunt, quæso obtestorque, an non hic Prædicans insanit, cum ex hisce verbis elici posse putat, Apostolum solam Dei unius invocationem ratam habere? Quomodo amabo sequitur; Deus invocari non potest, nisi in illum credatur juxta Apostolum. Ergo solus Deus licitè invocari potest, juxta Apostolum? Nimium quantum hoc ineptum est.

8. *Credidit concupiscentiam esse peccatum propriè sic dictum. Cum Paulo ad Rom. cap. 7. v. 8. & sequ. cap. 7. v. 24, & 13.*

8. *Non credit concupiscentiam esse propriè dictum peccatum. Trident. sess. 5.*

Falsum

Falsum est sic credidisse veterem Ecclesiam. Falsum est sic sensisse Apostolum ll cit. S. Augustinus qui in veteri Ecclesia primum dignitatis locum obtinuit, & S. Apostolum utiq; intellexit meliùs, quàm cum Luthero è castris Augustinianis profugo Seldius, ita loquitur lib. 1. contra duas epist. Pelagian. cap. 13. *Sed de ista concupiscentia carnis falli credo eos vel fallere, cum qua necesse est ut baptizatus, & hoc si diligētissimè proficit, & spiritu Dei agitur pia mente confligat. Sed hac etiamsi vocatur peccatum, non utiq; quia peccatū est* (audin' hoc Seldi) *sed quia peccato facta est sic vocatur, sicut scriptura manus cuiusq; dicitur, quod manus eam fecerit.* Idem repetit Catholicæ Eclcesiæ Doctor l. 1. de nupt. & conc. c. 23. *Concupiscentia,* inquit, *jam nō est peccatum in regeneratis,* (nota benè Seldi) *quādo illi ad illicita opera non consentitur, atque ut ea perpetrent, à regina mente membra non dantur, &c.* Et paulo post. *Sic autem vocatur peccatum, quia peccato facta est, cum jam in regeneratis non sit ipsa peccatum* (iterum nota Seldi) *sicut lingua vocatur locutio, quam facit lingua, & manus vocatur scriptura, quam facit manus. Itemque sic vocatur peccatum, quia peccatum, si vincit, facit, sicut frigus vocatur pigrum, non quod à pigris fiat, sed quod pigros faciat,* Quid jam hic dicemus? Quis meliùs mentem S. Pauli de concupiscentia assecutus meritò videri debet, S. Augustinus, an verò Seldius? Si S. Augustinus, ergo calumniatur Ecclesiam Seldius.

9. *Imagines non coluit per ea quæ leguntur. cap. 1, v. 23.*	9. *Imagines Sanctorum honorat, Sanctos colit, Concil. Trid. sess. 25.*

Catholica antiquitas Sanctos, cum Deo viventes, eorumque lipsana & imagines semper peculiari & maximo post Deum cultu est prosecuta. Demonstrat. hoc Jacob. Gaulter. in tab. chron. totis sexdecim sæculis verit. 3. Falsum ergo est non coluisse. Falsum est hoc constare ex Rom. 1. v. 23. Verba Apostoli sunt: *mutuaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis*: quæ testantur, gentiles hominum mortalium simulachra Numinis loco habuisse & latriæ cultu veneratos esse. At Sanctorum imagines cultu inferiore & minime divino non affecisse fideles, non testantur, sed Seldius ex ingenio suo confingit.

10. *Communionem sub una specie ignoravit.*	10. *Communionem sub una specie propugnat.*

Falsum esse ostendit Becanus in Manuali, controv. 9. conclsu. 3. 4. 5. ubi demonstrat ab ipso Christo servatore & Apostolis usurpatam.

In pri-

In primitiva Ecclesia communio sub utraque viguit.

Tantùm illa viguit? Nego. Utraque in usu licito fuit. Nunc sub una tantum specie vulgo licet, quia ita Ecclesia justas ob causas præcipit.

11. Non credidit unctionem esse sacramentum.

11, Credit unctionem esse sacramentum. Trid. sess. 14. c. 1. & 2.

Falsum esse quod dicis Seldi, ostendit Bellarm. lib. de extr. unct. cap. 2. 3. 4. 5. *Papistæ tribuunt eius institutionem Felici 4.* Quinam illi Papistæ? *Durand. lib. 1. Ration. c. 8.* Falsum est. Sic scribit: *Octavo de extremo unctione, quæ scilicet ex institutione Felicis quarti, & ex præcepto Jacobi Apostoli datur laborantibus in extremis.* Ecce tibi ut expressè fatetur ab Apostolo Jacobo unctionem præceptam. Ergo juxta Durandum unctio fuit tempore Apostolorum jam instituta. Præceptum enim vel supponit rei institutionem, vel includit. Ergo juxta Durandum Fælix quartus eam primò non instituit. Ergo, quando Durandus dicit unctionem ex institutione Felicis quarti dari, non est intelligendus loqui de prima eiusdem unctionis institutione, sed de præcepto Ecclesiastico quo jussit illud sacramentum fidelibus administrari.

Tribuit etiam Polyd. Virgil l. 3. de rer. invent. cap. 4.

Fallis an falleris? Sanè gemina est falsitas. Prior est quod laudes caput quartum, in quo ne apex est unus de unctione. Sed donemus hunc lapsum chalcographo qui quartum pro tertio scripserit. Altera verò ferenda non est, quod Polydoro tam impudenter imponas, ab illo Felicem quartum Pontificem fieri autorem extremæ unctionis.

Audi verba Polydori, & si frontem habes erubesce. *Sic quoque ab iisdem Apostolis usus ungendi periculosè laborantes manavit, dicente Evangelista Marco cum de discipulis loquitur: Egressi prædicabant, ut pœnitentiam agerent, & dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægros & sanabant. Hinc igitur apparet natum, ut hodie oleo, non admisto opobalsamo, animas ex morbo agentes ungantur. Cuius rei meminit & B. Jacobus in epistola sua, unde quidam malunt illum morem ungendi ægrotos manasse. Ea ratione posthac Felix quartus mandavit ut morientes ungerentur.* Jam tu vide Prædicans quomodo fædum & infame impostoris publici nomen à te amoliri possis. Nunquid enim Polydorus verbis perspicuis dicit, unctionem illam ab Apostolis manasse?

Nonne dicit posthac à Fælice quarto non institutam, sed *mandatam* esse unctionem? Aliud est præcipere sacramentum, aliud instituere. Pontifex Eucharistiam à fidelibus sumi quotannis præcipit, non ideo instituit.

SECTIO IV.

Antithesis Seldiana, fumus.

EX dictis omnes illationes Seldianæ, contra Ecclesiam, & Marcellium pro Ecclesia infallibilitate stantem, ad instar tenuis fumi in aerem abeunt.

Unum tantùm tacito pede prætereundum non videtur, quod Seldius Marcellium de vitiosa argumentatione arguit. Nam Marcellius rectè & ex ordine disputat, Seldius autem cum vim argumenti frangere non possit, objectione vitii effugere conatur. Hæc res est. Prædicantes ingenti voce ad ravim usque clamant: Papatum esse defectionem ab Evangelio & vera Christianæ fidei doctrina. Marcellius contra, ait, nos in possessione esse doctrinæ ab Apostolis continua successione ad nos delatæ & in manus traditæ. Incumbere ergo Prædicanti affirmanti pobationem, ut ostendat nos in illa traditæ & succedentis fidei possessione non perstitisse. Nam dicere solummodo & contenta voce clamare eam successionem à maioribus nostris interruptam, satis nobis non est, sed ostendi debet, à quibus, & quo tempore, & in qua re hæc interruptio facta sit. Exemplum esto. Vos dicitis nos vehementer errare, quod unctionem ægrotorum credamus esse sacramentum. Nos è contra defendimus nos autoritate antiquitatis Catholicæ, & reponimus illud dogma, nos à maioribus nostris, qui ab Apostolis acceperant, constante, & cum ipsa sæculorum continua successione concathenata & implexa traditione, accepisse. Vos instatis, majores nostros à doctrina quam Apostololi per manus tradiderant, & illa continua doctrinæ fidelis successione excidisse. Hic nos negamus, & porrò negabimus nos à continua illa successione dilapsos, donec vos (quibus ut affirmantibus onus probandi incumbit incumbetque semper) demonstretis. Atqui demonstrare non potestis, nisi ostendatis defectionis tempus, locum & personas, ut patet. Ergo.

Est argumentum vestrum vitiosum: Quia est ab ignoratione hominis, loci, & temporis, ad negationem erronei dogmatis. Non est vitium bone vir, ad negationem erronei dogmatis, arguere ab ignoratione

tione personæ loci & temporis, quando illud erroneum dogma depellitur, non sola inficiatione erroris, sed provocatione ad successionem continuam antiquæ veræ fidei. Hoc Marcellius facit, ideoq; non illius defensio vitium habet, sed tua reprehensio ignorationem sapit.

CAPUT VII.

Locus V. Topicæ Marcellianæ, ab autoritate conciliorum expenditur.

SECTIO I.

Thesis Seldiana proponitur.

ITa habet: *Pontificis Romani arbitrio & placito incerto & inadæquato Conciliorum decreta conformantur, ideoque non possunt non esse incerta & inadæquata.*

SECTIO II.

Repellitur thesis fumea.

Res est. Concilia infallibilia non sunt, nisi vel ex directione Pontificis antecedente definiant, vel eorum decretum à Pontificio calculo approbetur. Et quia Pontifex in dirigendo & approbando Conciliorum dogmate est infallibilis, sequitur oppositum eius quod Prædicans in sua fumea thesi effutit, nimirum sequitur, Conciliorum decreta esse certissimæ autoritatis, & sine hæresi eis obsisti non posse.

SECTIO III.

ἔκθεσις & ἀπόδειξις Seldii difflatur.

I. QVicquid ab incerto Pontificis decreto dependet, est incertum. Concedo Maj. *Atqui Conciliorum decreta dependent ab incerto Pontificis decreto. Ergo.* Nego Minorem.

II. *Quæcunque decreta patrocinantur opinionibus contrariis, illa sunt dubia & fallacia. Atqui decreta Concilii Trid. de gratia Dei & libero arbitrio, patrocinantur contrariis opinionibus. Ergo.* Nego Minorem. *Dominicus Sotus & Andreas Vegas, uterque in opinionibus dissidentibus allegat decreta Tridentini.* Esto. *Ergo utrique patrocinantur.* O consequentiam! Atque si quis diceret: Lutherani & Catholici, utrique in opinionibus invicem contradicentibus, allegant

Nonne dicit posthac à Fælice quarto non institutam, sed *mandatam* esse unctionem? Aliud est præcipere sacramentum, aliud instituere. Pontifex Eucharistiam à fidelibus sumi quotannis præcipit, non ideo instituit.

Sectio IV.

Antithesis Seldiana, fumus.

EX dictis omnes illationes Seldianæ, contra Ecclesiam, & Marcellium pro Ecclesia infallibilitate stantem, ad instar tenuis fumi in aerem abeunt.

Unum tantùm tacito pede prætereundum non videtur, quod Seldius Marcellium de vitiosa argumentatione arguit. Nam Marcellius rectè & ex ordine disputat, Seldius autem cum vim argumenti frangere non possit, objectione vitii effugere conatur. Hæc res est. Prædicantes ingenti voce ad ravim usque clamant: Papatum esse defectionem ab Evangelio & vera Christianæ fidei doctrina. Marcellius contra, ait, nos in possessione esse doctrinæ ab Apostolis continua successione ad nos delatæ & in manus traditæ. Incumbere ergo Prædicanti affirmanti pobationem, ut ostendat nos in illa traditæ & succedentis fidei possessione non perstitisse. Nam dicere solummodo & contenta voce clamare eam successionem à maioribus nostris interruptam, satis nobis non est, sed ostendi debet, à quibus, & quo tempore, & in qua re hæc interruptio facta sit. Exemplum esto. Vos dicitis nos vehementer errare, quod unctionem ægrotorum credamus esse sacramentum. Nos è contra defendimus nos autoritate antiquitatis Catholicæ, & reponimus illud dogma, nos à maioribus nostris, qui ab Apostolis acceperant, constante, & cum ipsa sæculorum continua successione concathenata & implexa traditione, accepisse. Vos instatis, majores nostros à doctrina quam Apostololi per manus tradiderant, & illa continua doctrinæ fidelis successione excidisse. Hic nos negamus, & porrò negabimus nos à continua illa successione dilapsos, donec vos (quibus ut affirmantibus onus probandi incumbit incumbetque semper) demonstretis. Atqui demonstrare non potestis, nisi ostendatis defectionis tempus, locum & personas, ut patet. Ergo.

Est argumentum vestrum vitiosum: Quia est ab ignoratione hominis, loci, & temporis, ad negationem erronei dogmatis. Non est vitium bone vir, ad negationem erronei dogmatis, arguere ab ignoratione

tione personæ loci & temporis, quando illud erroneum dogma depellitur, non sola inficiatione erroris, sed provocatione ad successionem continuam antiquæ veræ fidei. Hoc Marcellius facit, ideoq; non illius defensio vitium habet, sed tua reprehensio ignorationem sapit.

CAPUT VII.

Locus V. Topicæ Marcellianæ, ab autoritate conciliorum expenditur.

SECTIO I.

Thesis Seldiana proponitur.

ITa habet: *Pontificis Romani arbitrio & placito incerto & inadæquato Conciliorum decreta confirmantur, ideoque non possunt non esse incerta & inadæquata.*

SECTIO II.

Repellitur thesis fumea.

Res est. Concilia infallibilia non sunt, nisi vel ex directione Pontificis antecedente definiant, vel eorum decretum à Pontificio calculo approbetur. Et quia Pontifex in dirigendo & approbando Conciliorum dogmate est infallibilis, sequitur oppositum eius quod Prædicans in sua fumea thesi effutit, nimirum sequitur, Conciliorum decreta esse certissimæ autoritatis, & sine hæresi eis obsisti non posse.

SECTIO III.

ἔκθεσις & ἀπόδειξις Seldii difflatur.

I. QVicquid ab incerto Pontificis decreto dependet, est incertum. Concedo Maj. *Atqui Conciliorum decreta dependent ab incerto Pontificis decreto. Ergo.* Nego Minorem.

II. *Quæcunque decreta patrocinantur opinionibus contrariis, illa sunt dubia & fallacia. Atqui decreta Concilii Trid. de gratia Dei & libero arbitrio, patrocinantur contrariis opinionibus. Ergo.* Nego Minorem. *Dominicus Sotus & Andreas Vegas, uterque in opinionibus dissidentibus allegat decreta Tridentini.* Esto. *Ergo utrique patrocinantur.* O consequentiam! Atque si quis diceret: Lutherani & Catholici, utrique in opinionibus invicem contradicentibus, allegant

Nonne dicit posthac à Fælice quarto non institutam, sed *mandatam* esse unctionem? Aliud est præcipere sacramentum, aliud instituere. Pontifex Eucharistiam à fidelibus sumi quotannis præcipit, non ideo instituit.

SECTIO IV.

Antithesis Seldiana, fumus.

EX dictis omnes illationes Seldianæ, contra Ecclesiam, & Marcellium pro Ecclesia infallibilitate stantem, ad instar tenuis fumi in aerem abeunt.

Unum tantùm tacito pede prætereundum non videtur, quod Seldius Marcellium de vitiosa argumentatione arguit. Nam Marcellius rectè & ex ordine disputat, Seldius autem cum vim argumenti frangere non possit, objectione vitii effugere conatur. Hæc res est. Prædicantes ingenti voce ad ravim usque clamant: Papatum esse defectionem ab Evangelio & vera Christianæ fidei doctrina. Marcellius contra, ait, nos in possessione esse doctrinæ ab Apostolis continua successione ad nos delatæ & in manus traditæ. Incumbere ergo Prædicanti affirmanti pobationem, ut ostendat nos in illa traditæ & succedentis fidei possessione non perstitisse. Nam dicere solummodo & contenta voce clamare eam successionem à maioribus nostris interruptam, satis nobis non est, sed ostendi debet, à quibus, & quo tempore, & in qua re hæc interruptio facta sit. Exemplum esto. Vos dicitis nos vehementer errare, quod unctionem ægrotorum credamus esse sacramentum. Nos è contra defendimus nos autoritate antiquitatis Catholicæ, & reponimus illud dogma, nos à maioribus nostris, qui ab Apostolis acceperant, constante, & cum ipsa sæculorum continua successione concathenata & implexa traditione, accepisse. Vos instatis, majores nostros à doctrina quam Apostololi per manus tradiderant, & illa continua doctrinæ fidelis successione excidisse. Hic nos negamus, & porrò negabimus nos à continua illa successione dilapsos, donec vos (quibus ut affirmantibus onus probandi incumbit incumbetque semper) demonstretis. Atqui demonstrare non potestis, nisi ostendatis defectionis tempus, locum & personas, ut patet. Ergo.

Est argumentum vestrum vitiosum: Quia est ab ignoratione hominis, loci, & temporis, ad negationem erronei dogmatis. Non est vitium bone vir, ad negationem erronei dogmatis, arguere ab ignoratione

tione personæ loci & temporis, quando illud erroneum dogma depellitur, non sola inficiatione erroris, sed provocatione ad successionem continuam antiquæ veræ fidei. Hoc Marcellius facit, ideoq; non illius defensio vitium habet, sed tua reprehensio ignorationem sapit.

CAPUT VII.

Locus V. Topica Marcelliana, ab autoritate conciliorum expenditur.

SECTIO I.

Thesis Seldiana proponitur.

ITa habet: *Pontificis Romani arbitrio & placito incerto & inadæquato Conciliorum decreta conformantur, ideoque non possunt non esse incerta & inadæquata.*

SECTIO II.

Repellitur thesis fumea.

Res est. Concilia infallibilia non sunt, nisi vel ex directione Pontificis antecedente definiant, vel eorum decretum à Pontificio calculo approbetur. Et quia Pontifex in dirigendo & approbando Conciliorum dogmate est infallibilis, sequitur oppositum eius quod Prædicans in sua fumea thesi effutit, nimirum sequitur, Conciliorum decreta esse certissimæ autoritatis, & sine hæresi eis obsisti non posse.

SECTIO III.

ἔκθεσις & ἀπόδειξις Seldii difflatur.

I. QVicquid ab incerto Pontificis decreto dependet, est incertum. Concedo Maj. *Atqui Conciliorum decreta dependent ab incerto Pontificis decreto. Ergo.* Nego Minorem.

II. *Quæcunque decreta patrocinantur opinionibus contrariis, illa sunt dubia & fallacia. Atqui decreta Concilii Trid. de gratia Dei & libero arbitrio, patrocinantur contrariis opinionibus. Ergo.* Nego Minorem. *Dominicus Sotus & Andreas Vega, uterque in opinionibus dissidentibus allegat decreta Tridentini.* Esto. *Ergo utrique patrocinantur.* O consequentiam! Atque si quis diceret: Lutherani & Catholici, utrique in opinionibus invicem contradicentibus, allegant

Nonne dicit posthac à Fælice quarto non institutam, sed *mandatam* esse unctionem? Aliud est præcipere sacramentum, aliud instituere. Pontifex Eucharistiam à fidelibus sumi quotannis præcipit, non ideo instituit.

SECTIO IV.

Antithesis Seldiana, fumus.

EX dictis omnes illationes Seldianæ, contra Ecclesiam, & Marcellium pro Ecclesia infallibilitate stantem, ad instar tenuis fumi in aerem abeunt.

Unum tantùm tacito pede prætereundum non videtur, quod Seldius Marcellium de vitiosa argumentatione arguit. Nam Marcellius rectè & ex ordine disputat, Seldius autem cum vim argumenti frangere non possit, objectione vitii effugere conatur. Hæc res est. Prædicantes ingenti voce ad ravim usque clamant: Papatum esse defectionem ab Evangelio & vera Christianæ fidei doctrina. Marcellius contra, ait, nos in possessione esse doctrinæ ab Apostolis continua successione ad nos delatæ & in manus traditæ. Incumbere ergo Prædicanti affirmanti pobationem, ut ostendat nos in illa traditæ & succedentis fidei possessione non perstitisse. Nam dicere solummodo & contenta voce clamare eam successionem à maioribus nostris interruptam, satis nobis non est, sed ostendi debet, à quibus, & quo tempore, & in qua re hæc interruptio facta sit. Exemplum esto. Vos dicitis nos vehementer errare, quod unctionem ægrotorum credamus esse sacramentum. Nos è contra defendimus nos autoritate antiquitatis Catholicæ, & reponimus illud dogma, nos à maioribus nostris, qui ab Apostolis acceperant, constante, & cum ipsa sæculorum continua successione concathenata & implexa traditione, accepisse. Vos instatis, majores nostros à doctrina quam Apostololi per manus tradiderant, & illa continua doctrinæ fidelis successione excidisse. Hic nos negamus, & porrò negabimus nos à continua illa successione dilapsos, donec vos (quibus ut affirmantibus onus probandi incumbit incumbetque semper) demonstretis. Atqui demonstrare non potestis, nisi ostendatis defectionis tempus, locum & personas, ut patet. Ergo.

Est argumentum vestrum vitiosum: Quia est ab ignoratione hominis, loci, & temporis, ad negationem erronei dogmatis. Non est vitium bone vir, ad negationem erronei dogmatis, arguere ab ignoratione

tione personæ loci & temporis, quando illud erroneum dogma depellitur, non sola inficiatione erroris, sed provocatione ad successionem continuam antiquæ veræ fidei. Hoc Marcellius facit, ideoq; non illius defensio vitium habet, sed tua reprehensio ignorationem sapit.

CAPUT VII.

Locus V. Topicæ Marcellianæ, ab autoritate conciliorum expenditur.

SECTIO I.

Thesis Seldiana proponitur.

ITa habet: *Pontificis Romani arbitrio & placito incerto & inadæquato Conciliorum decreta conformantur, ideoque non possunt non esse incerta & inadæquata.*

SECTIO II.

Repellitur thesis fumea.

Res est. Concilia infallibilia non sunt, nisi vel ex directione Pontificis antecedente definiant, vel eorum decretum à Pontificio calculo approbetur. Et quia Pontifex in dirigendo & approbando Conciliorum dogmate est infallibilis, sequitur oppositum eius quod Prædicans in sua fumea thesi effutit, nimirum sequitur, Conciliorum decreta esse certissimæ autoritatis, & sine hæresi eis obsisti non posse.

SECTIO III.

ἔκθεσις & ἀπόδειξις Seldii difflatur.

I. QVicquid ab incerto Pontificis decreto dependet, est incertum. Concedo Maj. *Atqui Conciliorum decreta dependent ab incerto Pontificis decreto. Ergo.* Nego Minorem.

II. *Quæcunque decreta patrocinantur opinionibus contrariis, illa sunt dubia & fallacia. Atqui decreta Concilii Trid. de gratia Dei & libero arbitrio, patrocinantur contrariis opinionibus. Ergo.* Nego Minorem. *Dominicus Sotus & Andreas Vegas, uterque in opinionibus dissidentibus allegat decreta Tridentini.* Esto. *Ergo utrique patrocinantur.* O consequentiam! Atque si quis diceret: Lutherani & Catholici, utrique in opinionibus invicem contradicentibus, allegant

Falsum est sic credidisse veterem Ecclesiam. Falsum est sic sensisse Apostolum ll cit. S. Augustinus qui in veteri Ecclesia primum dignitatis locum obtinuit, & S. Apostolum utiq; intellexit meliùs, quàm cum Luthero è castris Augustinianis profugo Seldius, ita loquitur lib. 1. contra duas epist. Pelagian. cap. 13. *Sed de ista concupiscentia carnis falli credo eos vel fallere, cum qua necesse est ut baptizatus, & hoc si diligẽtissimè proficit, & spiritu Dei agitur pia mente confligat. Sed haec etiamsi vocatur peccatum, non utiq; quia peccatũ est* (audin' hoc Seldi) *sed quia peccato facta est sic vocatur, sicut scriptura manus cuiusq; dicitur, quod manus eam fecerit.* Idem repetit Catholicae Ecclesiae Doctor l. 1. de nupt. & conc. c. 23. *Concupiscentia*, inquit, *jam nõ est peccetum in regeneratis*, (nota benè Seldi) *quãdo illi ad illicita opera non consentitur, atque ut ea perpetrent, à regina mente membra non dantur, &c.* Et paulo post. *Sic autem vocatur peccatum, quia peccato facta est, cum jam in regeneratis non sit ipsa peccatum* (iterum nota Seldi) *sicut lingua vocatur locutio, quam facit lingua, & manus vocatur scriptura, quam facit manus. Itemque sic vocatur peccatum, quia peccatum, si vincit, facit, sicut frigus vocatur pigrum, non quod à pigris fiat, sed quod pigros faciat.* Quid jam hic dicemus? Quis meliùs mentem S. Pauli de concupiscentia assecutus meritò videri debet, S. Augustinus, an verò Seldius? Si S. Augustinus, ergo calumniatur Ecclesiam Seldius.

9. *Imagines non coluit per ea quae leguntur. cap. 1, v. 23.*	9. *Imagines Sanctorum honorat, Sanctos colit. Concil. Trid. sess. 25.*

Catholica antiquitas Sanctos, cum Deo viventes, eorumque lipsana & imagines semper peculiari & maximo post Deum cultu est prosecuta. Demonstrat. hoc Jacob. Gaulter. in tab. chron. totis sexdecim saeculis verit. 3. Falsum ergo est non coluisse. Falsum est hoc constare ex Rom. 1. v. 23. Verba Apostoli sunt: *mutuaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis*: quae testantur, gentiles hominum mortalium simulachra Numinis loco habuisse & latriae cultu veneratos esse. At Sanctorum imagines cultu inferiore & minime divino non affecisse fideles, non testantur, sed Seldius ex ingenio suo confingit.

10. *Communionem sub una specie ignoravit.*	10. *Communionem sub una specie propugnat.*

Falsum esse ostendit Becanus in Manuali, controv. 9. conclsu. 3. 4. 5. ubi demonstrat ab ipso Christo servatore & Apostolis usurpatam.

In pri-

In primitiva Ecclesia communio sub utraque viguit.

Tantùm illa viguit? Nego. Utraque in usu licito fuit. Nunc sub una tantum specie vulgo licet, quia ita Ecclesia justas ob causas præcipit.

11. Non credidit unctionem esse sacramentum.	*11, Credit unctionem esse sacramentum. Trid. sess. 14. c. 1. & 2.*

Falsum esse quod dicis Seldi, ostendit Bellarm. lib. de extr. unct. cap. 2. 3. 4. 5. *Papistæ tribuunt eius institutionem Felici 4.* Quinam illi Papistæ? *Durand. lib. 1. Ration. c. 8.* Falsum est. Sic scribit: *Octavo de extremo unctione, quæ scilicet ex institutione Felicis quarti, & ex præcepto Jacobi Apostoli datur laborantibus in extremis.* Ecce tibi ut expresse fatetur ab Apostolo Jacobo unctionem præceptam, Ergo juxta Durandum unctio fuit tempore Apostolorum jam instituta Præceptum enim vel supponit rei institutionem, vel includit. Ergo juxta Durandum Fælix quartus eam primò non instituit. Ergo, quando Durandus dicit unctionem ex institutione Felicis quarti dari, non est intelligendus loqui de prima eiusdem unctionis institutione, sed de præcepto Ecclesiastico quo jussit illud sacramentum fidelibus administrari.

Tribuit etiam Polyd. Virgil l. 3. de rer. invent. cap. 4.

Fallis an falleris? Sanè gemina est falsitas. Prior est quod laudes caput quartum, in quo ne apex est unus de unctione. Sed donemus hunc lapsum chalcographo qui quartum pro tertio scripserit. Altera verò ferenda non est, quod Polydoro tam impudenter imponas, ab illo Felicem quartum Pontificem fieri autorem extremæ unctionis.

Audi verba Polydori, & si frontem habes erubesce. *Sic quoque ab iisdem Apostolis usus ungendi periculosè laborantes manavit, dicente Evangelista Marco cum de discipulis loquitur: Egressi prædicabant, ut pœnitentiam agerent, & dæmonia multa ejiciebant, & ungebant oleo multos ægros & sanabant. Hinc igitur apparet natum, ut hodie oleo, non admisto opobalsamo, animas ex morbo agentes ungantur. Cuius rei meminit & B. Jacobus in epistola sua, unde quidam malunt illum morem ungendi ægrotos manasse. Ea ratione posthac Felix quartus mandavit ut morientes ungerentur.* Jam tu vide Prædicans quomodo fædum & infame impostoris publici nomen à te amoliri possis. Nunquid enim Polydorus verbis perspicuis dicit, unctionem illam ab Apostolis manasse?

tione personæ loci & temporis, quando illud erroneum dogma depellitur, non sola inficiatione erroris, sed provocatione ad successionem continuam antiquæ veræ fidei. Hoc Marcellius facit, ideoq; non illius defensio vitium habet, sed tua reprehensio ignorationem sapit.

CAPUT VII.

Locus V. Topicæ Marcellianæ, ab autoritate conciliorum expenditur.

SECTIO I.

Thesis Seldiana proponitur.

ITa habet: *Pontificis Romani arbitrio & placito incerto & inadæquato Conciliorum decreta confirmantur, ideoque non possunt non esse incerta & inadæquata.*

SECTIO II.

Repellitur thesis fumea.

Res est. Concilia infallibilia non sunt, nisi vel ex directione Pontificis antecedente definiant, vel eorum decretum à Pontificio calculo approbetur. Et quia Pontifex in dirigendo & approbando Conciliorum dogmate est infallibilis, sequitur oppositum eius quod Prædicans in sua fumea thesi effutit, nimirum sequitur, Conciliorum decreta esse certissimæ autoritatis, & sine hæresi eis obsisti non posse.

SECTIO III.

ἔκθεσις & ἀπόδειξις Seldii difflatur.

I. QVicquid ab incerto Pontificis decreto dependet, est incertum. Concedo Maj. *Atqui Conciliorum decreta dependent ab incerto Pontificis decreto. Ergo.* Nego Minorem.

II. *Quæcunque decreta patrocinantur opinionibus contrariis, illa sunt dubia & fallacia. Atqui decreta Concilii Trid. de gratia Dei & libero arbitrio, patrocinantur contrariis opinionibus. Ergo.* Nego Minorem. *Dominicus Sotus & Andreas Vegas, uterque in opinionibus dissidentibus allegat decreta Tridentini.* Esto. *Ergo utrique patrocinantur.* O consequentiam! Atque si quis diceret: Lutherani & Catholici, utrique in opinionibus invicem contradicentibus, allegant

pro se scripturam. Ergo scriptura utrisque patrocinatur. Ergo scriptura est dubia & fallax.

III. *Quicquid fallit & fallitur, est fallax & fallibile.* Concedo. *Atqui multa Concilia fallunt & falluntur.* Absque Pontifice? Ita sit. A Pontifice directa & approbata. Nego. Quæ verò de erratis Conciliorum affers, inania sunt & fumi jam dudum, à Bell. lib. 2. de Concil. c. 8. & ab aliis alibi dissipati.

IV. *Conciliorum decreta sunt insufficientia.* Nego. *Multa quæstiones fidem concernentes nondum sunt definita à Conciliis.* Transeat. *Ergo Conciliorum decreta sunt insufficientia.* Nego consequentiam. Illud sufficiens est, quod potest definire, cum res postulat. Atqui Concilia, etsi ob graves causas aliqua definire hactenus non voluerint, poterunt tamen, urgentibus causis id facere. Ergo Concilia sunt sufficientia. Neque hic Conciliorum & scripturæ sacræ par causa est. Nam hæc non modo non definit omnes controversias, sed etiam definire non potest, cum nulla deinceps nova condatur canonica scriptura. Concilia alia atque alia subinde coguntur, ut error qui in uno præteritus est in altero per nova decreta possit jugulari.

V. *Bellarm lib. 2. de Concil. cap. 2. §. dicit: fide Catholica tenendum esse, Concilia generalia quæ à Papa confirmantur, errare non posse.* Concedo. Perge. *Atqui idem cap. 9. §. alii, docet, ex fide humana sciri Concilium Nicanum & alia fuisse legitimè à Pontifice approbata.* Concedo. Quid inde? *Hinc contra Bellarminum sic concluditur: Quicquid nititur fide humana illud non creditur fide Catholica. Atqui Concilia fuisse legitima & ab Pontifice approbata, adeoque errare non posse nititur fide humana. Ergo Concilia errare non posse non creditur fide Catholica.* O pecuinam conclusionem! 1. Retorqueo argumentum. Nunquid Corinthii fide divina credebant & credere debebant, quicquid S. Paulus, epistolâ ad eos missâ, scripserat, & docuerat esse verbum Dei infallibile? Omnino. At unde norant Corinthii, undecimum primæ Epistolæ caput, in quo de Eucharistiæ institutione tractatur, esse ab Apostolo perscriptum? Scilicet plurimi eorum manum & sigillum Apostoli, & nuncium evidenter norant, alii qui non norant horum testimonio fidebant. Ergo Corinthii partim scientiâ partim fide humanâ norant caput 11. epist. 1. ad Cor. à S. Paulo scriptum. Jam sic. Quicquid nititur scientiâ aut fide humana illud non creditur fide divina. Atqui cap. 11. epist. 1. Cor. fuisse ab Apostolo S. Paulo perscriptum, & consequenter esse verbum Dei infallibile, nitebatur apud Corin-

Corinthios scientiâ aut fide humana. Ergo apud Corinthios, caput 11. epist. Corinth. non credebatur fide divina. Et tu Seldi, unde nosti epistolam eandem S Pauli, esse conscriptam à S. Paulo, & consequenter esse credendam fide divina? Sanè quo te cunque vertas, non invenies nisi testimonium humanum, vel tuum ipsius internum criterium, nimirum constat tibi illam epistolam esse Apostoli Pauli, vel quia ita à maioribus & præceptoribus tuis accepisti, vel quia ex privato quodam mentis tuæ arbitratu ita judicas. Ergo Epistolam Corinthicam esse S Pauli & consequenter esse fide divina tenendam, cōstat tibi vel testimonio humano, vel privato arbitrantis animi judicio. Unde sic in te tuum arietem evibro. Quicquid nititur testimonio humano vel privato arbitrio, non creditur fide divina. Atqui Epistolam Corinthiacam esse S. Pauli & consequenter esse verbum Dei, apud animum tuum nititur vel testimonio humanó, vel privato tui ipsius arbitrio. Ergo epistolam Corinthiacam esse verbum Dei, à te & apud animum tuum non creditur fide divina. Sentin' nunc ineptiam tuam, & tuo te argumento excerebrari?

2. Respondeo ad argum. in forma. Distinguo Majorem. Quicquid nititur fide humana proximè & tanquam ratione formali motiva, id non creditur fide divina. Concedo. Quicquid nititur remotè & non tanquam motivo, sed tanquam applicante & proponente motivum, id non creditur fide divina. nego Majorem. Item distinguo Min. Concilia fuisse approbata & consequenter errare non posse, nititur fide humana proximè & tanquam motivo formali. nego. Remote & tanquam applicante formale. concedo. Ergo. nego consequentiam. Res hæc tam clara est, ut absque nugatione puerili oppugnari non possit. Et certè nunquid juxta doctrinam Apostoli fides nostra nititur auditu naturali, & prædicatione naturali Ministrorum verbi, Rom. 10? Ideone non est fides divina? Nimirum fides est ex auditu naturali, & nititur auditu naturali, remotè, & tanquam principio applicante motivum. Nititur autem verbo Christi proximè & tanquam principio motivo formali Jam credo, nisi pecus es, capis pecorinam tuam, quâ Bellarminum cavillaris, argutiam.

CAPUT VIII.

Locus VI. ab autoritate Patrum examinatur.

SECTIO I.

Thesis fumea Seldii proponitur.

ITa fumat. *Pontificis Romani judicio, dubio incerto fallaci & insufficienti confirmantur Patrum testimonia & suffragia.*

SECTIO II.

Thesis Seldiana rejicitur.

PRimò falsum est suffragia Patrum niti judicio Pontificis incerto, dubio, fallaci Judicium Pontificis in materia fidei definientis est certum & infallibile.

2. Falsum est suffragia Patrum ex sola Pontificis autoritate certitudinem nancisci. Etsi enim singulorum singulatim acceptorum certa non sit & infallibilis sententia, nisi à Pontifice approbetur, si tamen omnes vel plerique omnes simul sumpti, unanimi consensu conspirent, doceantque aliquid fide divina teneri oportere, omnino infallibiles nobis habentur, etiam antequam Pontificis confirmatio & assensus accedat. Et ratio est, quia Deus, test. Apost Ephes. 4. v. 11. & 14. *dedit Ecclesiæ Doctores & pastores, ut non circumferatur omni vento doctrinæ, sed ut permaneat in veritate fidei, donec occurramus Christo in novissimo die.* Atqui si omnes illi errare possent, non posset Ecclesia manere stabilis in veritate fidei. Ergo. Præterea Pontifex cum definire vult, debet prudenter agere, & Patres atque Ecclesiæ Doctores, qui doctrinæ & sanctitatis laude semper floruerunt & florent, consulere. Ergo debet eorum sententiam, quando concors est, sequi. Ergo illa debet esse infallibilis, ex certo divinæ providentiæ nutu, ne Pontificem fallat, & in errorem abducat. Ergo etiam Patres, si illi vel mathematicè vel moraliter omnes, capiantur, antecedenter ante decretum Pontificis habent aliquam doctrinæ infallibilitatem. Ergo Seldius fallit & fallitur, cum dicit ex nostra sententia Patrum testimonia in Pontificis judicium, ultimò semper resolvi.

SECTIO III.

Veritas Catholica circa autoritatem Patrum declaratur.

UT autem fumis Seldianis omnem viam præcludamus, quanta & qualis antiquorum Patrum apud nos autoritas sit, est declarandum.

Primò

Primò ergo, quando Patres vel ſimpliciter omnes, vel ita multi, ut reliquorum ratio, prudenti æſtimatione habita, nulla meritò haberi poſſit aut debeat, in dogmate fidei conveniunt, docentque illud eſſe fide tenendum, ſumma & infallibilis eorum eſt apud nos autoritas, uti jam ſect. præced. dixi.

2. Si pars una affirmet, alia verò aut neget, aut ſaltem non affirmet, eſſe de fide, probabilis utrinque eſt autoritas, licitumque eſt alterutram partem amplecti, donec Eccleſia litem definiat.

3. In aliis dogmatis, quæ materiam fidei non attingunt, aut ubi ipſi Patres animi ſui ſenſum ita explanant, ut tamen non dicant eſſe fide tenendum, quod ipſi dicunt, etſi magna ſit eorum, præſertim cum in eandem ſententiam plerique conveniunt, autoritas, ut temerarium ferme ſit ab iis diſſentire velle, viris tamen doctis vitio non vertitur, ſi abſque contemptu & ratione quadam inſigni nixi aliter opinentur.

4. Cum autem contingit (ſæpius autem contingit) ut in re aliqua ad fidei articulum non ſpectante ita Patres invicem contendant, ut diſcordes & oppoſitæ eorum exiſtant ſententiæ, jam arbitrarium ex ea parte eſt, ſequi quod velis, aut eo animum appellere, quo maius rationum pondus propendere tibi videbitur.

Ita de iisdem Patribus ante annos plusquam milenos docuit magnus ille Vicentius Lirin. contra hæreſ. cap. 39. dicens: *Sed eorum duntaxat Patrum ſententiæ conferendæ ſunt, qui in fide & communione Catholica ſanctè, ſapienter, conſtanter, viventes, docentes, & permanentes vel mori in Chriſto fideliter, vel occidi pro Chriſto fœliciter meruerunt. Quibus tamen hac lege credendum eſt, ut quicquid vel omnes, vel plures, uno eodemque ſenſu manifeſtè frequenter, perſeveranter, velut quodam conſentiente ſibi magiſtrorū conſilio accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint, id pro indubitato, certo, ratoque habeatur. Quicquid verò, quamvis ille ſanctus & doctus, quamvis Epiſcopus, quamvis confeſſor & martyr, præter omnes, aut etiam contra omnes ſenſerit, id inter proprias & occultas, & privatas opiniunculas à communis, publicæ ac generalis ſententiæ autoritate ſecretum ſit: nec cum ſummo æternæ ſalutis periculo juxta ſacrilegam hæreticorum & ſchiſmaticorum conſuetudinem, univerſalis dogmatis veritate dimiſſa, unius hominis novitium ſectemur errorem.*

SECTIO

Sectio IV.

Futiles Seldii fumi, contra autoritatem Patrum, adducti, disnubilantur.

I. *Consensus Patrum est dubius.* Semper & eorum quorum nos autoritate utimur? Falsum est.

Dubius est consensus eorum Patrum, quorum scripta non extant. Sit ita. Sed quid hoc ad rem præsentem? An nos ad probandum adducimus consensum & autoritatem Patrum quorum scripta non extant? Cur ergo hoc adducis Seldi, nisi ut ostendas te frivolum esse?

Sed & eorum consensus est dubius quorum exant opera. Semper? & in omnibus? ostende. *Quia eorum scripta ab hæreticis corrupta sunt.* Omnia? & illa quibus nos ut incorruptis utimur? Falsum est. *Quia Papistæ eorum scripta pessima fide tractant.* Pessima fide immeritos accusas. *alienum sensum eis affingendo.* Tu Papistis hoc affingis. *testimonia mutilatè citando.* Citare testimonia mutilata debebas, non nos falsè criminari, uti facis. *in editionibus non pauca mutando.* In editionibus probis incorruptis? calumniaris. *Gerhardus, Chamierus, Rivetus, Junius, specimina huius rei ediderunt.* Præclari nempe viri! specimina edidere, calumniæ suæ in nos patratæ.

II. *Consensus Patrum ab ipsis sæpius infirmatus & rejectus est.* Calumnia est impudens. Nunquam consensus Patrum ab ullo, qui probus Papista fuerit, est rejectus.

Exempla suppeditat, Maldonatus passim in suis commentariis. Falsum dicis, non suppeditat, Aut proba, aut calumniator audi. *Matth. 11. v. 11. fatetur nullam supetere Patrum expositionem, in quo acquiescere possit.* Benè habet. Infer. Ergo rejicit consensum Patrum? Digna fumo vel ponte asinino illatio. Diversæ Patrum expositiones, non est consensus Patrum. Ostende sis, ubi Maldonatus expositionem aliquam communi Patrum, vel mathemathicè vel moraliter, omnium, repellat, aut permitte ut te pro calumniatore habeam.

Ipse sanè comm. in c. 6. Joann. pag. 638. inquit, *Modesti non est ingenii, & Ecclesiasticis moribus pietateque instituti, omnium veterum Patrum consensum, contemptim fastidioseque repudiare, &c.* Quomodo ergo fieri potest, ut Maldonatus quod tam graviter culpat, ipse committat? Non ita levis est & immemor sui Maldonatus.

Idem Maldon. Matth. 19. v. 11. exponens, rationem consensui & autoritati omnium opponit. Falsum est. Nam imprimis non est sermo ibi de Pa-

de Patribus, doctrinam, quæ ad fidei articulum spectet, tradentibus, sed de sacræ paginæ expositoribus. 2. Falsum est quod omnium autoritati se opponat. Adducit autorem suæ interpretationis S. Epiphanium.

Confer plura super Matth. 26. v. 11. Contuli, sed nihil invenio, nisi te fallere. *& v. 29.* Hic reperio quod ab interpretatione quorundam Patrum à se allatorum recedat. Hinc tu probas à Papistis consensum Patrum rejici? Moldonatus est Papista, sed non Papistæ. Ab uno Papista, aut à pauculis universos accusare nunquid stultitia & ineptia est? Præterea aliquorum Patrum interpretatio, non est communis Patrum consensus de dogmata fidei.

Joan. 3. vers. 8. & 11. rejectis omnium & singulorum expositionibus, tandem subjicit : sic ergo interpretor.

1. Non rejicit expositionem omnium communem, sed diversorum diversam. Ergo consensum Patrum non rejicit, quod tu probare debebas. 2. Versu 8 neutram Patrum expositionem planè rejicit, neque suam sequendam venditat, sed tantum doctioribus considerandam proponit. Verba Maldonati eccilla. *Itaque etsi novarum interpretationum laudem minimè ipse quærere, minimè in aliis laudare soleo, tamen cogor hic paribus utrinque impulsus rationibus novam interpretationem, si non sequi, certè indicare omnibus & doctioribus relinquere judicandam.* Quid hic contemptus? Cum Maldonatus duas Patrum inter se confligentium acies cerneret, nec satis ipsi liqueret, in quam partem veritatis victoria inclinaret, maluit viam quandam mediam non tam ipse ingredi, quàm aliis expendendam offerre.

Didacus Stella in comment. Luc. 10. v. 21. à communi interpretum sensu recedit. In unius voculæ explicatione. verum est. Sed quàm modestè? *Nunquam,* inquit, *sensus hic nec quadrare, nec intellectui satisfacere potuit. Absit ut ego velim condemnare, quod tot tantique sapientes simul & docti affirmarunt : benè tamen scimus, Pygmæos gigantum humeris impositos plusquam ipsos gigantes videre.* Intelligis jam Didacum Stellam non rejicere communem aliorum explanationem, sed suam conjecturam simpliciter & candidè proferre.

Idem Didacus in Luc. 15. accusat omnes tam novos quàm veteres interpretes quod in explicatione parabolæ filii prodigi hallucinentur. **In explicatione literali. verum est. Sed quid inde? Ergo Didacus Stella communem Patrum consensum infirmat & rejicit? Non sequitur mi homo. Nam in explicatione illa literali non reperit Didacus ex-**

positorum consensum, cum ipse diversas eorum explanationes ad quatuor diversa capita revocet quomodo potuit ergo consensum eorum spernere? Et si ipsis invicem dissentire fas fuit, cur non Didaco Stellæ? Ergo hæc exempla, & duorum tantum Papistarum sunt, & frivola sunt.

Similia alia numero plurima in Cornel. à. Lap. Valent. Vasqu. &c. occurrunt. Ita similia, id est frivola & inania, & nihil probantia, quæ neque Marcellius, neque quis alius homo sensu & judicio præditus aut grato animo accipere, aut æquo ferre possit.

III. *Consensus Patrum est sententiis sibi invicem repugnantibus obnoxius.*

Papæ! consensus? Quid loqueris homo? Vis dicere Patres in omnibus invicem repugnare? Stultitia est. In aliquibus dissentire? Id quidem verum est, sed consensum in aliis non tollit. Fatemur in quibusdam, & præsertim iis quæ fidem non ita prope attingunt aliquid inter eos subinde existere discordiæ, & tunc ad eorum consensum non provocamus. At in articulis fidei, ubi summus est consensus, meritò eorum autoritatem contra hæreticos, qualis est Seldius, extollimus.

At dissentiunt Latini à Græcis in materia fidei.

Quando contingit in ea dissentire, tunc equidem in illa determinata materia, in qua dissentiunt, non utimur eorum autoritate. Quid jam vis? Ut evertas autoritatem Patrum debes ostendere non in aliqua parte, sed in omni omnino fidei objecto invicem belligerare. Id non facis. Sed neque ostendis in aliqua parte dissidium.

1. *In controversia Pelagianorum & Semipelagianorum, nullus fuit Orientis & Occidentis consensus.*

Nunquid hic fingis Seldi? An non enim in Concilio Diospolitano ab Episcopis Orientalibus damnata est hæresis Pelagiana, teste S. August. lib. 2. de pecc. orig. cap. 14. & l. 2. Retract. c. 47? Licet enim. faver hæreticus synodo imposuerit, & ipse dolo sententiam anathematis effugerit (ob quam causam S. Hieron. ep. 79. ad August. synodum miserabilem appellavit) tamen eius errores penitus condemnati fuerunt. An non eadem in Concilio Oecumenico Ephesino Orientali, una cum Nestorianismo explosa? An non Prosper testatur cum ignominia sepultam, & Ephesios cives ardore fidei æstuantes, auditâ damnationis sententiâ, omnes Pelagianos Episcopos populari tumlutu ex urbe expulisse? Ergo Oriens damnavit Pelagium. Jam verò de Occidente res clara est. S. August. & S. Hieronym. acerbè illam hæresin

insectari

insectati sunt, Concilia gemina Carthagin. Unum Roman. & alterum Milevit. errorem anathemate perculerunt, Leo Papa & Prosper ex Ecclesia excidere, Honorius Augustus toto imperio proscripsi, teste Prospero & Possid. Ergo in ea peste amolienda Oriens Oriensque uno animi consensu laboravit. Ergo Seldius fumos vendit.

Claud. Espencaus dicit Gracos περὶ τῦ ἀντεξυσίυ cautè legendos, & in catalogis hareticorum à Gracis confectis, Pelagii non fieri mentionem.

1. Claudius Espensæus non magni apud nos est testimōii, quem scimus de nimia aliquandiu cum Beza familiaritate suspectum, eiusque libros nigro theta notatos esse. 2. Non sequitur Græcos favere Pelagio, quod cautè legendi sint, vel quod eius nomen in syllabo erronum non recenseant. Nam etiam Catholici autores, ubi obscuriùs aliquando loquuntur, illâ legendi cautelâ opus habent, & eorum qui hæresum catalogos texuerunt, tam pauci sunt, ut etiamsi Pelagianæ mentionem non faciant, non ideo aut illi adhæsisse, aut cæteros Græcos Doctores in suspicionem favoris adducere posse videri debeant.

Huiusmodi dissensum fatetur Sixtus Senens.

Falsum est. *Scribit Chrysostomum disputando contra Manichaos natura vires plus aquo extollere, Augustinum verò pugnando contra Pelagianos in contrariam fossam incidere videri, minùsque quàm par sit tribuere libertati voluntatis humana.*

Fallis. non scribit utrumque in contrarium errorem incidisse, sed insigni pietatis ardore ita inflammatos fuisse in hæreses, *ut dum unum errorem omni virium conatu destruere annituntur, sape in alterum errorem oppositum, vel deciderint, vel quodammodo decidisse videantur.* Non ergo ex mente Sixti in oppugnando Pelagii errore dissensit ab Augustino Chrysostomus, sed dissensisse videri potest, ex ingenti molimine quo Manichæos naturæ libertatem destruentes, evertere conatus fuit. Vin' tu verò ostendam tibi, Sixtum Senensem existimasse, Chrysostomum æquè parum favisse Pelagianis atque Augustinum? Ita loquitur in ead. præfat. ad lib. 5. Bibl. *Pelagiani haretici adversus originale peccatum & contra divina gratia auxilium dimicabant, perperam usurpatis Chrysostomi & Augustini sententiis*: Si Pelagiani ex mente Sixti dicta S. Chrysostomi perperam pro errore suo usurpabant, ergo non sensit pro illis. Ergo non dissensit ab Augustino in ea re.

Sic Maldonatus in Comm. ad Joan. 6. Caveat, inquit, Lector, si Chrysostomum legat, ne incidat in Pelagianorum haresin.

Inprimis malè descripsit Seldius. Maldonatus eo loco nihil tale habet. Deinde habeat, quid tum postea? Ergo putat Chrysostomum favere hæresi Pelagianæ? Non sequitur. Contingit Chrysostomo, idem quod sacræ paginæ, ut ab imperitis non intelligatur, & errori non suo sed legentis vitio, favere videatur.

2. *In capite de prædestinatione est manifestus dissensus.*

Ita, ut inter nos etiamnum hoc tempore de prædestinatione lis illa agitur, magno & acri ingeniorum & judicii divortio, sed tamen absque injuria & detrimento fidei Catholicæ. Neutra sententiarum est de fide. At tu promittebas te probaturum dissensum in materia fidei. Quomodo ergo jam subsistis? Fatemur in controversia de prædestinatione ad gloriam, ex SS. Patribus non nisi probabile argumentum in alterutram partem adduci posse.

SECTIO V.

Antithesis Seldianæ, & fumosæ illationes eiusdem rejiciuntur.

EX dictis suis falsis Seldius quid diducere potuit nisi falsum? Libet crepitacula puerilia (nam revera nihil sunt aliud) audire. Nam audire est refutare.

I. *Marcellus & Papistæ imprudenter testimonia Patrum contra Lutheranos adducunt.* Audite ergo Papistæ stupidi, stolidi, prudentiâ destituti, discite prudentiam, à prudentiæ dictatore Römhildensi. Ille sic vobis imprudentiam vestram ante oculos ponit.

1. *Quicunque per omnia secum non consentiunt, ad illorum consensum, Papista provocare nequeunt. Atqui Patres per omnia non consentiunt. Ergo.*

Perpol Seldi, si tu per omnia saperes & prudens fores, tam inepte non argueres. Nego Maiorem. Certè tu per omnem prudentiam tuam nunquam rem tam perspicuè falsam probabis. Ut ad consensum Patrum appellemus, sufficit eum in aliquibus rebus reperiri, neque est necesse in omnibus omnino existere. Quando Patres invicem dissentiunt, (quod subindè accidere non diffitemur) tunc equidem ad eorum consensum non provocamus. Et si tu tam stultus es, ut nos eius imprudentiæ arguas, nos tam stulti non sumus, ut eam imprudentiam committamus.

2 *Quic-*

2. *Quicunque contradicentibus consentit, illa contradictoria fovet.* Si in eo, in quo contradicunt invicem, consentit. concedo. Si in alio consentit, in quo consentiunt. nego Maiorem. Jam perge ad Minorem. *Atqui Ecclesia Romana consentit Patribus invicem contradicentibus.* In ipsa contradictione. nego Minorem. In alia materia in qua consentiunt. Concedo. *Ergo.* Conclusio tua, Seldi, per nimiam sapientiam facta est insana.

II. *Papistæ iniquè & impertinenter citant Patrum suffragia.* An tam impertinenter & iniquè, quàm tu illos criminaris? Neutiquam. Face enim syllogismum & res ipsa tuam loquetur impertinentiam.

Quicunque à Patrum sententiis & expositionibus non rarò recedunt, illi iniqui sunt, dum alios, qui eodem jure utuntur, reprehendunt. Atqui Papistæ non rarò recedunt. Ergo.

1. Ubi manet impertinentia Domine Superintendens? An iniquitas & impertinentia idem est vitium? 2. Distinguo Majorem. Quia recedunt à sententiis in materia fidei & expositionibus, in quas communiter Patres omnes consentiunt. concedo Maj. qui in sententiis recedunt, in quas communi suffragio & consensu non conveniunt. nego. Atqui Papistæ à communi Patrum opinione, in rebus credendis, nunquam recedunt, tantum abest, ut non rarò recedant. Ergo Seldius nos accusat imprudenter, impertinenter, iniquè.

III. *Papistæ fraudulenter testimonia Patrum advocant.*

Ostende fraudem, sed absque tua fraude si potes.

1. *Ex unius vel alterius Patris suffragio consensum & professionem totius Ecclesiæ dijudicant. Exemplum: Ex scriptis Ambrosii & quorundam paucorum consensum Ecclesiarum Europaarum, ex Augustino Africanarum, ex Hieronymo Asiaticarum.*

Benè habet quidem. Sed amabo quæ hic fraus est? Aut quomodo tutiùs & syncerius fidem & professionem Ecclesiæ testatam facere possumus, quàm eos adducendo, qui vitæ intergritate excelluerunt, & de religione Christiana doctissima commentaria ad posteros transmiserunt? At pauci eorum sunt? Quid tum, ubi multi haberi non possunt? Aliàs, quid facies historiæ & temporum præteritorum narrationi, quæ non nisi paucissimorum quorundam scriptis constare nobis solet? Excutiemus quæso unum è tot exemplis ut appareat, quàm fraudulenter de fraude ab hoc Prædicante accusemur. Lis nos inter & Lutheranos est, an sancti, qui è vivis excessere sint honorandi

& à nobis invocandi. Nos inter cætera ad fidem & usum antiquæ Ecclesiæ & communem priscorum Patrum consensum, provocamus. Atque ut eum consensum probemus ex singulis ordine sæculis producimus eos, de quorum religione & doctrina integerrima est omnium opinio. Exempli gratia, ut ostendamus fideles sæculi quarti sanctos coluisse & invocasse, producimus testes S. Antonium, S. Athanasium, S. Hilarium, S. Ephrem, S. Basilium Magnum, S. Gregor. Nazianzen. S. Gregor. Nyssen. S. Ambrosium, S. Epiphanium S. Cyrillum Hierosol. S. Hieronymum, Concilium Gangrense, Eusebium Cæsariensem, Prudentium, qui omnes illo sæculo vixerunt. Quid hic quæso fraudis? Iterum sæculo quinto, ad eandem rem comprabandam, producimus S. Chrysostomum, S. Augustinum, S. Paulinum. S. Cyrillum Alexand. S. Proclum Constantinop. S. Maximum Taurinensem, S. Hilarium Arelat. S. Petrum Chrysol. S. Leon. Magn. S. Eucherium Lugdun. S. Prosperum Aquitan. S. Victorem Uticensem, S. Sidonium Apollin. S. Gelasium Pap. I. S. Avitum Vienn. Paulum Oros. Hesychium presbyt. Hierosol. Sozomenum, Theodoretum, Gennadium Massiliens. Patres Concilii Chalcedon. qui illud sæculum illustrarunt, & omnes Sanctorum invocationem moribus & scriptis propugnavere. Et quid hic fraudis? Atque ita tota sedecim Ecclesiæ Catholicæ sæcula, á Christo nato ad nostram usque ætatem decurrimus, ut videre est in Tab. Chronogr. P. Jacobi Gaulterii. Et quid hic, ut iterum rem tam perspicuam urgeam, quid hic inquam fraudis aut esse aut dici potest? Ne pappus quidem.

2. *Fraus Papistarum patet ex multiplici aquivocatione.* Quo modo? *Patrum linguam imitantur, mentem ejurant & aversantur.* Tu videris omnem bonam mentem ejurasse, ita audaciter calumniaris. *Multi è Lutheranis & Calvinianis id hactenus observarunt.* Quod non est, observarier non pote. Tu semper dicis tantùm, quando tandem probabis? Ad calendas græcas.

3. *Patet fraudulentia ex insidiosa illusione.* Scilicet opus habent insidiis & illusione contra Lutheranos, quos toties aperto Marte profligarunt. Sed proba insidias & illusionem.

Insultat Marcellius Lutheranis, quod admittant Patres sub hac conditione, quatenus cum scriptura consentiunt. Ita. Sed quæ hic insidiæ, aut quæ demum illusio? *Contendit illa propositione nihil aliud significari, quàm si clarè enunciarent, se recipere Patres, quatenus nihil contra se docent.* Si ita. Ubi insidiæ & ubi illusio? *Potest jure potiori hoc in Marcellinum*

cellium retorqueri. Et ideo, quia retorqueri, ut tu putas, poteſt accuſatio, eſt inſidioſa illuſio? O cerebrum hominis! ſed tamen oſtende quomodo retorqueas.

Recipit Marcellius Patres, quatenus ipſorum ſententia perſpicua divinarum ſcripturarum Veritate firmatur. Ubi hoc dicit Marcellius de Patribus univerſim, & invicem conſentientibus? Nullibi. Ex Patrum unanimi ſenſu & ſcripturam & ſcripturæ ſenſum diſcimus Catholici, & non viciſſim ex ſcriptura unanimem Patrum conſenſum judicamus. Ubi verò contingit ſcripturæ mentem Eccleſiæ autoritate nobis conſtare, & de aliquorum Patrum ſubinde ſententia ambigi, tunc eorum opinationem ſcripturæ trutinâ expenſam aut recipimus aut repellimus.

Ergo ſequitur quod Eccleſia Romana non admittat Patres, niſi quatenus illa ita eos explicat, ut nihil contra ſe doceant.

Diſtinguo, ſequitur quod quoſdam Patres, conſenſu omnium communi deſtitutos non aliter recipiat. concedo. Omnes Patres, unanimi conſenſu aliquid eſſe de fide credendum, docentes: nego ſequelam. Horum enim judicium Eccleſia in definiendo ſequitur, ut ſect. 2. & 3. dixi.

CAPUT IX

Locus VII. Topicæ Marcellianæ, complectens ἀσυλλογιςίαν & ἀναπόλυθείαν, excutitur.

SEd quid nomino Locum ſeptimum quem Prædicans vocat ſextum? Uter noſtrum errat? Videamus. Seldius initiò libellum ſuum inſcribit Topica Marcelliana in ſex locos Jeſuiticæ Theologiæ proprios digeſta. Ergo ſex ſunt. Deniq; ſub finem ſextum locum nominat, qui complectitur ἀσυλλογιςίαν. Ergo iterum ſunt ſex. Ego verò veſtigia Seldianæ id eſt erraticæ & planetariæ deductionis legens, reperio & numero, niſi valde fallor, ſeptem. Primus eſt ab autoritate Romani Pontificis hodierni. 2. à ſcripturæ teſtimoniis. 3. à traditionibus non ſcriptis. 4. ab autoritate Eccleſiæ. 5. ab autoritate Conciliorum. 6. ab autoritate Patrum. 7. complectens aſyllogiſtiam. Ergo ſunt ſeptem. Nunquid? Ergo jhr liebe Leuth von Römhilden/ bittet für einen Predicanten der ſich verrechnet hat. Miſeret me incogitantiæ tuæ doctoralis, Seldi. Tertium locum geminatò poſuiſti, cumque abſoluto

opere

opere numerum quem præfixeras non reperires, ut constares tibi, locum aliquem auctarii loco ex inaniis imaginariis cerebri tui substituisti. Hinc modò risum propinas. Et quæso quo colore potes asyllogistiam Marcellianam (si quidem talis demonstrari in scriptis Marcellii posset) referre inter locos Topicæ Marcellianæ? Nam Locus Topicæ Marcellianæ est, ratio quædam unde Marcellius argumentum capit ad te & tuos Lutheranos oppugnandos. Nunquid verum est? Atqui Marcellius ex sua propria asyllogistia non capit argumentum ad te tuosque oppugnandos. Ergo. Si asyllogistia à Marcellio patrata aliqua existit, posset ea esse tibi locus, unde telum in Marcellium promeres & acueres. At verò, ut eam dicas spectare ad pharetram unde Marcellius arcum in te suum armet, id omnino tolerari non potest. Veruntamen, ut ne tam duri in te simus hodie, condonemus tibi lapsum numeri, dissimulemus etiam, si placet, quod Loci notione pueriliter abusus sis, dicamus voluisse te arguere Marcellium, quod è senis illis Topicæ suæ locis tam imperitè arguat, ut perpetuâ videri possit asyllogistiâ hallucinari. Hoc igitur quàm inaniter & quanta tu cum asyllogistia dicas videamus.

SECTIO I.

Thesis Seldiana exponitur.

ITa delirat. *Pontificis placito & arbitrio confirmatur Pontificium, in specie vero Marcellianum, fallacissimum inferendi artificium.*

An non hæ nugæ sunt Seldi? Quis unquam Pontifex de artificio inferendi aut de Logica quicquam definivit? Quis fallacias comprobavit? Et si Marcellius fallaci usus est inferendi artificio quid hoc ad Pontificis placita? Nempe vis dicere Marcellium ad stabiliendam Pontificis autoritatem & Pontificiæ religionis firmitatem abuti sophismatis & captionibus. Hoc ergo quàm ostendas fallaciter, inspiciamus.

SECTIO II.

ἔκθεσις & ἀπόδειξις Seldii græcus fumus germano candore dispiritatur.

M*Arcellius vitiosissimè argumentatur.* Hau vitiosissimè. Timeo pol ne tu ineptissimè & falsissimè crimineris Marcellium. Perge tamen ostendere vitia vitiosissima.

I. *Argu-*

I. *Argumentatur à verbo Dei scripto ad non scriptum.* Esto faciat. An semper vitium est à verbo scripto Dei, ad non scriptum verbum Dei argumentari? An non rectè dicam: Verbo Dei scripto obediendum, & honor habendus. Ergo etiam non scripto verbo Dei: nimirum à paritate rationis, cum hoc tam verè sit verbum Dei quàm illud? Ergo tu hic ineptis. Deinde proba Marcellium id facere. *Dicta quæ de verbo scripto loquuntur ad non scriptas & fictitias Traditiones extendit.* Ergo Marcellius argumentatur à verbo Dei scripto ad non scriptum? Quæ malum ista amentia est? An extendere locum scripturæ ad aliquid, est ab illo argumentari ad aliud? Deinde nego Marcellium extendere verba, quæ de verbo solo scripto loquuntur. Dico cum Marcellio hæc verba: vivus est sermo Dei & efficax: de omni omnino propriè intelligi, tam scripto quàm non scripto Dei verbo. Quid jam dices? Me unà cum Marcellio falli? At probandum est istuc, non dicendum tantùm.

II. *Argumentatur ab Ecclesiastica censura ad controversiarum normam.*

Nego facere. Verba: *qui Ecclesiam non audierit, &c.* quæ Marcellius adducit, non tantùm intelliguntur de censura, sed etiam de quovis peccato & negotio fidei quod ad Ecclesiæ judicium defertur.

III. *Ab eadem terminatione vocum, ad eandem significationem.* Quomodo sodes? *Nimirum quia Syriacum Cephas in textu sacro, ubi de S. Petro loquitur Christus, bis ponitur, colligit in eadem significatione poni, & significare semper Apostolum Petrum.* An hæc asyllogistia est, ab eodem vocabulo arguere ad eandem significationem? O cavillos Prædicanticos!

IV. *A Petro Apostolo argumentatur ad Papam.* Nugaris, non facit. Sed dicit promissionem fidei infallibilis, Luc. 22. S. Petro factam, intelligi debere etiam de successoribus S. Petri, qui sunt Romani Pontifices. Idque dicit post S. Leonem, S. Cyprian. & alios Patres laudatos à Bellarm. lib. 1, de Rom. Pontif. An tu verò putas, Seldi, nos tam parum judicio valere, ut persuadere nobis sinamus, tibi potiùs, aut nescio cui Keslero heri vix nato, fidem adhibendam esse, quàm veteranis illis antiquæ Ecclesiæ Ducibus & antesignanis, qui privilegium infallibilis & indefectibilis fidei eodem jure ad Pontificem Rom. velut successorem pertinere docuerunt?

V. *Ab Ecclesia universali, ad particularem Romanam.* Falsum est, non facit. Ecclesiam Romanam Marcellius appellat eo loco,

Ecclesia & verum fidei dogma. Neque hic quicquam ad rem facit Elias, qui ignorabat septem millia esse in Israel fidei integræ, cum tota natio palàm à cultu divino defecisset. Etsi enim Elias ignoraret illam Ecclesiam, omnes tamen alii non ignorabant, vel ibi vel in Judæa aliquem esse fidelium cætum super, qui Deo eiusque legi adhæreret. At Ecclesiam Luthericam non tantùm unus Marcellius, sed orbis, qua patet universus, quatuordecim & quod excurrit, sæculis ignoravit.

XII. *A negatione vocis ad negationem dogmatis.*

Rectissimè, maximè juxta tua principia, qui doces, nihil pro dogmate fidei tenendum, quod non est in scriptura expressum. Cur tu dicis hominem SOLA fide justificari cum scriptura id non dicat? Fide justificari dicit, sola fide, non dicit.

Æquipollenter dicit. Hoc probandum est, non dicendum. Donec id faxis, Marcellius rectè arguisse dicetur. *Ad Gal. 2.16. æquipollenter dicitur fidem solam justificare.* Nego. *Dicitur, quod non justificetur homo ex operibus legis, nisi per fidem Jesu Christi* Verum est. At non dicitur nisi per solam fidem. Excluduntur à justificatione opera Mosaicæ legis, sed non omnia opera bona & justa, charitatis, spei, religionis, temperantiæ ex fide profecta.

XIII. *A notione fidei, quatenus pro sola externa professione, & nuda jactantia nimis impropriè accipitur ad fidem justificantem.*

Nego. Jacobus 2. cap. cùm negat fidem sine operibus prodesse, intelligit fidem internam propriè dictam. Quæso an Abrahami fides, erat fides nimis impropriè, & sola externa professio, & nuda jactantia? Tamen Jacobus dicit Abrahamum ex operibus & non ex fide tantùm esse justificatum.

XIV. *Ab impietate auditorum ad falsitatem doctrinæ.*

Jure optimo Marcellius arguit. Nam etsi fieri possit ut inter Catholicos pessimi quidam existant, planè ut inter Apostolos repertus est Judas proditor, ut ex impia hominum vita præcisè spectata non possit colligi dogmatum perversio. Quando tamen ex principiis dogmatum quæ in aliquo cætu traduntur, morum depravatio consequitur, rectè omnio doctrina culpatur. Ita hic res se habet. Insana ea morum licentia, quam & Lutherus ipse agnovit, fructus est non tam ingenii humani, quàm vestri Pseudo-Evangelii. Quia nimirum docetis solam fidem justificare, opera verò bona minimè necessaria, imò & saluti noxia esse, hinc velut ex equo Trojano omnium actionum

laudabilium contemptio & neglectus prodiit. Quis benè faxit si id saluti aut non prodest aut obest? Docuit Lutherus sola infidelitate hominem damnari posse, & Christianum, etsi velit, non posse perire quibuscunque etiam peccatis, nisi nolit credere. Quis hac persuasione imbutus non dicat: Bene est. Inebriemur, fornicemur, adulteremus, furemur, occidamus licet, tamen perire non possumus. Credamus modo firmiter Christum pro nobis passum, eiusque gratiâ nostra nobis flagitia condonata esse, de reliquo vivamus ut libet. Ecce tibi vitam Seldi, planè probrosam, & libertatem morum, libidinemq; plusquam Turcicam, sed ex intimis Luthericæ doctrinæ medullis nascentem. Tu minaris ex nescio quo Caspare nigro, te retorquere in nos velle. Sed adsis modo. Objicies nobis multa per calumniam conficta, & quædam etiam vera nostrorum facinora, sed doctrinæ nostræ planè adversa. De cætero vide, si potes, ut ne tam fumeos & inanes fumos, ut hactenus fecisti, orbi obstrudas. Aliàs non tantùm nobis nostroque lumini nihil officies, sed tuo nomini hanc infamem suscipies maculam, ut fumivendulus Römhildensis, non modo apud nos, sed etiam tuos, audias.

FVMI-

FUMIVENDULI

RÖMHILDENSIS

EXPLOSI

PARS ALTERA.

Exegeticam Anti-Marcellianam excutiens.

DUas partes complectitur hæc Seldii exegesis. Primò in Epist. dedicat. accusat graviter Marcellium & hypocrisios & sophismatum, & laboris frustranei. Deinde quæ idem Marcellius 1. Protestationis suæ cap. ex sacris literis fundamenta adduxerat, arguere & subruere molitur. Utrumque autem, partim stupidè, partim malignè agit Prædicans, hypocrita & sophista. Id candidè demonstratum eo.

CAPUT I.

Prædicans Römhildensis in Epist. dedicat. Marcellium iniquè cavillatur & traducit.

§. 1.

Primum accusationis caput fumeum, hypocrisis.

I. SIc fumat fumigator Römhildensis.

Quicunque concordiæ studium (in negotio Religionis) lingua & ore ambit, ut tamen ne in minimo quidem cedere aut velit aut possit, ille hypocritam agit, aliud ore promittens & aliud mente promens. Atqui Marcellius id facit. Ergo:

II. Hem quantum fumi molimen! At levi ventulo difflabitur. 1. Retorqueo in te fumum cavilli tui. An tu ipse concordiæ nobiscum ineundæ animum ex animo habes vel non? Si non, ergo hypo-

crita es, cum dicis te immeritò à Marcellio accusari, *quod à pacis studio sis alienus, & quod compositionis spem omnem intercidas.* Si es, adhuc hyprocrita es tuo ipsius argumento. Sic ostendo. Quicunque concordiæ studium calamo & ore præsefert, in negotio religionis, ita tamen ut ne in minimo quidem velit aut possit cedere, ille hyperita est. Atqui Seldius facit. Ergo. Minorem probo. Nam imprimis in Epist. dedic. profiteris te compositionis & concordiæ cum Papistis spem non intercidere. Deinde non potes, vel in minimo, quod ad religionem verè attineat, à tua opinatione discessionem facere, & nostro (ut tu appellas) errori cedere. Nunquid? Ergo tu vis in tua religione, quod Marcellius in sua. Ergo & tu hypocrita es, vel si tu non es, Marcellius adæquè non est. Ergo Marcellium iniquè criminaris.

III. 2. Respondeo ad formam. Nego Maiorem. Et certè usque ad putorem falsa est. Quid enim? An ad duarum partium concordiam, omnino necesse est, utramque vicissim cedere? O te pepone insulsiorem, si id putas! Enimverò tunc concordia initur, cum partes, quæ mutua ante dissensione divellebantur, nunc in eandem sententiam conveniunt. Atqui, hoc fieri potest, etsi una earum partium in suæ opinionis statu immotè composita persistat, modò altera huic in omnibus accedat. Ergo. Et quæso te Seldi, vel semel hic sternutato, & ubi sternutatione cerebellum levaveris, mentem adverte & responde. Nunquid si Marcellius Papista, uti per caput & pedes est, ita firmissimè perstet esse, tu verò mente mutatâ & Lutherismo animitùs (quod Deus faxit) ejurato Papista fieres, nunquid inquam extempulò te inter & Marcellium concordia foret? Ita meo equidem animo, foret. Tamen Marcellius ne in minimo quidem tibi concessisset. Ergo concordia iniri cum Marcellio potest, etsi ille nihil à sua mente discedat. Talpa hanc rem videat.

IV. *At Marcellius profitetur non posse diversas inter religiones temperamentum politicum constitui, ita ut pars utraque utrinque cedat.*

Necdum intelligis? Mutuâ utrinque circa fidei articulos cessione constitui rectè & licitè non potest. Nam si is qui rectè sentit cedat, nunquid à fidei integritate deficit? Omnino certè. Attamen concordia iniri potest, si is qui errat, errore posito veritatem omnimodè amplectatur. Ad quam rem multum conferet, si Catholicus ex sua parte, in gratiam eius, quem ad se pellicere nititur, aliquid remittat, non

equidem

equidem de fidei suæ synceritate (id enim verò nefas) sed de nimio arguendi & convincendi adversarii ardore, de victoriæ & ingenii ostentatione, de partium adversarum odio, si quæ ambiguè & obscurè à se dicta sint, clariùs & apertiùs explanet, si quæ ab adversario incerta dicta sunt, & tamen cum fide non pugnant, pacis causâ vel admittat vel in præsens dissimulet. Atque hoc ipsum Marcellius loco à citato perspicuis verbis, ad cætera à te laudata addit, ita scribens num. 15. *Possunt nihilominus, quo vel ambigua vel malè intellecta sunt, ita paulatim clarè & distinctè omnibus proponi, ut orthodoxæ religionis splendor tandem etiam errantibus affulgeat: præsertim si sepositis odiis & affectibus privatis, Christianæ veritatis fundamenta æqua mentis bilance, desiderata tam diu pacis studio expendantur, si sublato omni contentionis & vanæ gloriæ studio, puro zelo gloriæ Dei, collatio omnis & disputatio instituatur, si rationes modestè & cum charitate adferantur, eo animo ut suus veritati sit locus, non autem ut hic aut ille superior videatur.* Jam vides Marcellium non esse hypocritam, sed te calumniatorem.

§. 2.

Altera criminatio Seldii, de sophistia & impostura, fumea.

Seldius Principi suo fumum facit fumosissimum. Sanctè attestatur laborem scribendi à se susceptum, *non ut falsis criminationibus religionem suam tueatur*, & tamen nihil agit magis. Paulò ante hypocrisin falsò affinxerat Marcellio, nunc sophistiam & imposturam, ipse Sophista & impostor publicus imponit.

I. *Marcellius* inquit, *Sophistam agit 1. in thesibus suis exprimendis & concipiendis.* Tu Sophistam agis in hoc affingendo. *Committit fallaciam æquivocationis.* In quo sodes? *Cum mentionem facit Ecclesiæ indefinitè & illimitatè, intelligit tamen solam Romanam definitè.*

Tu fingis æquivocum ubi non est. Per Romanam Ecclesiam non intelligit Marcellius definitè illam, quæ hoc tempore Romanæ Urbis ambitu circumscribitur & arctatur, sed indefinitè illam, quæ quovis loco & tempore illimitatè Romanum Pontificem pro capite suo agnoscit & agnovit. Hoc si tu non percepisti, stuporem tuum accusare debes, & non Marcellii sophistiam calumniari.

II. Pergis. *Marcellius Sophistam agit in dogmatibus suis probandis.* Proba Prædicans, proba. *Pro incertitudine gratiæ justificantis adducit*

adducit gnomen Salamonis Eccl. 9. 1. Sunt justi & sapientes, & opera eorum in manu Dei, & tamen nescit homo, utrum amore aut odio dignus sit, sed omnia in futurum servantur incerta.

Concedo quod adducat. Sed quomodo hoc agendo Sophistam agit? *Duo Doctores Pontificii, A castro & Salmeron, locum illum allegatum eo sensu non admittunt.* Ita est. Sed cæteri omnes admittunt & Bellarm. l. 3. de justific. cap. 4. contra Calvin. & Kemnit. egregiè defendit. Ego verò tuam stolidam consequentiam hic planè non admitto quando ita arguis. Marcellius allegat sententiam Salomonis, in sensu quem duo Papistæ Doctores rejiciunt, cæteri verò admittunt. Ergo Marcellius probando Sophistam agit. Non te putet, Seldi, tam puerilis cavilli?

III. *Marcell. laudat pro se Constit. Apostolicas.* Ita. *Atqui Papistæ eas agnoscunt corruptas.*

Ex toto. nego. ex parte. concedo. Tibi probandum est, id quod Marcellius adducit corruptum esse. Quanti sint & esse debeant eæ constitutiones Franciscus Turrian. egregio opere contra Centuriatores ostendit.

IV. *Citat etiam Dionys. Ariopagitam.* Ita est *Ast eius scripta supposititia esse fatentur multi Papistæ.*

At plures agnoscunt pro genuinis. Pro iis pugnant Gaulter. 1. sæc. verit. 1. num. 23. & 24. & Martin. Delrio singulari opusculo & alii. Cum his sentit Marcellius. Et quid ni sentiat, autoritate & ratione inductus? Non ergo ille technas & fallacias struit, probando, sed tu sanè struis calumniando.

§. 3.

Tertia Seldii cavillatio, de studio frustraneo.

Addit Prædicans, studium illud, quo Marcellius concordiæ ineundæ viam aperire satagit, esse inane & frustaneum, & probat hac ratione.

Quicunque pertinaciter errores suos defendit illius frustraneum est studium. Atqui Marcellius id facit. Ergo.

Digna risu cavillatio, sed quæ seriò in Seldium retorta valeat hoc modo:

Quicunque pertinaciter & imperitè errores suos defendit, huius frustraneum est studium. Atqui Seldius id facit, ut patebit in sequent. Ergo.

CAPUT

CAPUT II.

Summa Exegeticæ Seldianæ verbo dispellitur.

§. 1.

Primus summularius Seldii syllogismus falsus.

Q*Uæcunq; explicatio & applicatio dictorum sacræ scripturæ repugnat legibus interpretandi à Marcellio & Papistis approbatis, ea proprio eorum judicio est falsa. Atqui explicatio & applicatio dictorum, quæ Marcellius c. 1. Protestat. adducit, repugnat talibus legibus. Ergo.*

Nego Minorem. Infra ostendemus te nullo modo eam probasse.

§. 2.

Alter, summularius pheudo-syllogismus Seldii.

Sic habet. *Quæcunque vindicatio dictorum scripturæ deducitur ex legibus interpretandi à Marcellio & Papistis approbatis, ea est propriè ipsorum judicio vera. Atqui vindicatio quam Seldius dictorum sacræ scripturæ à Marcellio cap. 1. adductorum instituit, deducitur ex illis legibus. Ergo.*

Nego iterum Minorem. Quàm claudis fulcris eam fulciat Seldius deinceps patebit.

CAPUT III.

Primus scripturæ locus à Marcellio adductus à fumo Seldiano vindicatur.

§. 1.

Locus scripturæ reponitur.

V*Ivus est sermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ & spiritus, compagum quoque & medullarum. Hebr. 4. 12.*

§. 2.

Explicatur ex mente Marcellii.

Hæc verba, etsi à quibusdam, de verbo Dei increato, sive Filio, intelligantur, rectè tamen etiam de verbo Dei creato ab aliis capiuntur.

tur, eoque omni quidem, sive jam illud scripto exaratum, sive sola traditione conservatum nobis innotescat. Omne enim verbum hoc ex Dei ore profectum est, & vim atque efficaciam obtinet ad permovendos hominum animos in bonum, & præsertim ad flectendam voluntatem, ut captivet intellectum in obsequium fidei. Unicum enim fidei Catholicæ principium, & radicale & formale, & motivum, est verbum Dei, sive scriptum sive non scriptum.

§. 3.

Hæc explicatio probatur.

I. Verba illa Pauli rectè intelligi de verbo Dei accidentali & creato probatur 1. contra Seldium ad hominem, quia Lutherani Prædicantes communiter eo sensu allegant. Neque est Seldius, ut puto tam aut ignarus aut impudens ut negare ausit. Imò inferiùs perspicuis verbis à suis quos orthodoxos falsò vocat, ita accipi ultro profitetur. 2. Ab aliquibus Catholicis etiam accipi pro divinis oraculis testatur Cornel. à lap. in illum locum. Quid ni ergo & Marcellius id faxit, præsertim cum hanc Protestationem in gratiam præcipuè vestrorum hominumconderet, quibus norat eam interpretationem fore acceptam & usitatam?

II. Hoc autem supposito quod de verbo divino creato accipiatur, facilè ostenditur, de omni, tum scripto, tum non scripto rectè explicari. Nam 1. quando proprietas & affectio ex essentia subjecti fluens, de subjecto indefinitè sumpto prædicatur, accipitur subjectum universaliter. Ut cum dicitur homo est risibilis, idem est atque si dicatur: Omnis homo est risibilis: debetque intelligi de omni homine, de Petro & Paulo, nemine ex omnibus excepto. Atqui efficaciam quandam divinam habere ad animos hominum intimè & potenter in bonum commovendos, & ad assensum fidei supernaturalis formaliter in nobis excitandum, est proprietas quædam verbi creati divini, ex intima essentiæ eius medulla pronascens. Nemo id neget nisi impius. Ergo cum de verbo Dei prædicatur debet de omni verbo Dei intelligi. Ergo etiam de non scripto. Quia scriptum verbum Dei, est etiam verbum Dei. 2. Hæc efficacia impellendi animos & fundandi actum fidei, sive quod possit esse motivum formale efficax fidei nostræ Catholicæ, convenit illi ut verbum Dei & testimonium Dei est infallibile. Hoc enim est obiectum formale fidei divinæ, sicut testimonium humanum sive hominis fallibile, est objectum formale fidei humanæ. Ergo

hæc

hæc efficacia convenit omni verbo Dei. Ergo etiam non scripto verbo Dei. Sequela evidenter constat. Nam quod convenit verbo Dei ut tale est, & ut verbum Dei est, convenit omni verbo Dei. Sicut, quod convenit homini ut sic, & ut homo est, convenit omni homini. Quam rem vulgò notam & certam si Seldius non capit, non ratione sed fuste, ex lege Aristotelis, arguendus erit. 3. Non est etiam quicquam vel in textu biblico, vel in re ipsa, quod cogat, restringere ea dicta ad verbum Dei scriptum. Quid enim amabo est? Ergo non debet restringi, sed ad omne verbum Dei, etiam non scriptum, extendi.

§. 4.

Hæc explicatio & extensio verborum contra Seldium vindicatur.

I. Multa in oppugnanda hàc verborum illorum explicatione, peccat Prædicans Römhildensis. Primò enim queritur, formalem reductionem argumenti Marcelliani laborem peperisse. Quid mirum? In clara luce umbram, & in igne Veritatis fulgentissimo fumos quæsivit. Cui non pariat laborem tam stolidus conatus? Fingit Marcellium velle probare hoc loco, verbo Dei scripto & Traditionibus eandem inesse vim & efficaciam, quod viro illi ne per somnium quidem in mentem venit. Marcellius dicit, omne verum Dei verbum, sive scriptum sive non scriptum sit, modò sit verbum Dei, esse efficax, & ad instar gladii ancipitis penetrare humanas mentes, tum ad eas in bonum (& consequenter & assensum fidei aliàs difficilem) potenter commovendas, tum ad uberes spiritus fructus in cordibus nostris proferendos. Et priorem quidem efficaciam confirmat ex Hierem. 23. 29. *Verba mea quasi ignis, &c.* posteriorem ex Isai. 55. 10. *Quomodo descendit nix & imber de cœlo, &c.* Addit demum sermones nostros, nisi à divinis robur accipiant & pondus acquirant, paleis esse leviores, & nihil efficere posse, juxta illud Hierem. 23. 29. *Quid paleis ad triticum dicit Dominus.* Hic Marcellii discursus est. Quem tu verò Seldi syllogismum hoc loco debellare niteris, fumus est ex tuo inani cerebro protrusus, ideoque nulla responsione dignus, neque hic ad rem facit.

Secundò Seldius insidiosè fingit Marcellium hic laborare pro Traditionibus non scriptis: cum de illis in sua latitudine acceptis hoc loco non cogitet, sed tantùm de illis determinatè acceptis, quæ sunt verbum Dei, traditum, non scriptum, dicat, quod vim illud & virtu-

rem habeat perinde atque verbum Dei scriptum. Prædicans autem vult indeterminatè loqui, sub nomine Traditionum papisticarum, quia fumos vendit. Quisquis fumos cogitat divendere, is claritatem & lucidam verborum lucem cautè cavet.

Tertiò frivolè conatur explicationem à Marcellio traditam evertere, hoc modo.

II. *Marcellii extensio & explicatio repugnat, 1. scopo dicentis & contextui.* Ostende sis repugnare. *Agit Apostolus de fide habenda verbo promissionis & comminationis divinæ.* Concedo. Infer. Ergo Marcellius qui hoc explicat de verbo promissionis & comminationis divinæ non scripto, repugnat scopo dicentis & contextui? O superi quale Ergo! Quasi verò de utroq; Apostolus intelligi non possit. Pergis nugari. *Docet Apostolus si Dei promissiones fide amplectamur, in requiem eius ingressuros, sin minus male perituros.* Transeat. Sed face Ergo. *Ergo Marcellius qui intelligit de promissionibus divinis & scriptis & non scriptis, repugnat huic textui, & scopo loquentis Apostoli.* Estne possibile, Seldi, te esse tam mente captum, ut non videas hanc tuam illationem fumo fumeo esse leviorem? An traditæ tantùm & minimè scriptæ promissiones & comminationes Dei, non sunt etiam verè promissiones & comminationes Dei? Ubi habes cerebrum tuum & quid demum cogitas? An tu satis putas ad probandum, si tu modò dicas id quod Marcellius intelligit, repugnare scopo & contextui Apostoli? Certè præter te nemo ita desipit.

2. *Reprobatur Marcellii explicatio similium locorum collatione:* Audiamus. *Joann. 6. 64. verba quæ ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Ibid. v. 68. Verba vitæ æternæ habes. & Rom. 1. 16. potentia Dei ad salutem omni credenti.*

Resp. Esto, illa loca sunt similia. Nego illa intelligenda tantùm de verbis Christi scriptis, aut de Evangelio scripto. Verba quæ locutus est Christus de manducatione sacramentali corporis Christi spiritus & vita sunt, non tantùm ea quæ scripta sunt, sed & illa quæ scripta non sunt. Nam teste S. Joann. cap. ult. *multa alia sunt quæ fecit JESVS*, an non etiam quæ dixit? quæ libris comprehensa non sunt. Etiam hæc erant Apostolis audientibus verba vitæ æternæ & nobis non minus ad salutem proficiunt, cum ea per traditionem accipimus. Idem esto judiciũ de Evangelio, quod & scriptum & non scriptum, modo nobis per Ecclesiam proponatur, est virtus Dei ad salutem credentium.

Idem sermo qui comparatur hic gladio ancipiti, etiam Isai. 11. 4. describitur ab effectibus gladio convenientibus. Interficiet impium spiritu labiorum suorum. Ephes. 6.17. Apoc. 2. 6.

Sapisne Seldi ut hæc in medium adducas? An Christus de quo prophetat Isaias interficiet impios verbo suo scripto tantùm? Nunquid hæ nugæ sunt pueris vix dignæ? Item cum Apostolus Ephes. 6 17. mandat *gladium spiritus assumere, quod est verbum Dei*, an tantùm verbum scriptum præcipit in munimen accersere? Falleris. An enim fideles, antequam scriptura existeret, carebant gladio mystico quo hostem animarum propulsarent? Minimè. Remittis nos etiam ad Apoc. 2. 6. Sed nihil illic reperio quod ad rem faciat. Errasti, more tibi valde familiari.

3. *Repugnat Marcellii explicatio Patrum consensioni.* Plurimorum fateor, sed non omnium. Tu ipse pro eo laudas Augustinum & Primasium ex Estio.

§. 5.

Confirmatio Marcellii prima, ex Hierem. 23. 29. defenditur.

Dixerat Marcellius verbum Dei etiam non scriptum vim obtinere insignem ad percellendos mortalium animos, & hoc confirmarat ex illo Jerem. 23. 29. *Nunquid non verba mea sunt quasi ignis dicit Dominus, & quasi malleus conterens petras?*

Contra obtendit Prædicans; hæc non intelligi de verbo Dei non scripto. Conatur autem probare.

1. *Ex contextu & scopo Dei. Deus intendit ostendere discrimen inter mendaces Pseudoprophetarum prædictiones, & inter veras vatum suorum comminationes à se profectas.*

Transeat: *Ergo loquitur tantùm de verbo suo scripto.* Nego stupidam consequentiam. An non idem discrimen constaret etiamsi comminationes & oracula prophetarum manerent non scripta? Cerebellum omne perdidisti, Seldi, nisi hanc ineptiam tuam ipse vides.

2. *Ex manifesto absurdo.* Tuone, an Marcellii? Audiamus. *Verbum Dei non scriptum sunt theoremata quædam à Becano lib. 1. Man. cap. 2. n. 28. allata, ut symbolum Apostolorum esse canonicum, quod spiritus à patre filioque procedat, quod sancti invocandi, &c. Atqui de hisce non est locutus per Jeremiam Deus. Ergo non est locutus de verbo non scripto.* Nunquid dixi futurum absurdum Seldii? Simile hoc argumen-

tum est atque si dicam. Homines sunt, P. Henricus Marcellius, Robertus Bellarminus, Aristoteles, Plato, Papa, Imperator, Cardinales. Atqui Seldius nihil horum est. Ergo Seldius non est homo. Domine Doctor, quando ab enumeratione partium vis arguere, nulla earum omittenda tibi est. Si omittis, eâdem operâ ad Pontem asinorum abis. Ea quæ à Becano exscripsisti, sunt verbum Dei scriptum, sed non omne. Jam capis lapsum tuum? Cave ergo, ne bis ad eundem. Nam ne Arcadicus quidem bis ad eundem.

§. 6.

Altera Marcellii confirmatio ex Isai. 55. 10. stabilitur.

Addebat Marcellius verbum etiamnon scriptum miros fructus spirituales in mentibus hominum efficere, & in hanc rem laudabat verba Isai 55. 10. *Quomòdo descendit imber & nix de cœlo, &c. germinare facit terram, &c. sic erit verbum meum, &c.* Regerit autem Seldius, etiam hæc verba de verbo Dei non scripto non debere intelligi.

Quia per illud verbum, vel intelligitur Christus, & sic non spectat huc verbum Dei neque scriptum neque non scriptum.

Concedo istuc quidem. *Vel intelligitur Evangelium & promissa magnifica de Messia eiusque beneficiis.* Benè. Perge. *Sed hæc continentur verbo Dei scripto.* Omnia? Nego. Datur Evangelica doctrina aliqua non scripta. Promissa etiam quædam & oracula de Christo vel scripta nunquam sunt, vel cum tempore interierunt. Atque hæc suo tempore cum extarent fructum in animis pepererunt. Istius insignis & necessaria pars conntiuo traditionis usu perseverans, magno Ecclesiæ Catholicæ bono servatur.

CAPUT IV.

Alter scripturæ locus à Marcellio laudatus contra fumum Römhildensem defenditur.

§. 1.

Locus scripturæ reponitur.

EX Luc. 11. 28. *Beati qui audiunt verbum Dei & custodiunt illud.* Non enim audisse illud, sed fecisse ad salutem proficit, ex Rom. 2. 13.

Non

Non enim auditores legis justi apud Deum, sed factores. Imò verbo audito non ascultare, maius conciliat animæ damnum & supplicium. 2. Petri 2. 21. & Jacobi 1. 22. Matth. 7. 24.

§. 2.

A cavillatione Seldii fumea absolvitur.

I. Seldius calumniatur Marcellium, quod cit. Evangelii verba impertinentissimè congesserit. Cur verò amabo non impertinenter sed adeo impertinentissimè? Quia Prædicans iste in superlativo gradu est calumniator. Hæc vera est causa, sed ipsius aliam prætexit. Nimirum quod Marcellius intendat probare tam verbum Dei scriptum, quàm non scriptum esse audiendum, verba autem illa scripturę loquantur tantùm de verbo Dei scripto. Atqui utrumque falsum est. Ergo Seldius impertinentissimè accusat.

II. Nam quod ad primum spectat, nunquam in mentem venit Marcellio hoc loco probare, verbo Dei non scripto eandem esse autoritatem quæ scripto, sed eo fine verba illa adduxit, ut ostenderet, ad hoc, ut verbum Dei (abstrahendo jam à scripto & non scripto) vim atque efficaciam suam in ãimis nostris obtineat, necesse esse ut à nobis auscultetur. Hæc clara rei veritas est, quam tu etiam una cum omnibus videres, nisi per fumum calumniæ, negotium aspiceres.

III. Alterum etiam, nimirum ea scripturæ laudatæ verba, de solo scripto Dei verbo loqui, fumus tuus est.

Verba Christi Matth. 7. de solo scripto verbo capienda. Nego. *Sunt capienda de solo sermone habito in monte. Atqui sermo ille est ab Evangelista scriptus. Ergo verba Christi Matth. 7. sunt intelligenda de verbo tantùm scripto.*

Imprimis nego Maiorem. *Barradius asserit.* Ego cum Maldonato nego. Deinde nego Minorem. Totum sermonem à Christo habitum, perscriptum esse, id nullus dicit, præter te. An non Luc. 6. cap. eundem sermonem Christi pertexit? At non omnnia refert quæ Matthæus. Sicut ergo Lucas non omnia retulit, sed quædam tacito pede præteriit, unde tibi constat Matthæum, etsi multa plura perscripserit quàm Lucas, aliqua tamen non omisisse?

Rom. 2. 13. Non auditores Legis justi sunt. Loquitur Paulus de lege scripta. De scripta tantùm? Ubi hoc scriptum est, ut more vestro loquar?

Jacobi 1. 22. & seq. loquitur Apostolus de scriptura & Evangelio, teste Cornel. Transeat. Sed scriptura jubet servare traditiones, & aliqua pars Evangelii est non scripta sed tantùm tradita.

IV. Sed demus, quod falsum est, illa loca de solo scripto verbo Dei ad literam capienda, quid tum? *Non licuit ergo Marcellio ea extendere ad verbum non scriptum, vel ab iis ad hoc concludere,* Nego sequelam, quoad posterius. Optima est illatio si quis ita dicat. Verbum Dei scriptum fideli corde audiendum est. Ergo & verbum Dei non scriptum fideli corde audiendum est. Ideo enim verbum Dei scriptum audiendum est, non quia scriptum est, (aliàs antequam scriberetur non debuisset audiri, quod est falsum) sed quia verbum Dei est. Atqui etiam non scriptum verbum Dei est revera verbum Dei. Ergo etiam non scriptum verbũ Dei est fideli corde audiendum. Contra hanc tam perspicuam lucem nullæ tuæ valebunt nebulæ & fumi, Seldi.

CAPUT V.

Tertius scripturæ locus ex Matth. 18.

§. 1.

Reproducitur.

SI autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & publicanus, Matth. 18. 17. Ex hoc colligit Marcellius, non tantùm verbum Dei audiendum, sed etiam Ecclesiam, quæ à spiritu S. qui est spiritus veritatis, ita regitur & gubernatur, ut in rebus fidei errori non sit obnoxia. Id confirmat ex Luc. 10. Ubi servator Apostolis, Ecclesiæ suæ antistitibus futuris dicit: *qui vos audit, me audit, &c.* & ex Matt. 10. *Non estis vos qui loquimini, sed spiritus patris vestri.* Ille nimirum, quem Christus Joann. 16. appellat *spiritum veritatis.*

§. 2.

Duplex error falso impactus Marcellio & Catholicis.

I. *Primus est*, inquid Seldius, *quod nomine Ecclesiæ indefinitè utantur, & tamen definitè intelligant Ecclesiam Romanam.*

Erras. Romana Ecclesia, ut à nobis illo modo accipitur, & Ecclesia vera Christi indefinitè accepta, planè idem est. Nam Ecclesia indefinitè accepta ambitu suo generali & indefinito complectitur omnes cœtus verè fideles, omnium locorum & temporum, & solùm

excludit

excludit infideles & erroneos. Nunquid verum est? Jam sic. Atqui Romana Ecclesia, pro ut à nobis accipitur hoc loco, est ea quæ ambitu suo generali & indeterminato complectitur omnes cætus verè fideles, qui à Christi ortu huc usque, quovis loco & tempore extiterunt, & solùm excludit infideles ac hæreticos, & ideò tantùm Romana à nobis appellatur, quod Romanum Pontificem, S. Petri successorem, & Christi Domini visibilem in terris Vicarium agnoscat. Ergo Romana Ecclesia, pro ut à nobis hoc loco accipitur, est Ecclesia Christi indefinitè & illimitatè accepta. Ergo Seldius cum contrarium asserit, aut est impostor publicus, aut rei, qua de tractatur, pudendè imperitus.

II. *Alter,* (si diis placet) *error est, quod Papistæ nolint Ecclesiæ veritatem mensurari ex veritate doctrinæ, sed contra veritatem doctrinæ ex qualitate Ecclesiæ.* Hiccine error, Seldi? *Ita. quia non boves currui, juxta proverbium, sed currum bobus trahendis aptant.* At bos sit, vel bove stupentior asinus, qui id quod tu dicis creduit. Rectiùs, ex Magistri qualitate & infallibilitate, doctrinæ certitudinem æstimo, quam è contra ex doctrinæ certitudine Magistri infallibilitatem. Illud est à priori, hoc à posteriori. Illud à causa, hoc ab effectu. Atqui Ecclesia est fidelium Magistra, cuius dogmata servator audire præcepit, non excutere. Ecclesia est Ianitrix, cœli aperiendi cludendiq; habens potestatem, cuius claves colere ac vereri debemus, non controvertere. Ecclesia est judex, cuius sententiam prono capite accipere, non examinare oportet. Vos ergo Lutherani, qui prorso gradu itis, & doctrinam Ecclesiæ vestro judicio subjectam esse vultis, cancrino ritu inceditis, equos retro currum ligatis, & cum ova sitis, supra tamen gallinam sapere vultis, ut habet paræmia. In vos quadrat illud Christi verbum: *Qui Ecclesiam non audierit,* sed eius sententiam & fidem & doctrinam examini suo subjecerit, *sit tibi sicut ethnicus & publicanus.*

§. 3.

Falsitates & errores Seldii refutantur.

I. Error. *Quicquid verbum Dei scriptum jubet id est audiendum.* Scriptum solummodò? *Ita solùm & solummodo.* Contra. Omne Dei verbum est audiendum. Atqui non scriptum Dei verbum, est Dei verbum. An non verba Christi, cum ea ille ore suo divino proferret, antequam scripto consignarentur, erant verba Dei? Utique. Ergo non scriptum verbum Dei est etiam audiendum.

II. Error. *Verbum Dei jubet Ecclesiam Dei audire, non ut judicem summum aut fidei magistram.*

Ubi hoc scriptum est Seldi? Christus dicit: qui Ecclesiam non audierit, esto publicanus & infamiæ notâ execrabilis. Ergo jubet eius dicta uti sententiam accipi, quandocunque causa aliqua ad eius tribunal delata fuerit. Fiat enim, ut me aliquis malo suo exemplo offendat, loquens & faciens aliena à fide, an non ex doctrina Christi hominem primum privatim commonere debeo, si fors à pravo instituto avocare & animam lucrari eius possim? Quod si me verò non audiat, nunquid non adscitis in auxilium testibus denuo correctionem aggrediar? Et si denique hac etiam ratione nihil efficiam, an non tunc pervicacem ad publicum Ecclesiæ tribunal in jus vocare oportet ad causam dicendam? Hic ergo agetur causa fidei, & reus ille, ex jure prætorio Christi quod ipse dixit, sententiæ Ecclesiæ subiacere tenetur, & ni faxit, ex cætu fidelium proscribi cum publica ignominiæ nota debet. Ergo & Ecclesia tunc cum de peccato infidelitatis, judicat, ex voluntate Christi, est audienda. Ergo necesse est ut sit infallibilis, aliàs, ex voluntate Christi, teneremur erroneum in fide judicium amplecti, & eum qui rectè credit, ethnici & publicani loco habere, quod quàm absurdum sit, quis non videt?

III. Error Seldii. *Romanæ Ecclesiæ defectio & metamorphosis prædicitur 2. Thess. 2. v. 10. & sequent.*

Ne titivillitium quidem eius rei ibi reperitur. Mirum quî homines possint tali Prædicanti deinceps vel ciccum credere.

IV. Error Seldii. *Ecclesia V. T. non obstantibus promissis Dei tota defecit.*

Non defecit ipsa, etsi quidam ex ea defecerint. Sed perstitit in ea eiusque Pontifice definiendi autoritas infallibilis, donec adventu Christi Synagoga exstincta est. Et eo usque promissa divina, utpote temporalia, se extendebant.

V. Error Seldii. *Promissiones Ecclesiæ factæ, sunt conditionales.* Ecclesiæ universali? Flagitium erroris est. 1. Promissiones Synagogæ veteri factæ de infallibilitate judicii per summum Pontificem exercendi Deut. 17. erant absolutæ. Quia Deus absolutè jubet adiri Pontificem, *ut ab eo accipiant judicii veritatem.* Atqui si fuisset fallibilis, non erant accepturi fideles judicii veritatem. Ergo multò magis promissiones factæ Ecclesiæ Christi sunt absolutæ. 2. Absolutè promisit Christus Petro, tanquam Ecclesiæ capiti, ut non deficiat

ciat unquam eius fides, Luc. 22. Et absque conditione asseverat: *Super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam:* Cur tu ergo impiâ audaciâ fretus conditionem addis?

At hæc conditionata sunt: Manebitis in charitate mea si mandata mea servabitis, Joann. 15. 10. Et vos amici mei eritis, si feceritis quæcunque mandavi vobis, &c. Concedo. *Ergo omnia promissa quæ Ecclesiæ facta sunt, etiam sunt conditionata?* O Ergo Prædicante Römhildensi dignum! Quis non rideat tam futiles & inanes inanias?

§. 4.

Exegesis Marcellii defenditur.

I. Seldius oppugnat priorem Marcellii locum ex Matth. 18. *Si Ecclesiam non audierit:* non posse nec debere intelligi de authentica scripturæ interpretatione, aut de infallibili controversiarum decisione. Probare autem nititur.

1. *Ex contextu, antecedentibus, & consequentibus, quæ omnia loquuntur de offensione privata, & correctione fraterna.*

Imò antecedentia loquuntur de scandalo cavendo, & præcipitur, ut generatim opera detur, ne quis peccator pereat. Hinc docetur qua ratione ii qui delinquunt, etsi in nos ipsos sint injurii, quàm mitissimè sint corrigendi, primum privata commonitione, deinde coram testibus, postremò, desperata emendatione, ad Ecclesiæ tribunal provocando. Demum ut ostendatur judicii Ecclesiastici autoritas & potestas additur. *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram* (in judicio illo Ecclesiæ) *erunt ligata & in cœlo, & quæcunque solveritis super terram erunt soluta & in cœlo.* Ergo non minus commodè ex antecedentibus & sequentibus colligere licet, Christum loqui generatim de Ecclesiæ potestate, tum in disciplina morum, tum in fidei controversiis ex munere decidendis.

2. *Ex Pontificiorum attestatione, ex quibus non desunt qui verba ea interpretantur, de privatis offensis dijudicandis.*

Ita quidem, sed plerique omnes admittunt sensum Marcellii. *Bellarm. lib. 3. de verbo Dei cap. 5. §. 2. ita explicat, immemor sui, & oppositionis lib. 3. de Eccles. cap. 14. dederat.* Tu Seldi stupidues, aut nos pro stuporibus habes, qui Bellarminum non intelligamus. Affirmat ille potestatem explicandæ scripturæ residere in Ecclesia, idest in Concilio Episcoporum confirmato à summo Pontifice, & ad hoc proban-

 dum

dum adducit verba: *Si quis Ecclesiam non audierit:* Quomodo ergo non intelligit cum Marcellio de autoritate in controversiis fidei decidendis? Sed audi Bellarminum & erubesce. Ita habet loco à te cit. *Alterum testimonium esse potest, illud Matth. 18. Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Est autem hoc loco observandum, hoc quidem Dominum loqui, de injuriis, quas unus ab alio patitur, sed à maiori intelligendum etiam esse de injuriis quæ fiunt in totam Ecclesiam & in Deum, qualis est hæresis. Qui enim deferri adulterum ad Ecclesiæ judicium jubet, multo magis hæreticum, &c.* Eadem omnium nostrorum interpretum est sententia, ne dubita, Seldi.

II. Alter locus à Marcellio in confirmationem adductus est ex Luc. 10. *Qui vos audit me audit* hunc dicit intelligi de Apostolorum Collegio, non de Ecclesia. At nihil hoc effugium ad rem. Pertinere non tantùm ad Apostolos, sed etiam ad eorum in munere successores docet Cypr. lib. 4. ep. 9. & Basil. in Constit. Mon. c. 23. Atqui Pontifex Romanus est Apostolorum in mumere Apostolico successor Ergo & de eo intelligendum est. Neque jam hic moramur Apostaticam Seldii calumniam, quâ Ecclesiam nostram Theonino Prædicantis ore insectatur & pro Apostolica Apostaticam compellat, sed tantùm exegesin Marcellii tuemur.

III. *Locus ex Matth. 10. Non estis vos qui loquimini, sed spiritus patris vestri, &c.* pergit Seldius, *ad solos discipulos fidem coram tyrannis professuros attinet.* Ad eos attinere nemo dubitet. At ita attinere ut solumodo in eo solo articulo, cum fidei sanctitas contra vim tyrannorum cum vitæ jactura servanda est, ex spiritu veritatis sint locuturi, & nō etiam tunc cum eiusdem fidei synceritatem contra hæreticorum depravationem, doctrinæ constantia & soliditate tueri oportebit, nemo sanus sibi persuadebit: Certè religioni Christianæ multò equidem gravius discrimen imminet ab vafra cacodoxorum corruptela, quàm à sæviente tyrramorum ferro. Ergo si Christus incolumitatem Ecclesiæ suæ sartam tectam servandam, Apostolis suis eorumque deinceps successoribus & posteris spiritum veritatis infallibilem pollicitus est affuturum contra tyrannos, non minus credendum est pollicitum esse contra hæreticos.

At aliqui Papistæ interpretes docent ea verba ad solos Apostolos & non ad reliquos fideles attinere.

Aliqui

Aliqui etiam docent id quod Marcellius vult. Quid jam vis? Si tibi licet argumentari ab aliquibus ad negationem talis exegesios, an non liceat Marcellio etiam ab aliquibus argumentari ad probationem eius exegesios?

CAPUT VI.

Quartus scripturæ locus eiusque exegesis.

§. I.

Locus & exegesis eiusdem reponitur.

E*Cclesia Dei vivi columna est & firmamentum veritatis, 1. Tim. 3. 15.* Quia nimirum à spiritu S. ita regitur & gubernatur Ecclesia Catholica, ut in veritate fidei immota persistat semper, ad instar columnæ perennis & firmamenti perpetui, ideoque nullo errore unquam aut hæresi devicta succumbet. Atque hæc de universali Ecclesia intelligenda esse, docuere antiquissimi Patres, Chrys. Theophil. Beda & alii. Unde & dixerunt in dubiis fidei ab eadem Ecclesia certam decisionem esse petendam. Irenæ. l. 3. & 4. Hieron. contra Luciferian. Ambros. ep. 82. August. l. cont. ep. fundam. cap. 5.

§. 2.

Defenditur hæc exegesis contra Seldium.

I. Opponit Seldius. *Apostolus Paulus etiam Ecclesiam Ephesinam appellat domum Dei & columnam & firmamentum, teste Cornelio à lap. Atqui Ecclesia Ephesina incidit in errorem. Ergo Ecclesia universalis licet dicatur domus Dei, columna & firmamentum veritatis potest incidere in errorem.*

Distinguo Maj. appellat Ecclesiam Ephesinam, domum & columnam & firmamentum, ut seorsim sumptam. nego. Ut in Ecclesia universali contentam eique communicantem. Concedo.

II. *Non vocatur Ecclesia ab Apostolo columna & firmamentum veritatis, quod ipsa dogmata fidei infallibiliter confirmet, & proponat, sed quod testificetur, promulget, custodiat & conservet.*

Vel testificatur, promulgat, custodit & conservat dogmata fidei infallibiliter, vel non. Si non, ergo potest testificari & promulgare falsum. Ergo non est firmamentum veritatis. Quomodo enim, quæ testificatur & promulgat falsum potest esse columna & firmamentum

veritatis? Si infallibiliter testificatur & promulgat dogmata fidei: ergo in fide docenda non est errori obnoxia. Ergo habet Marcellius intentum.

Mirus autem hic notetur stupor Prædicantis qui Estium pro se laudet, interminis pro nobis stantem. Dicit enim: *Ecclesia veritatem sustentat, aliisque INFALLIBILITER ministrat, quoniam ipsa in veritate firmatur à Deo & per eandem conservatur.* Atqui hoc idem dicit Cornel. in hunc l. hisce verbis; quæ tu more tuo cũ exscriberes, Seldi, truncasti: *Ecclesia est firmamentum veritatis tum activum quàm passivum.* Hæc tu omisisti. *Ecclesia enim in fide & veritate passivè firmatur à Deo per infallibilem assistentiam Sancti spiritus à Christo promissam.* Hæc exscripsisti. *ac per eam fideles omnes activè confirmat. Ita Chrys. Theophil. Beda, & alii.* Hæc iterum, ut te Seldium Prædicantem ostenderes, omisisti. Ergo Estius & Cornel. & Chrys. & Theoph. & Beda, ne reliquos omnes Catholicos Doctores tum veteres tam recentes recensendo longus sim, cum Marcellio faciunt & te condemnant.

CAPUT VII.

Quintus Scripturæ locus eiusque exegesis.

§. I.

Scripturæ locus eiusque exegesis reproducitur

AD Ephes. 4. 11. 12. dicit Apostolus: *Ipse* (Christus) *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam verò Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem pastores & doctores, ad consummationem Sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi.*

Id est Christus, pro cura singulari, quam gerit de Ecclesia sponsa sua, constituit ut in ea semper sint, qui eam rectè tum in fide tum in moribus gubernent, quorum aliqui sint Apostoli ut in primitiva Ecclesia, aliqui Apostolorum successores, ut Papa & Episcopi, alii Pastores ut Parochi, alii Doctores, in cathedris sacra oracula explanantes.

Ibid. vers. 13. *Donec occurramus omnes in unitatem fidei & agnitionis filii Dei in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.*

Hoc est. Hæc Ecclesiæ directio à Christi institutione profecta, perseverat, donec fideles perveniant ad perfectum statum fidei Christianæ eiusque constantiam virilem, quæ faciet,

Ibid.

Ibid. verſ. 14. *Ut jam non ſimus parvuli fluctuantes & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumventionem erroris*, ſed doctrinæ nobis à Doctoribus traditæ firmiter & immobiliter inhæreamus. Et hæc fidei firmitas ulterius facit, ut,

Ibid. verſ. 14. *Veritatem facientes in Charitate, creſcamus in illo per omnia, qui eſt caput Chriſtus, ex quo totum corpus compactum, &c.*

Id eſt ut opere exequentes veram fidei doctrinam & opera charitatis ſectantes, uniamur vinculo amoris invicem & cum Chriſto capite noſtro.

Ex his colligit Marcellius ſemper in Eccleſia usque ad finem mundi futuram perpetuam doctrinæ veræ conſtantiam, durabile charitatis incrementum, individuam cum Chriſto capite ſocietatem & conjunctionem inviolabilem. Quia voluntas Chriſti efficax eſt, & conſtans eius amor ſponſam in rebus neceſſariis non deſtituit. Atqui iſta paſtorum & doctorum infallibilis diſciplina ad Eccleſiæ fideique Chriſtianæ conſervationem usq; ad finem mundi planè eſt neceſſaria. Ergo

§. 2.

Occurritur cavillationi Seldianæ multiplici.

I. Cavillatio. *Non rectè colligit Marcellius Eccleſiam erroris eſſe expertem, ex hoc quod Chriſtus ei proſpexerit de Apoſtolis & Apoſtolorum ſucceſſoribus, & Doctoribus. Nam etiam eodem proſpexerat modo Synagogæ V. T. quæ tamen deficit. Nec minùs egit cum Eccleſia Epheſina & Græca quæ in hæreſi & errore modo jacet conſepulta.*

Reſp. ad 1. Synagogæ proſpexerat ad tempus, usque ad Chriſtum, ad quod etiam tempus illa nunquam dèfecit à fide. Uti enim modò Eccleſia Chriſti non poteſt dici à fide defeciſſe, etſi multæ particulares Eccleſiæ ſint hæreſi infectæ: ita neque Synagoga poteſt dici à religione & cultu divino diſceſſiſſe, etſi plures populi, ab ea profugi, verum numinis cultum deſeruerint.

Ad 2. Providentia Chriſti & Dei eſt duplex: Specialis & Generalis: Specialis eſt quâ alicui rei ſpeciatim ſpectatæ & peculiariter, independenter ab omni alia circumſtantia proſpicit, & procurat media efficacia ad finem, infallibiliter obtinendum. Hac Deus erga ſuos electos & prædeſtinatos in negotio ſalutis animæ uti conſuevit. Et hæc providentia ſemper in omnibus pertingit ad finem ſuum. Generalis eſt quâ generaliter toti communitati proſpicit, de mediis ad finem

nem, qui ei præfixus est, obtinendum necessariis, non curando peculiariter singula communitatis membra, sed ea communitatis curæ, & particularium causarum, sive liberarum sive necessariarum, concursui relinquendo. Ita Deus prospicit in naturalibus omni animalium generi de victu & de cæteris rebus ad vitam tolerandam spectantibus, id est ad eum finem efficit ut pluat, ut sol luceat, ut herbæ crescant, non tamen semper & in omni loco & in mediis Lybiæ arenis, ubi homines & bestiæ fame sitique emoriuntur. In supernaturalibus autem hac generali providentia prospicit omnibus hominibus ut ad salutem & fidem pervenire possint, instituendo sacramenta, ordinando Doctores & Pastores, &c. Et hæc providentia duplex objectum respicit. Unum primò per se & primariò, & hoc est tota communitas cui prospicit. Alterum non primò, sed secundariò, & per accidens, & hoc sunt singulæ partes illius communitatis, quas respicit in quantum sunt partes in illa communitate repertæ. Jam verò providentia generalis efficax est in ordine ad suum objectum quod per se & primariò attendit, non autem est efficax respectu objecti quod secundariò & per accidens respicit. Et ratio est, quia si finem non assequeretur in priori planè inutilis & frustranea, & Deo indecens foret cura.

Exemplum. Si nullum animal in mundo vivere posset defectu vel alimenti vel alterius rei ad vitam necessariæ, censeretur Deus non satis prospexisse animalium generi. At verò etsi in posteriori effectum non sortiatur, non ideo frustranea est, quia licet in aliqua sterilitatis occurrentia, vel simili casu passerculus aut lepusculus quis inediâ pereat, non ideo providentia Dei, quâ ergo universam viventium stirpem utitur, effectu suo caret, aut carere dici potest, quandoquidem in aliis animalibus, quæ alibi conservantur, sufficienter finem optatum assequitur. Jam ad propositum veniendo. Providentia quâ Deus Ecclesiæ & universim spectatæ, & plerisque particularibus cætibus, ut Ephesinæ, Alexandrinæ, Antiochenæ, &c. de mediis fidei usque ad finem mundi obtinendæ & conservandæ prospicit, est generalis & communis. Quare ex ea rectè colligitur quidem, Ecclesiam universalem non defecturam, non tamen nisi imperitè conficitur, Ecclesiam Ephesinam vel aliam particularem à fine non posse excidere. Sicut enim quamvis pater cœlestis pascat volatilia cœli, ne hyeme fame consumantur, tamen quædam eorum hinc inde defectu pastus necessarii pereunt: ita licet Christus dederit Ecclesiæ universali Apostolos, pastores & do-

ctores

ctores, qui infallibiliter usque ad mundi exitum in fidei doctrina instruant, fieri tamen potest, & fit, ut vitio hominum aut alio casu, aliqua particularis Ecclesia à fide deficiat. Et sicuti ex hoc, quod Deus, teste scriptura, avium stirpem, messe & horreis carentem, suâ paternâ curâ pascat, benè quis colligat avium stirpem universim sumptam, usque ad communem orbis interitum, salvam semper perstituram, non autem rectè inferat, nullam etiam in particulari aviculam unquam fame morituram: ita ex hoc, quod Apostolo testante Christus prospiciat Ecclesiæ suæ, rectè quis conficiat Ecclesiam universim in fide permansuram, sed non rectè, Ecclesiam Ephesinam vel aliam in individuo sumptam semper duraturam. Et sicut sapienter ille discurreret, qui ita diceret: Deus providet volucribus, ne fame intereant. Ergo nunquam volucres omnes fame interibunt. Ille verò stultè argueret qui ita opponeret: Deus prospicit etiam huic individuo passeri, in loco sterili deprehenso, & tamen hic passer moritur fame. Ergo ex eo quod Deus avibus universim prospexerit, non benè colligitur aves universim fame nunquam morituras. Sicut inquam hic stolidè, ille vero sapienter discurreret: ita Marcellius optimè, à providentia Dei, argumentum capit, Ecclesiam universalem nunquam non in vera fide erudiendam, stultè verò arguit Seldius cum ita opponit: Ecclesiæ Ephesinæ Deus prospexit, & tamen illa defecit. Ergo ex eo quod Deus Ecclesiæ universali prospexerit non benè colligit Marcellius Ecclesiam universalem à fide non defecturam. Satin' jam capis inanias cavillationis tuæ Seldii? Ita sanè, nisi planè cerebrum evertisti.

II. Cavillatio. *Locus ille ad Ephes. 4. planè impertinenter à Marcellio adducitur.* Quare? *Quia sunt aliqui Papistæ qui negant Paulum illis verbis docere, in Ecclesia Dei futuros Doctores & Pastores usque ad supremum judicii diem.* O caput hominis! Ideone impertinenter explicat Marcellius, quia aliqui Papistæ aliter explicant? O stoliditatem! Cur non ego vicissim meliori jure dicam: Aliqui Papistæ, & quidem ingenio & vitæ laude præstantes, intelligunt ea verba: *donec occurramus, &c.* de resurrectione, ut Gagnæus, Lyran. Dionys. Carthus. Catharin. Anselm. D. Thom. & Scholast. in 4 d. 44. Ergo Marcellius pertinenter adducit. Nam si tibi impertinenter adducit, quia contra aliquos Papistas, cur non mihi pertinenter, quia cum aliquibus Papistis? Iterum, nego ullum Papistam negare Paulum non intelligere semper & usque ad mundi ruentis finem non permansuros in Ecclesia

universali Doctores & Pastores. Ostende, si potes, unum. *Est Barradius tom. 2. Concord. lib. 7. c. 15.* Falleris. Dicit ille per verba illa: *donec occurramus omnes in unitatem fidei, &c.* non intelligi diem judicii. Atqui in hoc non contradicit Marcellio. Ubi enim ille docet per *occursum illum*, capi debere diem judicii? Nullibi sanè. Sed Marcellius potius per occursum in virum perfectum intelligit stabilem & virilem quandam fidei constantiam, hisce verbis: *quomodo enim occurremus in virum perfectum, hoc est agnitione Dei & charitate crescemus, ut perfectam & stabilem fidei ætatem consequamur, si nulla est Ecclesia certitudo? &c.* Non ergo ex iis præcisè voculis: *donec occurramus*: eo quod illæ ex mente Pauli significent diem supremi judicii, sed ex toto contextu, & ex re per contextum notata, nimirum providentia Christi erga Ecclesiam universalem, colligit Marcellius, semper & usq; ad supremum orbis interitum futuros in Ecclesia veros Doctores & Pastores. Atque in hac re Barradius eod. loco apertissimè consentit. Ita loquitur: *Ad opus ministerii, hoc est ad operandum ad ministrandum templo Salomonis, id est Christi exædificationi. Salomonis typici templum septem annis est extructum, Salomonis veri templum ad finem usque orbis in terris exædificatur. Quocirca operariis semper indiget. Qui quidem neque hactenus ab initio, quo ædificari cæpit, defuerunt, neque in finem usque ædificii deerunt.* Atqui hoc est quod Marcellius vult. Ergo Barradius & Marcellius unum volunt. Ergo tu impertinenter illos invicem commisisti.

III. Cavillatio Seldii. *ἀσυλλογιςία est ita inferre: Christus dedit Doctores soli Ecclesiæ Romanæ. Ergo dedit soli Romanæ hodiernæ. Atqui ita agit Marcellius. Ergo.*

Cavillaris. Nullibi ita ineptit Marcellius. Sed si ex dictis suis vellet elicere argumentum, ita diceret. Christus soli Romanæ Ecclesiæ, universim acceptæ, pro ut includit omnes cætus Pontifici Romano ut capiti subjectos, & in perpetuum, dedit Doctores. Ergo & soli Romanæ hodiernæ, pro ut includit omnes cætus Pontifici Romano subjectos.

IV. Cavillatio Seldii. *Marcellius arguit ἀσυλλογιςῶς hoc modo: Christus dedit Doctores Ecclesiæ. Ergo dedit nulli errori obnoxios.*

Tu sommiasti ita arguere Marcellium. Hæc vis est in discursu supra laudato. Christus ut Ecclesiam universalem, sponsam suam in terris in fide vera conservaret & perficeret, constituit & ordinavit ut sem-

per

per habeat Doctores qui dogmatis fidei eam excolant & erudiant. Ergo constituit Doctores in ea re infallibiles, aliàs Christus sponsæ suæ malè & frustraneè providisset, & frustraretur fine suo.

V. Cavillatio Seldii. *Marcellius sic errat: Christus dedit Ecclesiæ Pastores & Doctores. Ergo dedit omnibus semper conspicuos.*

Nam venit in mentem Marcellio ista consequentia. Ecquid enim referebat? Sed tamen si ita collegisset, rectè equidem collegisset. Ecclesia Christi est omnibus conspicua. Ergo & Doctores.

At latet aliquando. Si latet ad breve tempus, tunc & Doctores eius tantillum latent.

§. 3.

Evasio Seldii, circa infallibilitatem Doctorum Ecclesiæ, excluditur.

Non adeo vecors est Seldius, ut non videat, iis Doctoribus & Pastoribus, quos Christus sponsæ suæ erudiendæ præfecit, aliquam inesse debere doctrinæ & autoritatem & infallibilitatem. Cum enim certum sit, Christum indemnitati & fidei Ecclesiæ suæ universim acceptæ, consulere voluisse per Doctores & Pastores, certum etiam debet esse, eos constituisse, quorum opera id consequeretur. Atqui per eos solos, qui errori obnoxii non essent, erat consecuturus. Ergo. Hinc Seldius ait, duplicem esse infallibilitatem judicis & Doctoris: aliam absolutam quæ in se errori obnoxia non est, qualis erat Apostolorum, aliam modificatam, quæ errori obnoxia non est, tunc, cum juxta sacram scripturam & vocem Sancti Spiritus pronunciat, qualis sit cæterorum Ecclesiæ Doctorum. Iterum cum dicitur, Christum voluisse Ecclesiam suam ab errore immunem servare, blaterat contra, voluisse quidem, non tamen absolutè, sed sub conditione, si verbo suo firmiter adhæreat. Ast hæ puriles omnino sunt evasiones. Nam quod ad prius attinet; Christus efficaciter vel absolutè voluit sponsam suam, universim eam capiendo, in fide constantem & sibi charitate unitam servare in perpetuum. Ergo voluit etiam munus docendi absolutè infallibile & Apostolicum in ea vigere. Nam per alterum illud, modificatè tantùm infallibile, non satis cavisset errandi periculo. Atqui hinc falsum est posterius, nimirum voluisse Ecclesiæ suæ fidem inviolatam & intemeratam existere non absolutè, sed conditionatè & hoc omine, si verbo suo revelato insistat immota. Quia primò hac ratione Chri-

ſtus Eccleſiæ ſuæ non plus conceſſiſſet, quàm cætui Turcarum, & congregationi peſſimorum hæreticorum. Nam & his, ea ratione, & cum ea conditione, vult ſynceritatem fidei & omnem ab errore immunitatem concedere. Secundò in hoc conſiſtit fidei divina conſtantia & erroris immunitas, ut verbo Dei perpetuò inſiſtat. Ergo ſi Chriſtus voluit Eccleſiam in fide conſtantem & infallibilem, voluit verbo Dei conſtanter inſiſtere. Ergo ſtolidum eſt dicere, voluiſſe Eccleſiam in fide conſtantem, ſi in verbo Dei firma perſeveraret. 3. Ridiculum eſt & à divina perfectione alienum cogitare, Chriſtum ita ſtatuiſſe: Volo Eccleſiam meam in fide conſtantem, ſed ea conditione atque omine ſi in fide ſit conſtans. Atqui ſtatuere ſic: Volo Eccleſiam in fide conſtantem & infirmam, ea conditione ſi in Dei verbo ſit firma, idem planè eſt atque dicere: Volo Eccleſiam in fide conſtantem ſi in fide ſit conſtans. Ergo hoc eſt ridiculum, atque à divina perfectione prorſus alienum.

§. 4.

Antitheſis Seldii, quam ipſe orthodoxam & Marcellio oppoſitam putat, examinatur.

Ita habet pag. 133. *Eccleſia univerſalis quæ eſt cætus electorum ubique diſperſorum, ob inviolabilem cum Chriſto capite unico conjunctionem, à fide non poteſt recedere. Particularis autem poteſt, &c.*

Hic occurrit 1 quod Eccleſia militans ſit cætus electorum, Seldio. Quæro enim an ii qui fideles ſunt, ſed præſciti ad damnationem, ſint in Eccleſia univerſali, an non? Si non, quomodo Eccleſia eſt ſimilis ſagenæ miſſæ in mare, bonos & malos piſces congreganti, Matth. 13. & decem Virginibus quarum quinque erant prudentes & quinque fatuæ, Matth. 25. & agro triticum & zizania ſimul ferenti. Matth. 13. & convivio nuptiali bonos & malos admittenti, Matth. 22? Iterum quæro, an particulares Eccleſiæ ſint cætus electorum vel non? Si non: ergo neque univerſalis eſt cætus electorum, quia univerſalis Eccleſia non niſi ex particularibus conflatur. Si eſt: ergo etiam particularis Eccleſia habet inviolabilem cum Chriſto capite conjunctionem. Nam conjunctio illa eſt electorum. Ergo & particularis Eccleſia non poteſt à fide recedere, æquè quam univerſalis. Ergo fruſtranea eſt diſtinctio allata à Seldio.

Occur-

Occurrit 2. ineptia Seldii, qui quod Marcellius vult ex loco S. Pauli eruere, ipse demum admittit. Nam Marcelliius non vult hoc loco Ecclesiam Romanam, ut particularis est, vel quamvis aliam particularem, sed universalem (Romano-Catholicam toto orbe dispersam, & omnes fideles Pontifici Romano ut Christi in terris Vicario adhærentes, complectentem) non posse à fide discedere, ob constantem cum capite Christo conjunctionem. Ergo impertinenter & stupidè Seldius eius exegesin exagitat.

CAPUT VIII.

Sextus scripturæ locus, & exegesis eius vindicatur.

§. I.

Locus scripturæ & exegesis eius producitur.

CUm Matth. 16. 18. S. Petrus omnium Apostolorum nomine egregiam de Christi divinitate professionem edidisset, Christus vicissim ei dixit: *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cælorum. Et quodcunque ligaveris super terram erit ligatum & in cælis, & quodcunque solveris super terram erit solutum & in cælis.*

Quibus verbis Petrum constituit Vicarium suum, & caput visibile Ecclesiæ, dans ei & successoribus eius autoritatem infallibilem docendi & gubernandi Ecclesiam. Ita enim hunc locum interpretatur Bellarm. lib. 1. de Rom. Pont. c. 10, & seq. post venerandos antiquæ canitiei & fidei nostræ Patres atque Doctores ibid. laudatos. Post quos qui Seldium oblatrantem audire sustinet, næ ille vehementer desipit.

Addit etiam confirmationis ergo Marcellius alterum ex Luc. 22. locum: *Simon Simon, ecce Sathanas expetivit vos, ut cribraret sicut triticum: ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Ubi promittitur Petro, ut Ecclesiæ capiti, eius & successorum eius fidem nulla unquam Sathanæ machinatione defecturam, & consequenter promittitur ab omni errore immunitas, cum se ad docendam Ecclesiam converterit. Ita explicant Patres & Doctores à Bellarmino laudati libro 3. de Verbo Dei cap. 5: à Maldon. comment. in hunc locum.

§. 2.

Exegesis prioris loci contra Seldii fumos vindicatur.

Antequam ad nugas fumeas Seldii aggrediamur, velim ex eo intelligere in quo Lexico papistico repererit, Monarchicum Papatum importare principatum officii, potestatis, dignitatis super Angelos? An non fumum meretur talis fumus?

I. Fumus Seldii. *Petrus non est petra, supra quam Christus promisit se ædificaturum Ecclesiam suam.*

Audaciter dicis, mi homo, sed nihil probas. *Hoc dictum enim non potest intelligi de Petri persona, ut sic.* Benè est, quia hæc erat errori obnoxia. *Nec de doctrina eius.* Benè adhuc. Hæc erat omnium Apostolorum communis. *Non de ministerio Apostolatus.* Si nihil addas, ita. Nam & alii erant Apostoli. *Nec ratione peculiaris circumstantiæ.* Nego istuc. *Nec enim alia potest assignari præter confessionem editam, atqui hæc spectabat ad alios Apostolos etiam. Ergo.* Nego Maiorem & assigno. Intelliguntur verba illa de Petro, ut capite Ecclesiæ designato. Hoc ei peculiare erat. Ubi jam manet tuum illud: *non potest assignari?* Scilicet, cum Prædicantes aliquid vel nolunt vel nequeunt assignare, non potest assignari.

II. Fumus Seldianus. *Non posse intelligi Petrum per petram illam, constat ex textus indole.* Hic est Latinus fumus. *tum ex φρασιολογία.* Hic jam ex græco camino flatur fumus. *tum ex πραγματολογία.* Iterum ex Hellade nebulæ. Atticane an Bæotica? Non stupetis Romhildenses graias & transmarinas quas Prædicans vester fumo fumeo prętexit ampullas? Nimirum hæc te tuis mirabilem reddunt Seldi. Nobis vero quid? Ridendum murem. Sed audiamus tamen nænias tuas græculis vocibus personatas & larvatas.

1. Ex φρασιολογία, inquis, *quia personam mutat Christus.* Nego. *Dicit tu es Petrus.* Ita. *Hæc est secunda persona.* Ita nisi erro. Post, addit, *super hanc petram.* Ita. *Ly hanc petram, est tertia.* Nego. Subauditur enim, super hanc, quæ tu ipse es, petram, & ly *hanc*, demonstrativum est, Petrum adstantem signans. Ergo non mutatur persona. Ita antiquitas cana Christianitatis intellexit, utique melius scripturæ sciens, quàm novi nostri Luthericæ synagogæ Rabini. Deinde etiam, esto phrasis ad grammaticæ leges pueriliter exacta, mutet personam, ideone de eodem supposito sermo intelligi non debet? Vides sis Seldi. Cum Nathan 2. Reg 12. diceret ad Davidem. tu es ille

vir: nunquid in prædicato de eodem Davide loquitur? Tamen in subjecto secunda persona, in prædicato tertia notatur. Quid si tibi quis dicat: tu es ille Prædicans, Topicæ Marcellianæ scriptor, qui principi suo fumus vendit? An non personam loquendo mutat? Apage ergo crepundia illa phrasiologica.

Mutat genus vocis. Concedo. *Ergo mutat significationem suppositi* O subtilitas! Nonne ὁ πέτρος & ἡ πέτρα genere grammatico differunt, & eandemmet omnino rem significant?

Mutat speciem. Ostende. *Petrus est nomen proprium, petra est appellativum.* Nego. Utrumque est appellativum. Simon est proprium. Quid jam Seldi? Non pudet quisquiliarum illarum? Et putan' tu tam infantilibus crepitaculis ex Grammaticula leviter petitis solidum nostrum sensum, totius antiquitatis robore firmatum, labefactari posse? Sed tamen pergis non minore inepia ad

2. φραγματολογίαν. *Repugnat Petro quod dicitur de petra.* Nego repugnare. Proba.

Super Petrum non ædificatur Ecclesia Christi. Nego. *Qui indiget Ecclesia petrâ, ut ei innitatur, non est petra.* Concedo. *Petrus indiget.* Ergo. Nego Min. *Christus testatur.* Quid? *Rogavi pro te Petre ut non deficiat fides tua.* Infer. *Ergo Petrus indiget Ecclesiâ ut ei innitatur.* Nugax consequentia.!

Contra Petram Ecclesia non erant pravalitura porta inferi. Atqui contra Petrum pravaluerunt, quando negavit Christum. Ergo.

Distinguo Maj. In negotio non ipsius personam, sed fidem Ecclesiæ concernente. concedo. in rebus facti ipsum privatim concernentibus. nego Maiorem.

3. *Super Christum solum alii Apostoli ædificarunt, 1. Cor. 3.* Tanquam fundamentum primarium & principale. concedo. secundarium & minus principale. nego. *Ergo solus Christus est fundamentum & petra Ecclesia.* Primarium & principale. concedo. quodvis etiam minus principale. nego. hoc enim est Petrus.

4. *Christus si dedisset Petro primatum super Apostolos Matth. 17. revocasset illum, Matth. 18. & 20.* Nego. *Quia ibi contentione inter collegas orta, nulli prarogativam concedit.* In munere. nego. in honoris & excellentiæ ambitu. concedo. Volebat Christus discipulos, sui imitatores esse, qui ex prælatione & dignitate, modestiæ non elationis materiem capesserent.

5. Sunt

5. *Sunt etiam Pontificii qui negant quod supra Petrum sit fundata Ecclesia. Tostat. Arboreus, Perer.*

De Perrerio falleris. Qui de Christo affirmat de Petro non negat. Nam idem Perer. paulo post, ita scribit de Pontifice. *Replevit Christus orbem reverentia & veneratione, non tantùm sui nominis sed etiam Ecclesiæ suæ, & eius hominis, qui Vicarius ipsius est in terris, summum dico Pontificem, quem universus orbis Christianus & Catholicus honorat, colit ac veneratur, eiusque responsa & decreta non secus ac divina oracula reventer atque obedienter amplectitur & observat.* Atqui nos hoc vocamus esse petram, super quam constructa sit Christi Ecclesia. De Tostato & Arboreo, & si quis alius est eiusmodi, non laboramus. Sunt ii per quam pauci, & eorum autoritas velut guttula quædam in Oceano doctrinæ oppositæ evanescit

6. *Expositio Marcelliana non est Catholica.* Nego. *Non habuit locum ubique, nec semper, nec apud omnes.* Nego. *Hoc manebit donec Marcellius probet.* Imò oppositum manebit donec tu probes. Affirmanti incumbit probatio. Quod si aliquam pro nostra parte probationem animus est pervidere, evolue Jacobi Gault. veritatem 11. per sedecim sæcula, summorum virorum sententiâ & suffragiis constabilitam, & ubi tanta atque tot omnium temporum testimonia labefeceris, alia à nobis poscere licebit. Tu dicis Bellarmino, Coccio, Valentiæ, & aliis ostensu hactenus impossibile fuisse, sed more tuo tantùm dicis.

III. Fumus Seldianus. *Ab idiomate Syriaco petitus.*

1. *Marcellius peccat hic in analogiam Grammaticam, Logicam & Theologicam.* Tu id facis calumniator.

In Grammaticam peccat, cum asserit πέτρον & πέτραν idem Græcis significare. Tu ferulâ dignum te facis negando, id quod Marcellius tam rectè asserit. Quid ab hoc homine exspectes boni, qui nescit, aut nescire simulat πέτρον & πέτραν apud Græcos eiusdem esse significationis? Non times Seldi, ne cum pueri hæc ex te audierint, longa te à tergo pinsat ciconia? Sed ratione vult stuporem tueri.

Denominativum & denominans non significant prorsus idem. Perge. *Atqui πέτρος & πέτρα differunt ut denominativum & denominans. Ergo.* Nego Minorem. *Augustinus ita docet, serm. 13. in Matth.* Augustinus docet? O te caput! De voce Latina Petrus & petra doceat, non certem. De græco πέτρος & πέτρα? ne per somnium cogitavit Latinus, & Pelasgæ; tam pene linguæ quàm artis insciens Doctor.

2. *Peccat*

2. *Peccat Marcellius contra analogiam Logicam.* In quo? *Quia ex eo quod syriacè ponatur bis cepha, colligit de eodem supposito esse sermonem.* Nego in hoc esse peccatum. Ita etiam ante Marcellium collegerunt viri & Syriaci idiomatis & sacræ scripturæ & Logices peritissimi. Imò hæc regula est, ut ubi eadem in textu reperitur vox, eadem intelligatur significatio, nisi aliunde diversitas innotescat. Atqui hic utrobique est cepha: Tu es cepha & super hanc cepha ædificabo Ecclesiam meam: nec est quicquam unde diversitas significationis conficì rectè possit aut debeat. Ergo debet eadem significatio capi.

3 *Peccat Marcellius contra analogiam Theologiæ Papisticæ.* Magnus foret peccator Marcellius, si Seldius veraret, & non tam magnus foret calumniator. *Concilium Tridentinum vetat à vulgata versione Latina provocare ad Hebræa, græcave exemplaria.* Neque facit Marcellius, sed ex consensu Græci & Syri idomatis vulgatam explanat & roborat, quod fas est. Ubi ergo peccatum Thologicum Marcellii?

IV. Fumus Seldii.

Non benè Marcellius explicat primatum Petri ex traditione clavium promissa.

Imprimis Seldi, quid si negem, Marcellium, ex illa promissione præcisè sumpta, excludendo verba præcedentia, explicare & conficere primatum? Sed tamen dato, quod ita, uti tu vis, explicet, tamen injuriâ illum arguis. Eccur enim non benè?

I. *Quia non soli*, inquis, *Petro, promittuntur claves.* Nego non promitti hoc loco. *Maldonatus in comm. h. l. fatetur, omnes autores explicare ea verba non de solo Petro, sed cæteris Apostolis.* Fateor, sed tamen Origenem excipit. Omnes etiam illi uno ore dicunt, per verba antecedentia: *super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; Petro datum esse Ecclesiæ principatum, teste cod. Maldon. Ipse tamen Maldonat. in sensum Marcellii interpretatur. Cui consentit Bellarm. lib. 1. de Pont. Rom. cap. 11. & 12. Et Cornel. à lap. in comm illius l. qui laudat S. Chrys. Greg. Hilar. Leon. Augustinum. Verba S. Gregorii clarissima libet adscribere: *Cunctis Evangelium scientibus liquet* (Seldium excipe hæreticum) *quod voce dominica sancto & omnium Apostolorum Principi Petro, totius Ecclesiæ cura commissa est.* Et audi causam. *Ipsi quippe soli dicitur: Tibi dabo claves regni cœlorum.* Jam perge cavillari Seldi.

2. *Progreditur Marcellius à categorica absoluta promissione ad exclusi-*

clusivam. Nego progredi. *Sic arguit: Quicquid Christus huic vel illi seorsim promittit, illud ipsi soli promittit.* Nego sic arguere. Stupens ille Prædicans nugator est. Quicquid somniat Marcellium agere, id statim scribit agere.

3. *Progreditur ab universali ad particulare determinatè.* Id equidem liceret per regulas Dialecticæ. An non fas est dicere: Omnes Prædicantes Lutherani cavillantur Papam. Ergo Seldius cavillatur Papam? *Dicit sic Marcellius: Petro promissæ sunt claves regni cælorum. Ergo promissæ sunt ei tanquam Apostolorum principi.* Quid? An planè ergo insanus es, ut sic scribas? Inprimis hoc non esset progredi ab universali ad particulare determinatè. Petrus non est universale. Deinde nunquam tam ceritus fuit Marcellius, ut ita colligeret. In carioso aliquo cerebro cusum est istuc argumentum. Tu videris in quo fuerit. Ergo certus sum in Marcellii non fuisse.

4. *Illa probatio est textui contraria.*

Hic te virum præsta & vel semel aliquid proba. *Confunditur enim id quod competit clavibus per se, id est quod instrumenta sunt ligandi atque solvendi, & quod competit per accidens, id est ut sint signum excellentiæ.* Quid vis dicere? Hic per claves intelligi à nobis primatum Petro datum? Et primatum non competere clavibus omnibus per se, ut sic? Benè sit ita. Quid tum? Quomodo hinc infers nostram expositionem de primatu Petri repugnare textui? Ego tam ingeniosus non sum, ut huius ineptiæ fundum capere possim.

5. *Probatio Marcellii est acatholica.*

Quia non ab omnibus, omni tempore, & ubiq; locorum admissa est. Esto non sit interpretatio illorum præcisè verborum: *& tibi dabo claves:* ita Catholica ut fide Catholica tenenda sit. Marcellius etiam pro tali non venditavit. Ergone est repudianda? Ergone acatholica dicenda? Non omne quod de fide non est eo statim nomine explodi debet. Neq; etiam quod Catholici nomen nō meretur, acatholici censuram subire oportet. Quia ex usu jam dudū inter Theologos recepto, Acatholicum in sequiorem partem & ad opinationes fidei nostræ adversas trahi consuevit. Atqui hæc interpretatio talis non est.

§. 3.

Exegesis posterioris loci constabilitur contra Seldium.

Posterior locus erat ex Luc. 22. *Ego rogavi pro te Petre ut non deficiat.*

ficiat fides tua. Quibus verbis indicatur impetrata S. Petro & successoribus eius Pontificibus infallibilitas in fide docenda. Contra quam lucem fumat Seldius.

I. Fumus Seldii.

Ex Marcellii verbis tale formatur argumentum: Quicquid dictum est S. Petro, de successoribus eius intelligendum est. Atqui. Ergo.

Ita, formatur tale argumentum, sed fide Prædicantica & impostoris Seldii. Non ita insanit Marcellius ut dicat: quicquid dictum est S. Petro. *Verba eius sunt: ideoque quod dictum est Petro, de illius quoque successoribus accipiendum est, eorum scilicet totiusque Ecclesiæ fidem nunquam defecturam.* Ita, hæc verba sunt, quæ non dicunt *quicquid* generatim, sed particulariter, *id quod de indefectibilitate* fidei dictum est Petro, id de eius successoribus æquo jure accipiendum esse. An non ergo tu perfidus es & impostor, qui ex *quod* facis *quicquid*, & particularem orationem vertis in universalem? Ita.

II. Fumus. *S. Petrus interiùs defecit à fide.*

Quomodo probas? Ut vereor iterum imposturam! *Colligitur ex verbis Christi dicentis: & tu aliquando conversus.* Nego colligi rectè. *Qui convertitur fuit aversus.* Ita. *Atqui Petrus fuit conversus ad fidem.* Post passionem, ad fidem internam? nego. Christus id non dicit. Ad fidem externam & ad charitatem, quam exteriùs negando perdiderat. concedo. Vide Bellarm. l. 4. de Pont. Rom. c. 3.

III. Fumus Seldii. *Frustra allegata est parabola ex Math. 7. de architecto struente domum supra firmam petram, quia non intelligitur de Christo.*

Iterum imponis Marcellio. Non allegat illam, ad probandum neque explicat literaliter de Christo. Supra repuli calumniam, 1. parte.

IV. Fumus Seldii. *Explicatio dicti Christi ex Luc. 22. 31. est vitiosa multis modis.* Proba vitium convitiator.

1. *Non est textui consona.* Convitiaris. *Significatur per illa verba donum Petri personale.* Falsum est. *Quoties scriptura extra hunc locum, dicit, fides tua, toties intelligit donum personale & privatum. Math. 15. 28. Hab. 2. 4.* Esto. *Ergo & hoc loco intelligit.* Nego consequ. Nam istic sacer textus loquitur de hominibus privatis, hic de Apostolorum principe publicam personam sustinente.

Opponit Christus fidem, tanquam remedium lapsus imminentis, & periculi. Esto. *Sed lapsus fuit personalis.* Tantùm. nego. Omnes enim

nim lapsi sunt Apostoli. Et lapsus periculum Ecclesiæ toti imminebat, nisi oratio Christi impetrata Petri & successorum eius firmitate prævertisset.

2. *Illa expositio non est Catholica.*

Quippe ni? *Quia non omnibus, ubique credita.* Non officit nomini Catholico, si pauculi quidam aliter sentiant. *Sed Concil. Basileen. statuit aliter.* Non moramur, quia vitiosum fuit, & minimè approbatum.

3. *Est Papistarum hypothesibus adversa.* Nego.

Pontifices Petri successores non habuere indefectibilitatem in docendo. Nego. *Pontificii fatentur.* Falsum imponis. *A castro docet, posse in fide errare absque Concilio.* Ita, sed cum Concilio dicit non posse errare, quia est caput Ecclesiæ. Ergo nobiscum sentit in hoc, quod S. Petri successor habeat indefectibilitatem fidei in docendo, etsi non omni modo, neque in omni hypothesi habeat. Neque ullus Catholicus dicit, quod Pontifex sit infallibilis in quavis circumstantia. Cæterum idem Castrius ver. Papa, multis probat, Pontificem in Ecclesia obtinere primatum, & alibi in terminis docet, Papam ut est persona publica, non posse in fide errare.

Genebrard. initio 10. sæculi testatur per annos 150 Pontifices quinquaginta fuisse Apotacticos & Apostaticos. Moribus & vitâ, concedo. doctrina & fide, quam docebant, nego. Errarunt illi in factis suis, non in fide. Ergo hoc nihil ad rem. *Cæteri Apostoli non habuere infallibilitatem in suis successoribus.* Concedo. *Et tamen Christus oravit pro iis.* Joann 17. 9. Sicut pro Petro, ut non deficeret eorum fides etiam in successoribus? Nego. Id nullibi dicitur.

4. *Expositio illa Marcellii est sophistica.*

Sophistica? *Præsupponit plura tanquam scripta, quæ scripta non sunt. Ergo est sophistica.* Nego Antecedens & nego consequentiam. Non omne quod falsum præsupponit est sophisticum, alias omnis syllogismus falsum concludens foret sophisma. Sed proba Antecedens Seldi.

Præsupponit Petrum fuisse Romanum Pontificem, & eius infallibilitatem transire ad successores eius, Romanos Pontifices, &c. Hæc præsupponit tanquam expresè scripta? Turpiter erras. Hæc habemus tradita, non expresè in Bibliis scripta.

§. 4. Fu-

4.

Futilis oppositio inter S. Petrum & Papam, à Seldio pueriliter excogitata, exploditur.

Duas sycophantias hic patrat Seldius. Primùm frivolè accusat Pontificem, quod à fide & dogmatis S. Petri dissentiat. Tum deinde vitam ac mores quorundam Pontificum S. Petro contrarios arguit. Atq; hoc posterius, velut impertinenter adductum, ne verbo dignabimur. Non succedit Papa Petro in moribus, sed in munere fidei absq; errore docendæ. Quicquid ergo sit de vita quorundam Pontificum illaudabili, (quorum tamen pessimos, à Prædicantibus quibusdam, rogo & cruce mala dignis, nequitiâ superatos esse ostendere possemus) quos eorum dogmatis fumos offundit Seldius, ostendamus. Dico ostendamus: nam adeo sunt frivoli & futiles, ut puerorum nostrorum exsibilationem vix mereantur, tantum abest ut ratione ad repellendum opus habeant.

I. Fumus Seldii.

Papa admittit verbum Dei non scriptum. Ita. *S. Petrus non admittit.* Nego. Hic jam occiput acuendum est cote Logica. Nam pol syncipite, nemo, etsi Chrysippus fuat, Seldianæ consequentiæ subtilissimam subtilitatem ceperit. Ita colligit.

1. *S. Petrus 1. ep. 1. 25. dicit* Verbum Domini manet in æternum, hoc est autem verbum, quod evangelizatum est vobis: *Ergo S. Petrus non admittit verbum Dei non scriptum.* Quod si Prædicans inferret, non fore ullum verbum Dei, nisi Evangelium, tolerabilis videri posset ineptia. jam verò cum ex iis verbis conficere moliatur, nullum esse verbum Dei nisi scriptum, quis ferat, aut quis adeo capiat? Non omne verbum Dei est exangelizatum id est Evangelio contentum, neque omne quod ab Apostolis annunciatum est, scripto comprehensum. Sed pergit fumare Seldius.

2. *S. Petrus 2. ep. 1. 19. 20. dicit: habemus propheticum sermonem, cui benè facitis attendentes, quasi lucerna lucenti in caliginoso loco, donec dies elucescat, & lucifer oriatur in cordibus vestris. Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetica scriptura propria interpretatione non fit,* Concedo. *Ergo S. Petrus non agnoscit ullum verbum Dei non scriptum.* O fumum Römhildensis consequentiæ!

3. *S. Petrus 2. ep. 3. 1. dicit:* hanc ecce vobis charissimi secundam scribo epistolam, in quibus vestram excito in commonitione synceram

mentem: *Ergo S. Petrus non agnoscit ullum verbum Dei non scriptum.* Qui consequentiam capere potest, capiat. Mihi quidem similis videtur huic, licet ineptæ: S. Petrus dicit se mittere secundam epistolam ad commonendum. Ergo non agnoscit verbum Dei, non contentum in secunda epistola. Vel, si quis fors melius capiat, huic: Noe emisit ex arca corvum & columbam. Ergo non fuerat in arca ulla avis nisi corvus & columba. Si hæ duæ claudicant, illa Seldiana multò claudicat magis.

II. Fumus Seldii.

Papa sibi soli interpretandæ scripturæ infallibilitatem arrogat. Nego. A Christo accepit. *S. Petrus affirmat scripturam ex scriptura esse explicandam.* Falsum est. Audite verò stultis ut probet Prædicans. *1. epist. 1. 20. dicit:* omnis prophetica scripturæ propria interpretatione non fit: Concedo. *Ergo dicit scripturam ex scriptura interpretandam,* Quis consequentiam ineptam concedat, nisi ineptus? Quasi nulla sit alia interpretatio non propria, quàm quæ ex alio scripturæ loco depromitur.

III. Fumus Seldii.

Papa non vult scripturam legi ab omnibus. Doctis, peritis, prudentibus? nego Stolidis, ignaris, improvidis? Concedo *At S. Petrus vult legi ab omnibus.* Etiam cerdonibus, analphabetis, improbis, fœminis, pueris? O ineptiam! *1. ep. 1. 1. dicit:* Petrus Apostolus Jesu Christi, electis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ & Bithyniæ: *Ergo testatur velle scripturam ab omnibus legi.* Eadem quis operâ sic inferat: Ergo Seldius delirat. Et qui diceret hinc rectiùs colligi non velle Petrum à Seldio & Prædicantibus Lutheranis scripturam legi, quia nimirum non sunt electi advenæ dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ & Bithyniæ, is meo quidem animo si non benè, certè meliùs quàm Seldius saperet.

IV. Fumus Seldii.

Papa ablegat nos ad Christum. Ut Deum & redemptorem. *& simul ad Sanctos.* non ut Deos & redemptores, absit. Sed ut puros intercessores apud Deum. *S. Petrus allegat ad solum Christum* 1. ep. 1. 18. c. 2. v. 24. &c. Ut Deum & redemptorem. concedo. Ut intercessorem purum apud Deum. nego. Fumus hic fumosus præter sibilum nihil meretur.

V. Fumus Seldii.

Papa tollit certitudinem gratiæ divinæ. Ita, dicit neminem esse certum

tum de sua justitia, extra revelationem Dei specialem. *S. Petrus affirmat.* Nullibi affirmat.

1 ep. 1. 13. propter quod succincti lumbos mentis vestræ, sobrii perfectè sperate, in eam quæ vobis offertur gratiam, in revelationem JESU Christi: Concedo. *Ergo dicit fideles esse certos de gratia divina.* Nego consequent. Spes ex parte nostrâ admittit formidinem.

Cap. 5. vers. 9. 10. dicit: cui resistite fortes in fide: scientes eandem passionem, quæ in mundo est vestræ fraternitati fieri, Deus autem omnis gratiæ, qui vocavit nos in æternam suam gloriam in Christo JESU, modicum passos, ipse perficiet, confirmabit, solidabitque: Concedo. *Ergo dicit fideles esse certos de gratia divina.* Si resistant diabolo fortes in fide, & patiantur adversa, ea quâ oportet constantiâ. Ita. At nemo certus est, aut esse potest, se fortem esse in fide vera, se resistere diabolo, se pati ut oportet. Ergo nemo etiam est certus de gratia. Et nunquid Petrus ad omnes fideles loquebatur, inter quos aliqui erant præsciti, & suâ culpa damnandi? Ergo illi non erat perficiendi, confirmandi, solidandique. Ergo ex hisce verbis non potest colligi certitudo.

VI. Fumus Seldii.

Papa dicit legem (Dei) *impleri possibile esse.* Ita. *S. Petrus negat ulli legem impletu possibilem.* Legem Dei quæ adhuc perstat. nego. Legem Moysis quæ jam est abrogata, concedo.

VII. Fumus Seldii.

S. Petrus non operibus, sed fidei vim justificandi tribuit, Nego. *1. epist. 1. 5. dicit:* reportantes finem fidei vestræ salutem animarum: Concedo. *Ergo fidei tribuit salutem.* Soli, seclusis operibus. nego. Fidei, sed non exclusis operibus. concedo.

1. epist. 2. vers. 6. dicit: qui crediderit in eum non confundetur: *Ergo tantùm fidei tribuit salutem.* Nunquid hi fumi sunt Seldi, & crepundia infantilia? An non sophisma, arguere à fide, ad solam fidem?

VIII. Fumus Seldii.

Papa negat, Ecclesiam visibilem omnesque eius Doctores posse universim à fide deficere. Rectè negat. *At S. Petrus affirmat.* Ubi?

2. epist.

2. *epist.* 2. 1. *dicit: Fuerunt verò & pseudoprophetæ in populo, sicut in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis & eum, qui eruit eos, Dominum negant, superducentes sibi celerem perditionem:* Infer Seldi. *Ergo dicit omnes Ecclesiæ universæ Doctores defecturos.* Quæso, Seldi, qui potes tam delirare ut fatuitatem huius illationis non videas? Ego hic omnes Logicæ artis peritos obtestor, ut expendant, an non Seldius ob tam fumeas & inanes consequentias fumos & titiones mereatur? Sanè perlectis huiusmodi affaniis concludere aliud non possum, quàm Seldium aut stupidum esse, aut nos omnes pro stipitibus habere, ut talia nugamenta ausus fuerit in publicam contra nos lucem dare. Faxit Deus immortalis ut optimi Imperii principes, quorum synceritati talibus nugamentis & fumeis fumis illuditur, orta tandem aliquando luce, veritatem antiquam aspiciant, & fumigatoribus illis novis excesse jussis, veterem Sanctorum Patrum doctrinam & fidem capessant.

FVMI-

EVMIVENDVLI

RÖMHILDENSIS

EXPLOSI

PARS TERTIA.

Elenchticam Anti-Marcellianam Seldii eventilans.

Reliqua quatuor Professionis capita impugnare pergit Prædicans, sed Marte sibi dudum familiari, per calumniam & fallaciam, ad probrum & infamiam grassante. Id nunc pergimus ostendere.

CAPUT I.

Resolutiones infallibiles Protestantis Catholici contra Seldium defenduntur.

SEldius eas resolutiones hypotheses vocat, & pro libitu suo struit, &, ut ipse pro suo stupore putat, destruit. Videamus ordine.

SECTIO I.

Hypothesis vel resolutio prima.

§. 1.

A Seldio proponitur.

VEl potius imponitur Marcellio, hisce verbis: *Ecclesia (Romana) est infallibilis fidei regula.* Duplex impostura. 1. in voce *Romana* Non loquitur ibi Marcellius de Romāa individua, sed de Romanæ universali, sive de Ecclesia Romano-Catholica, quæ toto terrarum orbe latè diffusa, Romano Pontifici, ut Jesu Christi in terris Vicario, adhæret. Atque ideo deinceps, ad elidendam Prædicantis, quam tam studiosè sectatur in ea voce captionem, loco Romanæ Romano-Ca holicam scribemus. Altera impostura est, quod dicat Marcellio Ecclesiam Romano-Catholicam esse infallibilem fidei regulam. Nunquam

P Marcel-

Marcellio, aut ulli nostrum, in mentem venit, Ecclesiam appellare fidei regulam. Quare cum hoc oppugnas, tuum ipsius figmentum ridiculè debellare niteris. Aliud est judicem, aliud normam & regulam esse. Prius de Ecclesia asserimus, non posterius.

§. 2.

Falsitas quædam Seldii detegitur.

Patres, inquit, & hos secuti Papistæ quidam scripturam pro regula sufficienti agnoscunt.

In omnibus fidei controversiis? Hoc tu intendis Seldi, sed falsissimum est. Nullus Patrum, nullusque Papistarum ita sensit.

E *S. August. lib. 2. cont. Donat. c. 6. dicit: afferamus divinam stateram, & de scripturis tanquam thesauris dominicis, & in illa quid gravius appendamus.* Concedo. Sed quid infers? Augustinum contra Donatistas ex scriptura contendere voluisse? Bene est. Et nos scripturâ in adversarios utimur. At Augustinum velle solâ scripturâ in omni religionis lite contestanda utendum esse, nemo nisi vecors & amẽs ex illis verbis conficere velit.

Idem August. lib. de unit. Eccl. c. 5. Sunt certè libri dominici: quorum autoritati consentimus, utrique credimus, ibi quæramus Ecclesiam, ibi discutiamus causam nostram. Ita. Infer. *Ergo Augustinus provocat ad scripturam solam.* Hic & nunc. concedo. In omni dubio? nego. Vin' verò ostendam tibi Magnum Augustinum in rebus de fide controversis etiam Ecclesiæ & traditionum Apostolicarum autoritatem admittere? An non est causa fidei, si quæratur an Evangelio S. Matthæi fides adhibenda sit vel non? At S. Augustinus contra epist. fund. c. 5. ait: *ego Evangelio* (Matthæi) *non crederem, nisi me Ecclesia Catholica commoveret autoritas.* An non est causa fidei, num ab hæreticis tincti sint iteratò tingendi? At August. lib. 2. de bapt. contra Donat. cap. 7. sola traditione Apostolicâ nixus negativam partem amplectitur. *Quam consuetudinem*, Inquit, *credo ex Apostolicâ traditione venientem, sicut multa non inveniuntur in literis eorum,* (nota benè Seldi) *neque in Conciliis posteriorum, & tamen quia per universam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis* (Apostolis) *tradita & commendata creduntur.* An non causa fidei: an infantes sint sacro fonte abluendi? At S. Augustinus, ad affirmandum traditionem Apostol. credit sufficere. Lib. 4. contra Donat. de bapt. c. 24. *Et si quisquam*, ait, *in hac re autoritatem divinam quærat, quanquam quod universa tenet Ecclesia,*

clesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, non nisi autoritate Apostolica traditum rectissime creditur. An non est quæstio fidei: an Deus pater sit ingenitus vel innatus? At Augustinus lib. 3. contra Maximin. Arian. c. 3. fatetur in scriptura non reperiri. *Sed ne quærere multa compellar*, inquit, *ubi tu legisti, patrem Deum ingenitum vel innatum? Et tamen verum est.* I nunc Seldi, & mundo persuadere nitere, S. Augustinum in rebus fidei controversis solam scripturam admittere.

II. *Beda cit. à Grat. c. 8. quæst. 1. can. ult. consentit.* Cuinam consentit? Tibi? Non credo. Ostende. *Sacris literis*, inquit, *unica est credendi pariter ut vivendi regula præscripca.* Ignosce Seldi, non putassem te tam vecordem. Dicit Beda non satis esse debere sacerdotibus & Episcopis, ut in fide & vita vulgo hominum sint æquales, cui vulgo in sacris literis non alia sit credendi, alia vivendi regula præscripta, verùm unica & eadem, tum pro ipso, tum pro illis, tum pro vita, tum pro moribus. Quare cum tu ex hoc colligis, in solis sacris literis illam regulam præscribi, itidem facis atque si sic probares: In Evangelio unica pro omnibus pariter fidelibus fides, unicum baptisma, unicus Deus proponitur. Ergo in solo Evangelio proponitur. Sicut ergo hoc stuporis supini esset argumentum, ita & illud.

III. Gerson de ex. doctr parte 2, considerat. 1. *Scriptura nobis tradita est*, inquit *tanquam regula sufficiens.*

Sufficiens immediatè sine judicio Ecclesiæ. nego. Sufficiens mediatè, mediante judicio & determinatione Ecclesiæ, ad quam scriptura nos ablegat. Concedo. Nam scriptura jubet nos audire Ecclesiam, & consequenter cum in dubiis fidei Ecclesiam auscultamus, scripturam utique auscultamus. Hanc autem esse mentem & sententiam Gersonis probo. Sic enim prosequitur: *At verò dicet aliquis: Ecce quod à principio usque nunc doctrinæ salubres tam verbis quàm scriptis inserta sunt, quas scriptura sacra non continet. Imò continet respondemus, secundùm aliquem gradum Catholicarum veritatum, quos gradus, quoniam alibi explicavimus, &c.*

Jam vero, tit. quæ verit. credendæ de necess. litera E. ponit illos gradus, quorum primus est: *canon totius scripturæ & singulorum quæ in ea literaliter continentur, &c. Secundus gradus, veritatum ab Ecclesia determinatarum, quæ ab indubitata relatione Apostolorum per successionem continuam venerunt. Est autem hæc Ecclesiæ autoritas tanta*

ut diceret Augustinus: Evangelio non crederem nisi me Ecclesiæ autoritas compelleret. Audin' Seldi, quod juxta Gersonem etiam sint de fide, ea quæ ab Apostolis oretenus tradita, ab Ecclesia proponuntur. Ergo aliqua sunt de fide, quæ à scriptura immediatè & expresse non regulantur, sed tantum mediatè, quatenus scriptura jubet Ecclesiam adire & audire. Unde addit: *quanquam vicissim dici possit: Ecclesiæ non crederem si non autoritas sacræ scripturæ impelleret. Et ita diversis respectibus autoritas utraque mutuo se confirmat.* Adjungit tertium gradum, qui est, *veritatum specialiter alicui revelatarum, quæ ab illis, quibus revelatio facta est, absque ulla dubitatione credendæ sunt alioqui non esset revelatio, de cuius ratione est ut sit certa. Cæteri verò, quibus non facta huismodi revelatio, non obligantur credere, nisi per miraculum, vel scripturam sacram, & præcipuè per Ecclesiam detur certitudo.* Satin' habes Seldi, ut videas te imposuisse Gersoni, aut eius mentem minimè perspexisse:

IV. *Confer Thom Aquin. in 1. Cor. 6. lect. 1.* Contuli equidem. At ne apicem invenio qui huc spectet. Sed alibi reperio, cum agnoscere, non solâ scripturâ sed etiam traditione Ecclesiam regulari. 3. p. q. 25. a. 3. ad 4. *Apostoli familiari instinctu*, inquit, *spiritus S. quædam Ecclesiis tradiderunt servanda, quæ non reliquerunt in scriptis, sed in observatione Ecclesiæ per successionem fidelium. Unde ipse dicit: state & tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, scilicet ore prolatum, sive per epistolam, scilicet scripto transmissam. Et inter huiuscemodi traditiones est imaginum Christi adoratio.* Et nunquid ad fidei dogmata pertinet, Seldi, an imagines Christi adorari possint aut debeant? Ergo ex mente Doctoris Angelici, Apostoli quædam fidei dogmata, non scripto, sed traditione sola Ecclesiæ consignarunt. Confer huc, quæ idem Doctor in 2. ad Thess. 2. lib. 3. scribit. *Multa in Ecclesia non scripta, sunt ab Apostolo docta, & ideo servanda. Nam multa secundum judicium Apostolorum melius erat ut occultarentur, ut dicit Dionys. unde Apostolus 1. Cor. dicit: cætera cum venero disponam.*

V. *Confer Stapleton. lib. 7. princip fidei doctr. c 1.* Contuli Seldi, sed inveni clavam Herculeam, quæ Cacum Rombildensem Traditionis & Ecclesiæ autoritati insidias molientem, pessimè mactet. Dicit unicam esse fidei regulam, symbolum Apostolorum, non scripto, sed sola Ecclesiastica traditione constantem. Ergo non dicit, quod tu somnias, fidem nostram solâ scripturâ regulari. Si audire vis, hæc Stapletoni & omnium nostrûm una est sententia, unicam fidei normam,

mam, atque regulam, ad quam omnes religionis controversias dijudicare oporteat, esse verbum Dei. Verbum autem Dei non omne literis comprehensum esse, sed aliud in Bibliis exaratum legi, aliud in memori traditionis Ecclesiasticæ archivio ab Apostolis depositum, infallibili Ecclesiæ Catholicæ judicio nobis depromi & explicari. Ergo verbum Dei sive scriptum sive traditum tantùm est regula, Ecclesia judex, Patres & Doctores, testes.

SECTIO II.

Hypothesis sive resolutio II.

§. 1.

Reponitur.

Ecclesia Romano-Catholica, expressis sacræ paginæ verbis commendatur, ideoque audienda.

§. 2.

Reponit Seldius.

Esse audiendam, eo modo quo scriptura jubet audiri, non alio. Benè habet. Neque sanè Marcellius alio modo vult audiri, nimirum ut fidei Magistram, & controversiarum judicem, erroris expertem.

Non hoc modo, ait Seldius. Quomodo ergo sodes? *Ut præconem, ut testem, ut vindicem, ut interpretem.*

Contra 1. Ubi scriptum est debere audiri Ecclesiam, ut præconem non ut judicem? Christus absolutè & simpliciter dicit: *dic Ecclesiæ*, cur non ut judici, inter me & fratrem meum, de infidelitatis peccato invicem contendentes? Addit: *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus*: non addens, ut testem, ut præconem, ut judicem. Cur ego ergo non omni eo modo intelligam? Qua fronte tu sic interpretaris: si quis Ecclesiam, testantem, præconiantem, vindicantem, interpretantem non audierit, esto publicanus: si quis verò ex judicis autoritate de fidei doctrina pronunciantem (quod Prædicantes faciunt) aspernetur & recuset, non publicanus, sed vir bonus & frugi habetor? Nimirum ita tibi volupe est, ut errorem tuum & hæresin tuearis, sacerrima servatoris verba torquere.

Contra 2. Vel Ecclesia Romano-Catholica cum præconis, vindicis, testis & interpretis munere fungitur, est in ea re infallibilis, vel non. Si non, quomodo Christus tam severè jubet audiri? Si est, jam

habet hoc loco intentum suum Marcellius, nimirum Ecclesiam esse ab omnibus audiendam, quicquid de hoc sit, an sit judex, an testis, an interpres. Ergo manet firma Marcelliana resolutio.

Sectio III.

Hypothesis sive resolutio III.

§. 1.

Exponitur.

E*cclesia Romano-Catholica, nunquam à verbo Dei potest recedere.* Quia est columna & firmamentum veritatis, sponsa Christi perpetuo fœdere stipulata, civitas supra montem posita, ad quam omnes gentes adire habent, ut in fide Christi instruantur.

§. 2.

Seldiani fumi difflantur.

I. Fumus Seldii.

Non rectè colligit Marcellius: Ecclesia Catholica est sponsa Christi. Ergo non potest à verbo Dei recedere. Quia etiam Corinthiaca Ecclesia erat sponsa Christi, & tamen defecit.

Optimè colligit Marcellius, non quidem ex eo, simpliciter, quod sit sponsa Christi, sed quod sit sponsa universalis habens absolutam promissionem, quod portæ inferi non sint adversus eam prævalituræ, & quod de ore seminis eius non sit recessurum verbum Dei. Talis autem non erat Ecclesia Corinthica.

At Judaica fuit etiam universalis, habens promissionem. Ita, usq; ad Christum, unde etiam non defecit tota ante Christi adventum.

II. Fumus Seldii.

Promissiones Esai. 59. factæ, sunt conditionales. Nego, ut supra. *Si est absolutè promissio facta Ecclesiæ non recedendi à fide, ergo est etiam promissio facta non recedendi à charitate & sanctitate.* Concedo. *Atqui consequens est contra Pontificios. Ergo.* Nego subsumptum. Credimus Ecclesiam sanctam Catholicam, non modo fide, sed & charitate capiti suo Christo semper coniunctam. *Membra Ecclesiæ & Papa peccare possunt. Ergo à charitate deficere.* Distinguo Ant. Omnia membra, nego. quædam & ipse etiam Papa, concedo. Etsi ergo quædam Ecclesiæ membra sanctitudinis jacturam faciant, non ideo Ecclesia universim sumpta desinit esse sancta.

III. Fu-

III. Fumus Seldii. *Illud Matth. 5. 15 Non potest civitas abscondi: non intelligitur de Ecclesia, sed de Apostolis*

Inprimis à S. Augustino tanti nominis Doctore explicatur immediatè de Ecclesia lib. de unit Eccl. c. 14. & passim alibi. An non hoc Marcellio satis? Deinde etsi plures è nostro numero Interpretes literaliter de Apostolis capi velint, non tamen volunt capi de iis ut privatæ quædam personæ; sed ut capita Ecclesiæ fuerunt, ex munere Apostolico lucem fidei mundo inferentes. Atqui hoc ipsum ad scopum Marcellii quàm maximè facit. Nam si Ecclesiæ capita, eorumque in munere Apostolico successores, latere non possunt, sed necessario doctrinæ publicæ splendore effulgent, non potest non etiam Ecclesia eodem lumine perspicua in omnium oculis perpetuò versari.

IV. Fumus Seldii. *Potest visiblis Ecclesia ob persecutiones & hæreses ita quandoque obscurari, ut nullibi exterius incorruptum ministerium vigeat.*

Fumus est sæpe sæpius à nostris difflatus.

1. *Tempore decem persecutionum Ecclesia se occultavit, exceptis paucis qui se Martyrio offerebant, teste Vega*. Non se ita occultavit tota, quin retineret Antistites, qui synaxes agerent, cœtus cogerent, imò Concilia celebrarent. Tempore Diocletiani, qui unus crudelissimè omnium religionem est insectatus, Sinuessam trecenti omnino Episcopi, in causa Marcellini lapsi convenerunt, ut testantur acta Concilii Sinuessani, quæ extant tom. 1. Concil. Recitantur etiam acta Concilii Circens. in Affrica eodem tempore habiti, ab August. l. 3. contra Crescent. cap. 26. & Optato lib. 1. contra Parmen. Martyres verò qui sanguinis purpurâ Ecclesiam illustrarunt non pauci sed innumeri fuerunt. Sub eodem Diocletiano in Ægypto cæsa fuere 144000. Christianorum & 700000. in exilium acta. In aliis provinciis non minor multò edita strages. Romæ verò uno duntaxat mense decies septies milleni recensiti sunt mortem pro fide oppetiisse, teste l. de Rom Pontific. in Marcellino. Ut rectè dixerit Severus, nullis unquam bellis tantum sanguinis haustum, neque maiore unquam triumpho Ecclesiam vicisse, quàm cum decem annorum stragibus vinci non potuit. Quomodo ergo dici potest, Ecclesiam latuisse, quæ Concilia celebrabat, quæ Pontifice summo, in orbis urbe, insignita erat, quæ tot sanguineorum testium exercitibus, toto, quà latè patebat Imperio Romano, fidem suam propugnabat? Quod ergo Vega dicit comparatè & secun-

dùm

dùm quid intelligendum est. Nimirum, statum Ecclesiæ, in quo tempore persecutionum fuit, si comparetur cum eo qui præcessit, vel qui deinceps post tempestatem sedatam consecutus, omnino latebrosum & occultum videri posse. Eodem modo Martyres qui supplicio palam addicebantur, quantumquoque innumero numero forent, tamen pauci erant, comparatione eorum, qui vel fidem suam prudenter dissimulabant, vel publico abstinebant, vel etsi noti essent, prætorum conniventiâ in jus non trahebantur.

2. *Tempore invalescentis Arianismi Ecclesia delituit.*

Imò verò enituit. Nam Concil. Ariminense Liberius Pontifex damnavit, teste Socr. lib. 2. cap. 29. & Damas. Liberii successor teste Theodoreto lib. 2. cap. 22. Et plurimi Catholici antistites, inter quos Gaudentius Ariminin. & Maximus Neapol. Episcopus, quod errori palàm restitissent, partim morte, partim exilio malè mulctati fuerunt. Quomodo ergo delituit Ecclesia, quæ contra Arianam pestem, Pontificum decretis, & præsulum exilio, sanguine, ac morte depugnabat? Hieronymus penè obrutam navem fatetur sed non tamen obrutam. Hilarius in latebris quærendam fuisse Ecclesiam dicit, non tamen tam latebrosas dicit, ut invenire à fidelibus investigatoribus non potuerit.

3. *Tempore atheismi & Epicureismi in sede Romana.*

Nunquam fuit atheismus in sede Romana. Tulit equidem infælicitas temporum, ut in cathedra Petri sederint aliquando scribis & Pharisæis non meliores qui licet malè vixerint, non tamen malè docuerunt. Quanto ergo rectiùs faceres Seldi, si nobiscum ex doctrina Christi, neglectis, aut ad divinum tribunal (quo spectant) remissis, talium Pontificum factis, ea quæ ex cathedra dixerunt & docuerunt, servares & faceres.

4. *Tempore Anti-Christianismi fatentur Pontificii cessaturum splendorem ministerii publici.*

Ita splendorem aliquem, sed non functionem omnimodam. Erit breve Lunæ nostræ deliquium, non tamen absque sufficiente lumine ut videri omnino non possit. Oppugnabitur ab Anti-Christo sed non debellabitur. Neque aliud volunt dicere Viegas, Bellarmini. Acosta, Anglo-Rhemenses quos tu testes adducis.

SECTIO

SECTIO IV.

Hypothesis sive resolutio IV.

§. 1.

Exponitur.

E*Cclesia Romano-Catholica est orbita via regia salutis*, quam qui sequitur, nunquam à fine, ad quem conditi omnes sumus, aberrabit. Uti in via publica, quà vehiculis inceditur, duplex & parallela impressa est orbita, cui insistere oportet eum, qui sine errore iter agere velit: ita in hoc vitæ mortalis decursu, Deus immortalis, viam salutis comuniens, geminam nobis descripsit orbitam, quæ recto & infallibili tramite nos ad optatam veritatis supernaturalis metam perducat. Una est, scriptura sive verbum Dei literis consignatum, altera, Ecclesiæ definientis autoritas, quæ verbi Dei non scripti sed traditi depositaria, ex eius præscripto fideles dirigit. Ita Vinc. Lirinens. libel. cont. profan. novit.

§. 2.

Defenditur contra fumos Seldii.

I. Fumus Seldii. *Lirinensis meritò reficitur.* Quare? *Quia aliis Patribus est contrarius.* Quibus? *Clem. Alex. strom. 7. Qui libenter*, inquit, *in rebus præclaris laborem impendunt, non prius absistent ab investiganda veritate, quàm ipsis scripturis demonstrationem eruerint.* Non est, crede mihi Seldi, Clemens contrarius. Vult veritatem investigari & erui ab ipsis scripturis, nempe eo modo quo scripturis insunt, id est, vel proximè & immediatè, ut cum verba scripturæ rei controversæ mentionem faciunt, vel remotè & mediatè, ex traditione & judicio Ecclesiæ, ad quam scriptura nos ire jubet. Certè Clemens traditionem, & verbum Dei ab Apostolis non scriptum, sed tantùm traditum admittit. Explicans enim illa verba S. Pauli Rom. 15. 29. *Scio quoniam veniens ad vos in abundantia benedictionis Evangelii Christi veniam*: Sic ait: *Spiritale donum & traditionem, quæ est ex cognitione, eis præsentibus præsens cupit impertire, neque enim ea poterant significari per epistolam, &c.* Imò eod. lib. 7. strômat. quem tu laudas, apertè dicit, eos qui traditionibus Ecclesiæ obsistunt fidem amittere, & hæreticos evadere, quantumvis scripturarum autoritatem prætexant. *Qui autem sunt eiusmodi*, inquit, *ut qui à recta via exciderint, meritò etiam fallantur in pluribus singularibus, propterea quod non habeant verorum & fal-*

ſorum judicium planè exercitatum in eis, quæ oportet eligere. Si enim haberent, parerent ſcripturis divinis. Quomodo ergo ſi quis fiat beſtia ex homine, ſimiliter atque ii qui fuerant infecti venenis Circes: ita homo Dei eſſe & Deo fidelis eſſe perdidit, qui adverſus eccleſiaſticam recalcitravit traditionem, & in humanarum hæreſum deſiluit opiniones. Ergo Clemens Lirinenſi conſentit.

S. Auguſtinus lib. 3. contra Maximin. cap. 14. vult diſceptari ſola ſcripturarum autoritate.

In uno aliquo, & quidem nominis pene unius puncto? Concedo. Contendebat Auguſtinus cum Maximino Ariano de voce homuſios, an de filio Dei dici ac prædicari deberet, quæ à Concilio Nicæno probata, ab Ariminenſi verò hæreticorum fraude circumvento tantùm non eliminata fuerat. Cum ergo Auguſtinus Concilium hic Concilio opponi poſſe videret, noluit hanc ſerram cum pervicaci adverſario reciprocare, ſed omiſſo eo argumento, aliàs valido, ad ſcripturas utrique communes provocavit, & rem ipſam, quæ per homuſii controverſum nomen notabatur, earum autoritate ſtabilire, contendit. Quod verò mens Doctoris Hipponenſis non fuerit, id in omnibus omnino fidei negotiis, quæ ab hæreticis in dubium vocarentur fieri oportere, vel ex eod. libro manifeſtè demonſtro. Nam cap. 3. Maximino ſcripturam, urgenti, ita reſpondet: *Sed da, inquis, teſtimonia ubi adoratur Spiritus Sanctus, quaſi non ex iis quæ legimus, aliqua etiam quæ non legimus intelligamus. Sed ne quærere multa compellar, tu ubi legiſti Deum patrem ingenitum vel innatum, & tamen verum eſt.* Paulo antè ſect. 5. §. 2. plura ex eod. Auguſt. dedimus.

II. Fumus Seldii. *Lirinenſ. præſcribit hoc modo viam veritatis reperiendæ nimis inviam.* Proba.

I. *Quia Lirinenſis Catholicam traditionem docet innoteſcere ex iis, quod vel omnes vel plures è Patribus manifeſtè perſeveranter, &c. tenendo, tradendo firmaverunt.* Ita. *Sed hæc via eſt invia.* Quare invia ſodes?

1. *Quia omnia Patrum monumenta non ſuperſunt.* Simplex caput! Lirinenſis vult colligi ex monumentis majorum, non iis quæ injuriâ temporum interciderunt, (tam non eſt amens Lirinenſis, & tu ſapientior eſſe deberes, quàm ut rem tam ſtolidam hic objectares) ſed quæ ſuperſunt & manibus eruditis teruntur.

2. *Ea quæ ſuperſunt non juvant neque poſſunt juvare.* Eccur? *Quia multa ſunt, & legi ab nullo omnia poſſunt.* Scilicet, quia tu, tuique ſimiles

les uxoriæ rei impliciti non possunt, nemo potest. Multi nostrum evoluerunt, & lecta compendiò tradiderunt, ut inde alii abunde haurire possint. Id est satis. Neque etiam scripturam intelligunt, aut intelligere, imò nec legere omnes possunt, & tamen quantum satis est ex suis Doctoribus audiunt. *Quia multa eorum à Pontificiis præsertim post Lirinensem corrupta sunt.* Calumniaris Prædicans.

II. *Præscribit Lerin. viam inutilem.* Proba. *Patres in eodem puncto errarunt omnes simul conjuncti.* Jam falsum dicis. *Ipsi Papistæ fateri coguntur.* Et hoc fingis. In rebus religionis, quando omnes idem sentiunt, dicuntque esse fide tenendum, sunt omnino ab errore immunes. Supra diximus in. 1. p. *Et ipsi Pontificii sæpe ab omnibus discedunt.* In sententia fidei? Falsum dicis. Si tibi, Seldi, quoties falsum excidit, pilus unà unus excideret, jam dudum ovo pascali depilis esses magis depilis.

III. *Lerin. præscribit viam intricatam.* Tuo capiti tricoso? Transeat. Illis qui lucem lucidam amant? Nego. *Patres inter se sæpius dissentiunt.* Sæpius? in re fidei? & multi à multis? Falsum est. Subinde discrepant multi à multis, & tunc ex eorum autoritate non nisi probabile in unam partem trahitur argumentum. Aliquando multi à paucis, & tunc non horum, sed istorum à nobis habetur ratio.

IV. *Lerinens. via est inadæquata. Quia non omnes hæreses ea ratione refutandæ.* Concedo totum. Qui geminam viam ostendit, non voluit utramq; ita esse adæquatam ut in omni dubio sola sufficiat.

V. *Est insidiosa. Quia Patrum antiquiorum judicia commendando Pelagianæ & Semipelagianæ hæresi, de qua suspectus fuit, patrocinari voluit.*

O hominem te perditum Seldi, qui virum hæresi Pelagianæ & Semipelagianæ debellandæ natum de hæresi eadem suspectum facis! Et hoc nullo ex antiquis, autore, solo Riveto Calviniano teste? Quæ hæc profligatæ frontis audacia?

SECTIO V.

Hypothesis sive resolutio V.

§. 1.

Exponitur ex mente Marcellii.

Ecclesia Romano-Catholica est veri scripturæ sensus dijudicatrix. Nullibi meliùs aut commodiùs scripturæ interpretatio quæritur, quàm in sinu Ecclesiæ, neque indocti aliò tutiorem ab adversariorum

cacodoxorum impugnatione receptum habent. Credimus, quia Deus dixit. Deum autem dixisse, aut eo sensu dixisse, non aliunde nobis constat, quàm Ecclesiæ proponentis autoritate. Rectè igitur Augustin. lib. 1. contra Crescon. cap. 33. jubet Ecclesiæ judicium in rebus de fide dubiis consuli.

§. 2.

Testimonium S. Augustini à Marcellio rectè allatum ostenditur.

Testimonium ita habet in terminis: *Quamvis huius rei* (quod hæretici non sint rebaptizandi) *certum de scripturis canonicis non profératur exemplum, earundem tamen scripturarum etiam hac in re à nobis tenetur veritas, cum hoc facimus, quod universæ placuit Ecclesiæ, quam ipsarum scripturarum commendat autoritas, ut quoniam sacra scriptura fallere non potest, quisquis falli metuit huius obscuritate quæstionis* (de hæreticorum baptismo) *eandem Ecclesiam de illa* (quæstione) *consulat, quam sine ambiguitate scriptura demonstrat.* Hinc Marcellius colligit Augustinum velle in dubiis controversiis, etiam de scripturæ sensu ad Ecclesiæ nobis judicium eundum esse. Sed contra fumat Seldius.

I. *Qualis consequentia: Ecclesia à scriptura commendata praxis est attendenda in quæst. de rebaptiz. hæreticis. Ergo Ecclesia Romana hodierna est de vero sensu scripturæ judicare?*

Quæris qualis? Optima. Nam supponit & Ecclesiam Catholico-Romanam esse Ecclesiam Catholicam à scriptura commendatam, & quæstionem illam de hæreticorum baptismo, ad explicationem scripturæ pertinere. Unde hæc ci vis inest. Augustinus in quæstione: an hæretici sint iteratò tingendi: vult attendi ad Ecclesiæ usum. Ergo vult in sensu scripturæ vero obtinendo recurri ad Ecclesiam: tum quia hoc sine vero scripturæ sensu decidi non potest, tum quia si in hoc definiendo Ecclesia infallibilem obtinet autoritatem, etiam in explanando scripturæ sensu obtinebit. Eccur enim non tam in hoc quàm illo? Item, Ecclesia Catholica est à scriptura commendata. Atqui Romano-Catholica hodierna est Ecclesia Catholica. Ergo Romano-Catholica hodierna est Ecclesia à scriptura commendata.

II. *Si Ecclesia propter scripturam est audienda, ergo nisi cum scriptura concordet non est sequenda.*

Atqui juxta doctrinam Augustini fieri non potest ut sequendo Ecclesiam scripturam non sequamur. Ergo etiam fieri non potest, ut Eccle-

Ecclesia scripturam non sequatur. Ergo nugatorium est & opinioni S. Augustini adversum, quod tu dicis, nimirum Ecclesiam si repugnet scripturæ, non esse sequendam.

III. *Testimonium hoc Augustini est Papistis contrarium*. Probat. *Illa Ecclesia non est consulenda, quam scripturæ autoritas non commendat*. Concedo. *Atqui Romano-Catholicam non commendat*. *Ergo*. Nego Minorem. *Vituperat eam ut Antichristianam*. Falleris. Ubi enim vituperat? *2. Theß. 2. vituperat*. Insanis. Nulla ibi mentio Ecclesiæ Romanæ.

IV. *Si judicium Ecclesiæ esset summum, sequeretur fidem nostram niti autoritate humana non divina*. Nego sequelam. Autoritas definitiva Ecclesiæ in rebus fidei est divina, uti fuit Moysis, Prophetarum, & Apostolorum.

§. 3.

Indoctorum responsio, se credere, quia id credit Ecclesia, contra Seldii fumos vindicatur.

Contra hanc expeditam & vulgo Catholico usurpatam profitendæ tuendæque fidei rationem, Seldius fumos spirat.

I. Fumus Seldii. *Hæc doctrina est Apostolicæ è diametro opposita*. Nego. *S. Petrus 1. epist. 3. 15. injungit fidelibus ut sint parati ad reddendam rationem fidei omni se poscenti*. Concedo. At qui dicit se purgatorium credere, quia Ecclesia id credit, an non rationem reddit? Vult Petrus rationem ab unoquoque reddi pro captu suo. Ab doctis nimirum proximam expressam immediatam, ex verbo Dei, ab indoctis mediatam, & generalem, & implicitam, ex doctrina Ecclesiæ. *At primitiva Ecclesia non sic intellexit*. Nego. *Testis est Cornelius*. Fallis, non est testis. Dicit enim quod nos dicimus, *laicos nimirum si ab hæreticis rogentur, cur v. g. Christum credant in Eucharistia esse præsentem respondere debere, quia id credit omni sæculo Ecclesia, quæ est columna & firmamentum veritatis, utpote sponsa Christi, gubernata & protecta spiritu S. quare stolidum esse hoc post tot sæcula in dubium revocare*.

II. Fumus Seldii. *Hæc ratio est fallacia plurimarum quæstionum obnoxia*. At illas quæstiones faciliùs elidet simplex Catholicus, quàm tu eas faxis. Si enim quæras ex eo, an ea Ecclesia quæ sic credit sit vera, dicet esse, si instes, unde id norit, signa & motiva credibilitatis, afferet in medium, neq; se deinceps moveri sinet, sed ad sententiam Ecclesiæ velut polypus ad saxum immotus affixusque hærebit.

III. Fumus Seldii. *Hæc ratio est Pharisaica & tuendæ incredulitati accommoda.* Cavillatio hæc tua est Pharisaica. Ecquid enim? *Sic enim Joann. 7. 4 arguebant contra Christum: numquid aliquis ex Pharisæis aut principibus credidit in illum? ac si dicerent, Ecclesia & synagoga non credit in illum, ergo non debet in illum credi*

Non omne quod Pharisæi faciebant, vituperatione dignum est. Neque nos simile iis facimus in hoc genere. Illi appellabant ad Synagogam jam destitutam, & adventu Christi exoletam: nos ad Ecclesiam Christi, supra firmam petram constructam, contra quam omnes inferorum portæ nihil unquam efficient, provocamus.

§. 4.

Illud Augustini: Ego Evangelio non crederem nisi me Ecclesiæ Catholicæ mrveret autoritas: rectè à Marcellio allegatum ostenditur.

Seldius more suo etiam hic fumos fumat.

I. Fumus Seldii. *Hoc testimonium, aliorum Pontificiorum expositione, refertur vel ad Ecclesiam Apostolicam primitivam. Ita Durand. in 3. disp. 24. sect. 1*

Inprimis Durandus unus est, qui hoc dicat. Ergo sicut ineptè quis probaret contra Lutheranos, illos hoc vel illud docere, eo quod unus Seldius doceat: ita ineptè ab uno Durando ad Pontificios universim arguit Seldius. Deinde falsum est Durandum, illud Augustini dictum eo referre. Sed suam ipsius sententiam, de autoritate Ecclesiæ (quod nimirum illa sit verum motivum formale credendi, scripturam esse verbum Dei) vult intelligi de primitiva Ecclesia, quatenus ex Apostolis constabat quorum Apostolorum verbum, erat verè verbum Dei. Quod verum est. Eo ergo sensu, verbum & testimonium Ecclesiæ illius, erat verbum & testimonium ipsius Dei, & consequenter ratio formalis fidei divinæ. At cum hodierna Ecclesia Catholica testatur Evangelium Matthæi, v. g. esse verbum Dei, eius testimonium non est verbum Dei, propriè, neque ratio formalis credendi, sed autoritas infallibilter proponens tantùm rationem formalē sive motivum credendi. Ergo Durandus nihil officit Marcellio. Aliunde verò evidens est S. Augustinum non potuisse loqui nisi de Ecclesia universali prout ea successivè existebat ipsius tempore. Quia autoritas Evangelii, & testimonium Ecclesiæ primitivæ quæ Apostolis adhuc spirantibus efflore-

florescebat, æquè erant Augustino ignota. Ergo non poterat esse ratio, cur Evangelio potiùs crederet propter Ecclesiam, quàm Ecclesiæ propter Evangelium. Atqui ille credidit Evangelio propter autoritatem Ecclesiæ. Ergo hæc erat ei magis perspecta. Ergo erat Ecclesia eius ævi ipsi Augustino contemporanea.

II. Fumus Seldii. *Vel præter testimonium, Ecclesia nihil deferri statuitur.* Ita est. Communis hæc omnium nostrum opinio est. Quid inde? *Ergo Marcellio non prodest.* Eccur non prodesset? Etsi enim hoc modo, cum Catholicus dicit se credere, quia Ecclesia credit, non ita formaliter & expresè denotet motivum formale fidei, quod est revelatio Dei, tamen virtualiter & implicitè & sufficienter indicat. Hoc ad institutum Marcellii satis.

III. Fumus Seldii. *Testimonium hoc Augustini est alienum à præsenti thesi.* Non credo. Proba Prædicans. *Hic agitur de laico, qui sit in fide & Ecclesia Pontificia constitutus.* Benè habet. *Ipse vero loquitur de se adhuc Manichæo.* Non sum tam pecus, ut putem. Loquitur in præsenti, & ipse tunc erat Catholicus. Et dato, non concesso, ex sensu Augustini, Manichæum & quemvis alium, initiò conversionis, autoritate Ecclesiæ commoveri debere, ut verbo divino credat, cur non possit eadem deinceps autoritate impelli ut credere pergat? Ergo non est alienum à thesi.

IV. Fumus Seldii. *Sermo Augustini est de fide humana, per Ecclesia autoritatem acquisita.*

Ecclesiæ autoritas est divina in rebus fidei, uti erat Moysis & Apostolorum. Et certè Augustinus disceptabat cum Manichæis non de humana, sed divina fide ad salutem necessaria. Ergo cum diceret, se non credere Evangelio nisi autoritate Ecclesiæ commotum, loquebatur de fide divina. Aut certè concedendum est, tantum fidei pugilem, cum in arena dimicaret, extra scopum exerrasse, & rem à proposita disputatione planè alienam attulisse.

V. Fumus Seldii. *Testimonium Augustini est parum congruum.* Ostende. *Quia est simile testimonio mulieris Samaritanæ Joann 4.* Nego esse simile. Tu dicis esse, sed non probas. Illud erat purè humanum, autoritatis fœmineæ fallibilisq;: hoc est divinum, & peculiari sancti spiritus directione, erroris periculo exemptum.

VI Fumus Seldi. *Testimonium est invalidum.* Tua cavillatio est invalida. *Non sequitur: Augustinus tribuit hoc vel illud Ecclesiæ. Ergo revera Ecclesiæ competit.* Imò valet consequentia contra

Seldi-

Seldium, contraque Prædicantes magnos minutosque universos. *Papistis licet omnium Patrum testimonia rejicere. Ergo & Lutheranis licet unum Augustinum repellere.* Nugæ hæ sunt superiris repulsæ. Nunquam rejicimus communem omnium PP. sententiam in re ad fidem divinam spectante.

Papistæ ipsi ab Augustino aliquando recedunt. Non velim negare aliquem subinde recedere. Vereor tamen ut tu confingas non semel. Proba.

Papistæ ab Augustino recedunt in quæst de viribus liberi arbit. Falsum est, nemo recedit. Omnes à partibus Augustini stamus. *Conqueruntur nimis ab eo extenuari.* Falsum est. *Facit Sixt. Sen. lib. 5. Bibl.* Inprimis ille unus à te adducitur, cur ergo jactas plurali numero *conqueruntur:* Nunquid hæc est ineptia? Deinde falsum est Sixtum conqueri. Supra verba dedimus. Dicit, *videri minus interdum tribuere, quàm par sit, liberæ Voluntati hominis.* Multa videntur esse, quæ non sunt. Qui videtur tribuere nimium, non ideo tribuit. Unde & qui dicit Augustinum videri tribuere, non queritur tribuere. Ergo imponitur Sixto Senensi querela.

Facit Stapleton. passim lib. 2. de justific. c. ult. Falsum est. Ostendit se cum Augustino benè explicato sentire.

Faciunt plures apud Baron. an. 430. Sed non Papistæ, verùm Pelagii fuligine & fumo hæretico tincti, ipso Baronio teste. Contra quos etiam egregiè ab S. Hilario & Prospero & Cœlestio Papa fuit defensus. Ergo iterum imponis.

De peccato origin. falsum fovisse sententiam scribit Pighius. Contr. 1. de pec. orig. Ita. Sed Pighius non est Papistæ, sed Papista. Quod ille facit, stolidè omnibus adscribitur.

Tanner tom. 2. Schol. disp. 4. du. 4. n. 127. accusat de peccato origin. dubium fuisse & sibi non satisfecisse. Hoc non est accusare Augustinum, aut ab eo recedere. Ergo iterum falsum dicis.

Bellarm. de Matrim. c. 16. contra Augustinum negat, divortii aliam non esse causam quam fornicationem.

Videris Sacramento autoratus esse ut calumnieris. Bellarminus sententiam Augustini dicit esse optimam, & ab ea ne latum quidem unguem discedit: Quis tibi deinceps fidat? Non ego hercule.

SECTIO

SECTIO VI.

Hypothesis vel resolutio VI.

§. 1.

Explicatur ex mente Marcellii.

PRo Ecclesia Romano-Catholica in omni controversia stat scriptura. Idque vel expresse & formaliter, ut cum illa docet, quæ in scriptura apertè & distinctè continentur, vel implicitè & virtualiter, ut cum vel per consequentiam ex scripturis aliquid deducit, vel ex verbo Dei non scripto & traditionibus, per instinctum spiritus Sancti, quid credendum sit definit, quamvis subinde contingat, ut illud ipsum scripturæ alicui contrarium videatur. Exempla sunto. Ecclesia jubet sanctificari diem dominicum, non sabbathum. Celebrari pascha non lunâ quartadecimâ, sed dominico die sequente. Permittit comedere suffocatum & sanguinem: quæ omnia videntur equidem, sacræ paginæ adversa esse, minimè tamen cum ea pugnunt, cum ab Ecclesiæ instituto proveniant, quæ teste scriptura est firmamentum veritatis Christianæ, & fundata supra firmissimam petram, deficere à fide non potest.

§. 2.

Contra fumos Seldii defenditur.

I. Fumus Seldii. *Falsum est scripturam stare in omni controversia pro Pontificiis.* Dicis more tuo falsum. *Supra ostensum est.* Nego ostensum esse.

II. Fumus Seldii. *Falsum est, quod scriptura praceptum de suffocato & sanguine non revocet.* Ubi ergo revocavit? Ostende sis, aut dicam te mentiri. *Pracepta Levitica, de ciborum delectu sunt generaliter revocata, Act. 10. 11. & 15. &c.* Transeat. At præceptum de suffocato & sanguine quo de hic Marcellius agit non est Leviticum, antiqui juris, sed Apostolicum, novæ legis in Concil. Jerosolymitano latum. Act. 15. 28. revocatione illa generali, quàm tu laudas, posterius. Ergo.

Praceptum hoc Apostolicum fuit temporarium, ideoque cessante causa, sponte sua cessavit.

Ego verò ex te quæro, ubinam scriptum est, præceptum illud Apostolorum fuisse temporaneum? Ubi scriptum cessãte causa sua sponte intercidisse? Nullibi sanè. Præterea, si sua sponte, usu Ecclesiæ inter-

cidit, ergo tu falsum dixisti, nimirum scripturam præceptum de suffocato & sanguine revocasse. Ergo solo Ecclesiæ judicio hic contra scripturam, ut equidem videtur, nitimur.

III. Fumus. *Falsum est diei dominicæ sanctificationem non esse in scriptura expressam.* Imò verum est. Licet enim interpretes nostri probabiliter ex scriptura colligant tale præceptum, non tamen dicunt, expressè in scriptura contineri.

IV. Fumus. *Celebratio Paschæ post lunam decimam quartam aliena est à scopo.* Marcellii? Nego. *Confundit dogma cum ritu.* Non confundit, sed tu cavillaris. Ideone confundit ritum & dogma, quia utrumque adducit? O te cucurbitam! Adhæc, non potest de ritu esse fidei dogma? Nonne, cum dicimus Sabbathum non esse agendum more Judaico, de ritu est fidei doctrina? Quæso excute semel veternosum & fumeum veternum, Seldi, & expende quid loquaris. Dicis somniasse Jesuitas in Colloq. Ratisb. etiam canem Tobiæ ad fidei articulos spectare. Ego verò ex te quæro an tu vigilans hæc dicas? Certè sobrius & sapiens non dicis. Omne id est articulus & materia fidei, quod cadit sub motivum formale fidei. Atqui canis & cauda canis Tobiæ cadit sub motivum fidei. Ergo. Probo Min. Motivum formale fidei est revelatio & testimonium Dei. Atqui canem Tobiæ fuisse, & caudam movisse, cadit sub testimonium Dei, & proponitur nobis sub testimonio Dei, Tobiæ 12. 29. Ergo. Et nisi hoc intelligis, cane Tobiæ es magis canis.

V. Fumus. *Celebratio Paschatis, & diei dominicæ, & revocatio præcepti de non comedendo sanguine & suffocato, non spectant ad fidem salvificam, & ad credenda fid salvifica.*

Ergone hæreticus non esset qui doceret dominicum diem non festivo ritu agendum, Pascha non celebrandum lunâ quartadecimâ, sanguine & suffocato non licere Christianis vesci? Atqui S. Augustin. & Epiphan. Quartadecimanos inter hæreticos numerant, quod Pascha cum Judæis quartâ decimâ lunâ agerent. Sed quicquid scit, quid tu æstimes, quomodo probas tales non aberrare ab iis quæ spectant ad fidem salvificam.

Quæcunque, inquis, *expressè in scriptura non docentur, non spectant ad dogmatata, absolutè & simpliciter creditu necessaria. Atqui illa non continentur. Ergo.*

Quid ergo? Ergo non spectant ad dogmata absolutè & simpliciter creditu necessaria. Concedo. Sed hoc non est probandum, neque

in-

inferendum, verùm illud quod ante dixeras, nimirum non spectare ad credenda fide salvifica. Aliud est spectare ad fidem salvificam, aliud absolutè & simpliciter esse creditu necessarium. Ad fidem spectat omne id quod revelatum est, & sine peccato discredi non potest, nisi ignoratio excuset. Unde est quidem necessarium creditu ad salutem, non tamen absolutè, quia si sine noxa fortè non credatur, non impedit salutem. Illud autem est simpliciter & absolutè necessarium creditu, quod cum non creditur, etsi inculpabiliter, ob ignorationem etiam invincibilem (ut loquimur in scholis) non credatur, tamen saluti æternæ obstat. Et quæ huius posterioris generis sunt, in scripturis expressa autores nostri fatentur. De prioribus non fatentur. Quia tu verò eorum libros, quos laudas, aut non inspexisti ipse, aut non intellexisti, tam turpiter hallucinaris.

SECTIO VII.

Hypothesis sive resolutio VII.

§. 1.

Exponitur iuxta Marcellium.

E*cclesia Romano-Catholica est adversus hæreses præsidium & munimentum*. Eius enim judicio infallibili deteguntur & condemnantur. Unde omnis etiam hæresis est quædam contra Ecclesiam rebellio.

§. 2.

Defenditur contra fumos Seldii.

Fumus I. Seldii. *Supervacanea hæc sunt, quia superius diluta.* Fallis, an falleris? Negamus te diluisse.

Fumus II. *Ἀνακόλουθον est quando sic colligit Marcellius: Paulus rogavit Romanos, ut observarent qui dissensiones faciunt, Ergo illos semper observarunt.*

Tu fingis Marcellium ita colligere, illi nunquam venit in mentem tam futilis consequentia.

Fumus III. *Ementita est hæresis illa descriptio, quod sit rebellio contra sedem Apostolicam.* Ementita! *Ita. quia laborat triplici infirmitate.* Si addas in tuo Prædicantis capite, concedam. Sed cedo infirmitates.

1. *Non est reciproca.* Quippeni? *Multa sunt hæreses, quæ non sunt rebellio contra sedem Apostolicam.* Cedo vel unam. *Hæresis fuit olim*

in Ecclesia Corinthiaca, eorum, qui negabant resurrectionem mortuorum. Esto. *Illa non fuit rebellio contra sedem Apostolicam.* Proba. *Papistæ nondum probarunt tunc temporis sedem Apostolicam exstructam fuisse.* Tu nondum probasti contrarium. Sedes Apostolica Petri, statim ab initio nascentis Ecclesiæ condita fuit, primum quidem Antiochiæ, constituta, deinde verò Romæ in perpetuum firmata.

2. *Est planè spuria & supposititia.* Quid? Putan' tu Prædicantium generi similem? *Non ex Apostolorum scriptis sed Canonistarum commentis confecta.* Nego. Est ex oraculis sacris, quæ Ecclesiæ supremam in dijudicandis fidei litibus potestatem tribuunt.

3. *Non est congrua Patrum descriptionibus.* Quibus illis? Ede si potes. *Unam produco Hieronymi in comm. ad Gal. 5. Hæreticus est,* inquit, *quicunque aliter sacram scripturam intelligit, quàm sensus spiritus S. efflagitat: à quo conscripta est, licet de Ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest, maximè si sententiam falsam defendit.*

Benè habet. At quomodo huic non est congrua Marcellii descriptio? Quæso quis homo es Seldi? An non potest eadem res diversimodè omnino & congruè describi? Aliter á causa, aliter ab effectis, aliter à proprietate, semper tamen congruè & verè. Quod S. Hieronym. affirmat, non negat Marcellius & quod Marcellius non asserit, non abnuit S. Hieronymus. Quid ergo vis?

Fumus IV. *Quæcunq; religio continet dogmata, eadem scriptura sacra, unica religionis norma, expressa, nec ex eadem scriptura hæresis convinci potest, illa non est hæretica. Talis est Lutheranorum. Ergo.*

Fumus hic vanitatis & falsitatis multiplex. Inprimis falsum in Majore est, scripturam unicam religionis esse normam. Falsum item eam religionem non esse hæreticam, quæ ex scriptura non potest erroris convinci. Potest enim contingere, ut errores foveat contra verbum Dei traditum, & non scriptum. Falsa item Minor. primum, quod Lutherana religio non contineat dogmata, nisi ea quæ sint in sacris literis expressa. Falsum dein, non posse eam ex literis sacris argui. Selneccerus si id refert nostros esse Augustæ professos, falsum refert. Hæc vestra Prædicantium propria proprietas est, fumos divendere, & falsa pro veris audacter obtrudere. Lutherana hæresis potest ex verbo Dei etiam scripto, si in vero & legitimo sensu capiatur, sine dubio, maxima ex parte debellari Dixi *maxima ex parte*, quia negari non potest, quædam esse, quæ, si controvertantur, nulla scripturæ, sed solius verbi traditi in Ecclesiæ archivio depositi autoritate comprobari possint:

sint: Eiusce modi sunt, canon librorum divinorum, verus scripturæ sensus, pædobaptismus, formæ Sacramentorum, &c. de quibus si contentio suscipiatur, necesse omnino erit, omissâ tantisper sacræ paginæ literâ, ad Ecclesiæ traditionem, velut ad sacram anchoram confugere.

Fumus. V. *Frustra adducuntur antiqui Doctores à Marcellio, Augustinus, Epiphan. Hieron.* Tu frustra hoc dicis. *Illi non metiuntur errores ex dissensu cum Ecclesia Romana hodierna.* Nugaris Seldi cum tuo *hodierna.* Romano-Catholica Ecclesia, semper est successivè & moraliter eadem. *Patres illi damnant errores multos hodiernæ Ecclesiæ Romanæ.* Calumniaris utrinque.

1. *Epiphanius detestatus est invocationem Sanctorum.* Ubi? *hæresi 79. ubi dicit: neque Thecla neque quisqam Sanctus adoratur.* Sed cur non addis verba sequentia? *Non enim dominabitur nobis,* subdit, *antiquus error, ut relinquamus viventem, & adoremus ea quæ ab ipso facta sunt.* Nimirum non vult Epiphanius coli Sanctos & adorari, cultu latriæ, qui est Numinis proprius. Alio inferiori colere non vetat.

2. *Idem Epiphan. improbat cultum Mariæ. ibid.* Omnem. nego. divinum, qualem ei Collyridiani deferebant. Concedo. Audi ipsum Epiphan. hæresi 78. loquentem. *Admirati sumus alios ita desipere, ut in traditione de ipsâ sanctâ semper Virgine, pro Deo hanc introducere studuerunt, &c.* Hunc nos cultum unà cum Epiphanio animitùs aversamur.

3. *Idem damnat Montanum hæreticum, dicentem scripturas esse imperfectas hæresi 48.* Quomodo imperfectas?

Ut sua & Priscæ ac Maximillæ suæ vaticinca illis præferret. Nos ab ea impietate procul absumus.

4. *Idem damnat Marcum hæreticum, somniantem vinum calicis dominici in sanguinem transubstantiari.*

Qualis quantusq; impostor es Seldi? An Epiphanius vel verbum facit de vino calicis dominici? An quisquam loquitur de transubstantiatione? Ecce tibi verba Epiphanii: *Anaxilai ludicra cum Magorum appellatorum vafricia commiscuit, & per illa illudens, ac magicam artem exercens, in admirationem sui videntes & credentes ipsi perduxit: velut etiam sodales eius in hunc diem faciunt. Qui verò opera curiositatis vident, putant virtutes magnas in eius manibus perfici, & eorum qui apud ipsos hæc faciunt. Cum enim mentem etiam ipsi amiserint, non vident, neque probare noverunt; quod ex incantatione ludicri, ut ita dicam, ipsius constitutio perficitur. Ipsi enim attoniti penitus facti sunt, mala quadam suspicione adducti. Aiunt enim tria pocula, ex vitro albo apud*

ipsos parari mixta vino albo: & in ea quæ ab ipso perficitur incantatione, & gratiarum actio esse putatur, statim transmutari, vinumq; fieri rubrum velut sanguinem, alterum purpureum, tertium cæruleum. Dein subjungit ex S. Irenæo sequentia. *Pocula vino mixta, simulans se gratias agere, & diutius extendens sermonem invocationis, purpurea ac rubicunda apparere facit, ut putetur gratia ab his quæ sunt super universa, sanguinem suum instillare in illud poculum, per invocationem istius, & valde cupiant præsentes ex illo poculo gustare, ut & in ipsos instillet gratia, quæ per magum hunc invocatur.* Quis non damnet hæc? Et verò quid ad nos & nostram in Eucharistia transsubstantiationem? Non pudet sycophantiæ tam putidæ? Ego mihi facilè persuadeo Seldi, te Epiphanium nunquam vel extremis digitis attigisse, sed hæc deliria ex aliquo sycophanta, consueto vobis Prædicantibus plagio, descripsisse. Aut certè si Epiphanium perlegisti, næ neque tu quicquam sapis corde, neque oculis uteris. Scilicet Seldi, antiquos non intelligis aut malitiosè detorques, recentiores verò Baronium, Ræmondum, Gaulterium criminaris, & cæcos appellas ipse cæcissimus.

Sectio VIII.

Hypothesis sive resolutio VIII.

§. 1.

Exponitur juxta intentum Marcellii.

E*cclesia Romano-Catholica semper sensum Catholicum est amplexa, privatum aversata.* Quia à spiritu S. edocta, non privatum hominum secuta, scripturas intellexit, & Apostolorum vestigiis insistens communem omnibus fidelibus doctrinam & consequenter Catholicam constanter tenuit. *Nam Catholicum est, tenere id quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est.* Lirin.

§. 2.

Defenditur contra fumos Seldii.

I. Fumus. *Scripturæ intelligentia hoc tempore sola collatione investiganda est.*

Falsum est. Etsi enim non sit illaudabile omni conatu verum scripturæ sensum undecunq; investigare, tamen fidere nobis ipsis non possumus neque debemus, nisi videamus, sensum nostrum cum sensu Ecclesiæ Catholicæ convenire, quæ peculiari spiritus Sancti instinctu

uti

uti olim semper, ita adhuc hodie gubernata, à vero non aberrat. Ergo via inspirationis non cessavit in Ecclesia.

II. Fumus Seldii. *Fides Papistica non est Catholica.* Fumi. *Quia non est à Christo & Apostolis universo mundo tradita.* Nugæ. *Tum quia non tenet, quod ubique, quod semper, & quod ab omnibus creditum.* Affaniæ. *Contrarium supra ostensum.* Inaniæ. *Et inferius ostendetur.* Ad calendas nempe græcas. *Tannerus ne unicum reperire potuit virum, qui simul in omnibus doctrinæ capitibus cum Ecclesia Romana consenserit.* Mendacium est Prædicantium. Omnes hodie Catholici eo animo sumus, ut quod Romano-Catholica Ecclesia credit & credendum proponit, id & nos fideli animo amplectamur, parati, si forte in aliquo ab eius sententia discrepemus, revocare & deponere, quamprimum illud nobis innotuerit, & ideo Catholici sumus, & in omnibus cum Romano-Catholica Ecclesia credimus, & credere censendi sumus, licet per imprudentiam inculpatam errori fors alicui contrario inhæreamus. Atqui antiqui Patres illi & Doctores, quos eruditione & sanctitate illustres veneramur, eadem planè mente fuerunt, ut ex eorum monumentis videre licet. Ergo etiam illi, non obstante invincibili aliquo dissensu & nobiscum & cum Ecclesiæ Catholicæ fide, in omnibus omnino consenserunt, & consensisse sunt censendi.

SECTIO IX.

Hypothesis seu resolutio IX.

§. 1.

Exponitur ex mente Marcellii.

E*cclesia Romano-Catholica, cum scriptura ita est connexa, ut qui illi contradicit, huic contradicat.* Præsertim in rebus fidei. Quia ut rectè dicit S. Augustinus, in iisdem scripturis in quibus didicimus Christum, didicimus etiam Ecclesiam. Et qui scripturam audit, audiat necesse est etiam Ecclesiam, quam scriptura & Christus præcipit audire.

§. 2.

Defenditur contra fumos Seldii.

I. Fumus Seldii. *Confundit Marcellius, acceptionem veræ Ecclesiæ & falsæ.* Tu calumniaris. Marcellius tantùm loquitur de vera Ecclesia.

II. Fumus. *Contradictio Ecclesiam & scripturam non eod. modo respicit,* Transeat, sufficit utramque inseparabiliter respicere. *Respicit scri-*

dit scripturam ut normam. Benè. *Ecclesiam non ut normam.* Adhuc benè. *Neq; ut Magistram fidei.* Hic erras Seldi. Ecclesia in rebus fidei doctrix est & judex est, infallibili decidendi autoritate prædita.

Sectio X.

Hypothesis seu resolutio X.

§. 1.

Exponitur juxta Marcellii intentum.

Ecclesia Romano-Catholica est salutis gazophylacium. Extra eam nulla est salus, etiam ei, qui aliàs laudabilem vitam ducere videtur, teste S. Aug. epist. 152. Neque tamen omnes in eius gremio contenti beatitudinem consequentur. Potest enim quis rectè credere, atque in cætu fidelium censeri, & interea aliorum scelerum causâ perire.

§. 2.

Defenditur contra fumos Seldii.

I. Fumus Seldii. *Ecclesia Papistica fovet errores, unde qui intra illam errori adhæret, salutis est expers.* Fumus est fumosus.

II. Fumus. *A Romana-Ecclesia exiere Lutherani jure.* Imaginario non vero. *Ob idololatriam, tyrannidem, &c.* Calumnias, mendacia vestra.

III. Fumus. *Verum quidem est, non esse idem errare in fide, & peccare.* Ergo falsus est Lutherus tuus, qui docet, Christianum non posse salutem perdere ullo peccato, nisi tantùm si nolit credere. Et certè si sola fide justificamur, sola etiam infidelitate peccare & justitiam perdere dicendi sumus. Sed redeamus ad te Seldi. *tamen Marcellius, non benè probat, fidem cum peccatis posse consistere.* Eccur non benè? *Confundit Marcellius dona sanctificantia qualia sunt fides, spes, charitas, cum donis administrantibus, qualia sunt, donum miraculorum & linguarum.* Tu verò calumniaris hæc confundere Marcellium. Utique illa distinguit realissimè. Tu verò quid? Concedis dona sanctificantia esse fidem, spem, charitatem? Si charitas sanctificat, ergo justificat. Quomodo ergo sola fides justificat?

1. *Matth. 7. Ubi aliqui dicunt se in nomine Domini prophetasse & dæmones expulisse, non est sermo de fide.* Non? Unde probas? *Si enim verè fide præditi fuissent, utique Christo placuissent.* Planè subtiliter! Hoc est petere principium mi homo. Affers pro ratione, id quo de est quæstio.

quæstio. Nunquid non ineptè? *Si credidissent, utique voluntatem Dei fecissent.* Nego. Multi credunt benè & faciunt malè. *Christus dicit: Hac est voluntas patris qui me misit, ut omnis qui credit habeat vitam.* Qui credit tantùm? Non dicit Christus. Sine dubio qui credit, & cætera addit quæ Deus exigit, salvabitur.

2. *Fatuæ Virgines caruere oleo fidei, ideo à nuptiis exclusæ.* Tu more tuo dicis, non probas. Longè aliter interpretantur S. Chrys. Hieron. Hilar. Origin. & alii, qui dicunt fatuas Virgines esse fideles, qui solam sine operibus fidem obtinent, prudentes verò, qui cum fide, spem charitatē, aliasq; virtutes Christiano homine dignas conjungunt.

3. *Joann 12. dicuntur aliqui credidisse, sed metu Pharisæorum non ausos profiteri.* Ita. *At non habuere fidem veram.* Cur non? *Quia non fuere professi.* Quasi verò non possit aliquis veram habere fidem, & non profiteri ex metu. *Professio est effectus fidei.* Sit ita. *Ergo fides est causa professionis.* Concedo. *Quando tollitur effectus, tollitur causa.* Qualis philosophus es Seldi? Sublatâ causâ tolli effectum, vulgò dici consuevit nec tamē omni modo verum est. At sublato effectu tolli causam, nemo concedat nisi cui fumus Romhildensis cerebrum fuliginarit.

CAPUT II.

Rationes quibus Marcellius se in Ecclesia Romano-Catholica teneri, & hæreticorum cætu absterreri dicit, defenduntur.

SECTIO I.

Prima ratio, certa credendi regula.

§. 1.

Thesis.

IN Ecclesia Romano-Catholica certa credendi, & controversias decidendi constat regula. Nimirum Christus divino ore pronunciavit Ecclesiam esse audiendam, cui etiam promisit perpetuam spiritus S. assistentiam ut à fide diviare non possit. Hanc ergo cum audimus, certi & securi sumus.

§ 2.

Antithesis.

In cætu verò Calviniano, Lutherano, & quovis simili sectario isthæc regula minimè reperitur, Licet enim ad scripturam se conferant,

de eius tamen genuino sensu certi esse nequeunt. Unde nam enim securitatem eam capiant? A seipsis? Falli possunt. Ab Ecclesia? Etiam fallere & falli potest, ut ipsi dicunt. A Deo immediatè? At hæc via extra ordinem & usum est. Neque solet Deus per semet ipsum immediatè singulos homines erudire. Ergo non habent, neque habere possunt, sectarii, ullam de vero scripturæ sensu certitudinem.

§. 3.

Seldii fumus repellitur.

Ad thesin dicit Prædicans se supra loca scripturæ, quibus thesis nititur à depravatione Marcellii vindicasse. At quàm futiliter fecerit satis superque vidimus. Contra antithesin p. 191. fumat.

I. Fumus Seldii. *Papistæ minus possunt esse certi de sensu scripturæ & Ecclesiæ.* Falsum est. *Quia subjiciunt scripturam & Ecclesiam principio ignoto & incerto, nimirum judicio Pontificis.* Nego judicium Pontificis definientis esse incertum, ignotum. *Supra in Top. ostensum est.* Præter fumeos fumos te nihil ostendisse, nos ostendimus.

II. Fumus. *Papistæ coguntur fateri Ecclesiam suam errare posse: Ergo per eius judicium non possunt esse certi de vero scripturæ sensu.* Nego Antecéd. Ecquis cogat? *Ecclesia eorum est actu errans.* Erras Prædicans. *Probatur ex querelis cordatiorum Papistarum.* Nugaris. *Claud. Espensæus inter illos eminet.* Fallis. Bonus Espensæus ex nimia Theodori Bezæ familiaritate, non parum ad Hugonotismum deflexisse est visus. Et ipsius commentaria à cordatis Papistis nigrum theta accepere. Nostin' hoc?

III. Fumus. *De sensu scripturæ constat Lutheranis per interpretationem doctrinalem.* At non constat certò. Nam illi qui interpretationem doctrinalem tradunt, possunt errare, ut homines, etsi omni diligentia caveant. Unde autem constat eos de facto non errare?

Pontifex non aliter, quàm adhabitâ diligentiâ interpretatur. Esto. *Et tamen est vobis infallibilis.* Ita. Sed non ideo, quia adhibitâ diligentiâ explicat, sed quia adhibitâ diligentiâ explicans infallibilis spiritus sancti ope dirigitur. Id uni Pontifici S. Petri successori Christique in terris Vicario competit.

SECTIO II.

Altera ratio: Ecclesiæ perpetua indefectibilitas.

§. 1. *The-*

§. 1.

Thesis Catholica.

Ecclesia Romano-Catholica Christi, ab ipso instituta, in perpetuum indefectibilis, & in fide constans perseverat. Ita sacris eloquiis tum veteris tum novi Testam. promissum. Hæc est enim semen spiritale David quod semper manebit. *Psal.* 36. Hoc regnum illud in domo Jacob, cuius non erit finis. Lucæ 1. Quis ergo in ea nolit perseverare?

§. 2.

Antithesis.

E contra Ecclesia Lutherica nova recensq; est, ante annum 1517. nunquam nusquam visa aut audita. Quis se ei prudens fidat?

§. 3.

Fumi Seldiani contra thesin, fumei.

Marcellius perpetuitatem & indefectibilitatem Ecclesiæ visibilis probat ex duplici promissione ex sacris literis deprompta, hoc modo. Thronus & regnum David spiritale est Ecclesia visibilis Christi. Atqui hic thronus & regnum est indefectibile. Ergo Ecclesia visibilis Christi est indefectibilis. Ergo non potest in fide errare.

Hic Seldius tam puerili & sycophantica ineptia se gerit, ut non sciam, an in eo genere aliquid luculentius videri possit. Dicit enim hic à Marcellio committi fallacias & varii generis. Audiant Logici, & stupeant fumum puerilem Prædicantis.

I. Fumus Seldii. *Committitur fallacia accidentis.* At quomodo sodes? Fallacia accidentis est, cum concluditur id alicui rei convenire, quod alicui eius accidenti convenit. Exemplum esto. Seldius est suus. Seldius est pater. Ergo Seldius est suus pater. Ubi hic simile quid? *Concludit à perpetuitate ad splendorem externum.* Somnias. Sed sic concludit Ecclesia visibilis est regnum David spiritale indefectibile. Ergo Ecclesia Christi visibilis est indefectibilis. Quæ hic fallacia accidentis?

II. Fumus. *Committitur fallacia à dicto secundum quid.* Ergo debet argui ab eo quod secundum quid de Ecclesia dictum est, ad aliud simpliciter de eadem dicendum. Hoc ostende sis. *Non sequitur: Regnum Christi est perpetuum quatenus Christus semper aliquam Ecclesiam in terris colligit. Ergo illud regnum semper est visibile & sensibile.* Esto

 non

non sequatur. At verò Marcellius hoc loco non sic colligit, sed tu ex tuo fumeo cerebro ita fingis. *Vel quod in idem recidit, non sequitur: Regnum hoc vel illud amittit splendorem externum. Ergo totum intercidit.* At mi Seldi, insanin' tu planè ut hoc adducas? Quis ita stultè argumentatur hoc loco, nisi tu? Marcellius non ita stupet.

III. Fumus. *Committitur fallacia ignorationis elenchi.* Tu committis. *Mutatur status controversiæ.* A te, non à Marcellio. *Non quæritur, in genere: an Ecclesia possit deficere.* Verum est, neq; Marcellius in genere loquitur, sed in specie de Ecclesia Christi visibili, de qua vos negatis. Ergo non mutat statum controversiæ, neque labitur ignoratione elenchi, sed tu pueriliter planè cavillaris.

IV. Fumus, *Committitur fallacia petitionis principii.* A te Seldi. *Probatur obscurum per æquè obscurum.* Fallis. *Probat Ecclesiam esse perpetuam ex scriptura,* Concedo. *Scripturæ sensum verò probat ex interpretatione Ecclesiæ.* Fallis. Scripturæ sensum hic non probat, sed supponit ab iis, contra quos disputat, acceptari & minimè controverti. Quæ malum illa res Seldi, quidvis quod in buccam venerit effutire?

V. Fumus. *Committitur fallacia consequentis:* Fallacia consequentis? *Ex consequente infertur antecedens.* Nego inferri. *Quia infert: Ecclesia est perpetua: Ergo in eodem loco & in eodem statu est permansura:* Quis sic infert nisi tu? Ergo si committitur fallacia a te committiur.

VI. Fumus. *Committitur fallacia non causæ.* Nugæ nugarum. *Ponitur ut causa quæ causa non est.* Figmenta. *Dicit: Ecclesia est perpetua adeo ut deficere nequeat: Ergo eius status & splendor est invariabilis.* Quis dicit? Nemo nisi tu, qui ex condicto videris chimæras fabricari velle.

VII. Fumus. *Fallacia plurium interrogationum.* Non pudet tam ignavæ sycophantiæ? Quomodo Marcellius committit fallaciam plurium interrogationum, qui ne unam quidem interrogationem proponit? Apage infantiles illas nænias, ferulâ, non responso dignas.

§. 4.

Fumi Seldiani contra antithesin.

I. Fumus Seldii. *Si novitas doctrinæ officit, poterunt etiam Judæi & ethnici eam objicere Christo & Apostolis. Consequens est absurdum. Ergo.*

Nego,

Nego ſequelam. Quia Chriſtus & Apoſtoli, ſuæ doctrinæ licet antea inauditæ veritatem miraculis & prodigiis ſupra naturæ vires patratis confirmabant.

II. Fumus. *Religio Papiſtica eſt nova.* Nego. *Superiùs probatum.* Superiùs refutatum eſt.

III. Fumus. *Jeſuitarum ordo eſt novus.* Simplex caput es: Jeſuitarum ordo non eſt Eccleſia neque dogma ad fidem ſpectans. Hæc vetera volumus. In cæteris nova, ſi bona ſint, non aſpernamur. Rectè dicebat ille: in fide & pecunia antiquitatem cole, in cæteris rebus novitatem, ubi videbitur, amplectaris licet.

IV. Fumus. *Lutherana doctrina eſt antiqua.* Quam antiqua? ut grallis vetula incedat? *Conſentit cum vetere Apoſtolorum dogmate.* Fruſtra hoc dicis. Nemo noſtrum vel ciccum tibi credit.

Marcellius fatetur in antiquis hæreticis doctrinam Luthericam fuiſſe damnatam. Ita ſparſim & per partes. Singuli errores Lutheranorum ſunt antiquæ hæreſes in Conciliis veteribus diro anathematis fulmine percuſſæ. Tota tamen farrago & cento conſarcinatus, qui Lutheraniſmum efficit novus eſt, & in Concilio ultimo Generali Tridenti coacto, publico orbis Chriſtiani judicio condemnatus.

SECTIO III.

Tertia ratio in cauſa Catholicorum exagitanda hæreticorum iniquitas.

§. 1.

Theſis Catholica.

HÆretici, Eccleſiam noſtram de peſſimo infidelitatis crimine accuſant, ita tamen acerbè & iniquè, ut ipſi & teſtes & accuſatores & judices eſſe velint, cumque ſententiam ex ſua privata autoritate pronunciarint, ad atrociſſimam executionem proſiliunt. Exempla è propinquo capere licet. Multa enim ſuggerit Gallia, Anglia, Belgium, neque Germania noſtra eſt immunis.

§. 2.

Fumi Seldiani Theſi oppoſiti.

I. Fumus Seldii. *Papa illo iniquo procedendi modo uſus eſt in Lutherum.* Non fuit. Judicis ſupremi officio functus, Lutherum monuit, citavit, & ab Epiſcopis ac religioſis, aliiſque fidelibus accuſatum, cum pervicaci animo obluctaretur, juſtâ damnationis ſententiâ feriit. Nihil hic iniqui.

II Fumus. *Papistæ æquè iniquè procedunt cum Lutheranis & Calvinistis.* Nego iniquè procedere.

1. *Docent hæreticos supremo supplicio mactandos.* An non justum est peccatum omnium teterrimum puniri?

2. *Inquisitio Hispanica in hoc genere acerba, juri tum divino tum humano repugnat.* Non plus repugnat, quàm jus nostrum Carolinum, quod fures patibulari, latrones in crucem agi, veneficos in cineres redigi jubet. Sunt in ea judices constituti, qui auditis testibus, & reis coram examinatis, ex legum præscripto in sontes animadvertunt. Quod si aliquando, vel testium odio, vel judicum aliquo vitio innocentia alicuius est oppressa, an ideo judicium universum accusare oportet? Ita fieri amat in hoc mundo, ut in tribunalibus tum criminalibus tum civilibus, etiamsi optimis legibus constituta sint, tamen subinde optimus quisque periclitetur, & jus injuriæ succumbat.

3. *Papistæ alicubi, plebi furibundæ ad promiscuam vulgi Acatholici cædam faciendam, fræna laxasse scribuntur.* Sed falsò scribuntur. Chamierium mentitum esse scio. Quia in illis regionibus, de quibus ille narrat, non paucis annis vixi, & ab incolis contrarium sæpius inaudii. Nimirum Hugonottos sævissimis & ab omni hominum memoria inauditis crudelitatis exemplis patientiam plebis Catholicæ furiasse, eosq; non tam ut hæreticos, quàm ut publicos invasores patriæque hostes, ad mortem datos esse.

III. Fumus. *Lutherani Papistas mulctis, minis, pænis non adigunt ad sua religionis exercitia frequentanda.* Nonne hoc mendacium est? An non principum vestrorum jussu, si qui Papistæ in eorum terris commorentur, jubentur aut ad ritum vestrum accedere, aut ditione excedere & solum vertere? Non disputo hic, neque contendo de jure facti vel injuria. Tantum tuum mendacium arguo, qui rem toti orbi notam impudenter negas.

SECTIO IV.

Quarta ratio: missionis & successionis continuitas.

§. I.

Thesis Catholica.

IN Ecclesia nostra, & præsertim in principe omnium Romana, continuam Episcoporum ordine succedentium seriem, numerare licet, qui ab S. Petro, ordinati, eandem & cathedræ & doctrinæ constantiam

ad no-

ad nostram usque ætatem perduxerunt. In Ecclesia Romana à S. Petro usque ad Innocent. X. qui modò cathedram moderatur, numeramus ad Pontifices ducentenos quadragenos. In Ecclesia Moguntinensi à S. Crescente S. Pauli Apostoli discipulo, usque ad Eminentissimum Joannem Philippum, censemus Antistites centenos ternos. Atque ita in omnibus Ecclesiis, relegentes primordia, ad ipsos demum Apostolos pertingimus. Imò quivis Sacerdotum nostrorum, huc ratione, ab eo, cujus manu sacratus est, Episcopo, incipiendo, & ordine sursum redeundo, demum ad aliquem ex Apostolis & ipsum JESUM Christum, muneris atque ordinis sui autoritatem & initium valet referre. Eadem facillitate cæterorum Doctorum ac Patrum, qui omni ævo, & moribus & eruditione Ecclesiam illustrarunt, contexlmus album, atque ex relictis eorum monumentis demonstramus, eandem nobiscum fidem ac religionem tenuisse. Videatur P. Jacob. Gaulterius, qui productis 16. sæculorum testibus, omni exceptione maioribus, demonstrat in duodenis fidei nostræ veritatibus nobiscum sensisse, & hæreticis nostri ævi contradixisse.

§. 2.

Antithesis.

Hic autem Lutheranis & Calvinianis nostris, Tertulliani verbis improperare licet: *Edant & ipsi origines Ecclesiarum suarum, evoluant ordinem Episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille Episcopus, aliquem ex Apostolis, vel ex Apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit autorē & antecessorem.* Quis Prædicantes vestros misit? quis Episcopus ordinavit? quis Sacramentorum conficiendorum potestatem impertiit? Ubi ad Lutherum vel Calvinum veneritis, ibi hæretis, neque originem vestram producere amplius potestis. Quis enim Lutherum Episcopum creavit? quis sacerdotum ordinandorum autoritatem dedit? Vel Deus immediatè, vel homo ad hoc à Deo institutus. Non Deus. Vnde enim probatis, ut hoc nos teneamur credere? Quivis deceptor id dicat. Non homo. Nullum nominare potestis. Ergo missi non estis à Deo, sed ultro vos in Ecclesiam & Ecclesiastica munia intrusistis.

§. 3.

Fumi Seldii contra thesin.

I. Fumus Seldii, *Marcellinus hic à Bellarmino dissentit.* Falsum est.

Bellar-

Bellarminus ex successione legitima ministrorum Ecclesia argumentatur negativè potiùs, & concludit, illam Ecclesiam non esse legitimam, quæ caret successione illa. Rectè facit Bellarm. quia successio illa potest reperiri, & de facto reperitur in Ecclesia Orientali hodierna & schismatica & hæretica. *Atqui Marcellius concludit hic affirmativè.* Semper tibi volupe est imponere Marcellio. Non concludit absolutè & simpliciter, sed dicit, tenet me in Ecclesia Catholica, ut in ea perseverem potiùs, quàm ut ad Lutheranam me conferam, quia in illa est successio legitima, quæ in hac deficit. Unde argumentum Marcellii est in forma tale? Quando duæ Ecclesiæ occurrunt, in quarum una est successio legitima Ministrorum, in altera non est, tunc præferenda est ea, quæ successionem habet. Atqui Catholica habet talem successionem, Lutherana non habet. Ergo. Hoc argumentum cum Bellarmini opinione convenit. Verbo Marcellius affirmat successionem esse argumentum Ecclesiæ legitimæ partiale & inadæquatum, Bellarminus negat esse totale & adæquatum. Ubi jam manet dissensio? In fumoso Prædicantis Seldii cerebro.

II Fumus. *In Romana cathedra fuit interrupta successio personalis.* Nego fuisse.

Fuit interrupta 1. vacationibus. Nugæ. Non requiritur hic continuatio ad physicum aut mathematicum rigorem exacta, sed sufficit moralis. Ecquis enim neget successionem personalem in Imperio Romano ab Augusto usque ad invictissimum Cæsarem Ferdinandum tertium? Tamen vacatio plurium non semel annorum intercurrit.

2. *Interventu schismatum.* Neque hoc impedit. Semper enim unus verus Papa fuit, etsi forte non omnibus satis constaret.

Concilium Basileense declaravit Eugenium schismaticum, eumq; deposuit. Malè. *Ille tamen postea rediit ad sedem.* In qua semper legitimè manserat. Nam dux Sabaudiæ Amadeus, Felix dictus, invalidè electus fuerat. Sed etsi demus Eugenium jure pulsum fuisse, tamen cedente Felice, Eugenius consensu eorum, qui eligere poterant, legitimè cathedram S. Petri insedit. Et quamvis etiam schismaticus Papa fuisset, non ideo cæteri illum secuti schismatici fuerunt. Quid enim Seldi? An schismatica in sede successisse est schismaticum? O cucurbitæ caput! Sicut Iudæ proditori successit S. Matthias, non proditor sed Apostolus, ita Eugenio schismatico (dato non concesso quod talis fuisset, successere alii non schismatici, sed veri Pontifices.

3. *Iu-*

3. *Interventu illicitorum mediorum. Quia aliqui Pontifices vel vi vel fraude sedem occuparunt.* Invasio & fraus & similia vitia (si qua subinde incidere) reddidere rem illicitam, sed non invallidam. Ergo mansit personarum successio legitima.

III. Fumus. *Non est in Papatu successio doctrina Apostolica.* Nego. *Supra ostensum est.* Et supra negatum est.

§. 4.

Fumi Seldii contra antithesin.

I. Fumus Seldii. *Ecclesia Apostolica fuit etiam destituta successione personali.* Quænam? *Romana.* Fallis. Ante ostendimus. *Antiochena, Ephesina.* Quomodo? *Quia in hisce Apostoli non successerunt.* Apostoli? Quid deliras Seldi? Sufficit succedere legitimos Ministros, Episcopos, Sacerdotes, ab Apostolis ordinatos.

II. Fumus. *Tertullianus hæreticus & Montanista fuit. Ergo eius autoritas nulla.* In omnibus, etiam iis in quibus hæresin non fovit? Absit. Est enim in iis quæ præsertim Catholicus scripsit egregius fidei antiquæ testis. Atqui librum de præscript. in quo valde urget successionem personalem scripsit Catholicus.

III. Fumus *Patres Orthodoxi successionem personalem censuerunt non attendendam.*

Itane? in Ecclesia agnoscenda? An tibi Epiphanius non est è Patribus Orthodoxis? non Optatus Milleu.? non Augustinus? Atqui hic ep. 165. ad Generos. & in Psal. contra part. Donat. ille l. 2. contra Parmen. iste hær. 27. hoc potissimùm telo utuntur ad confodiendam hæreticorum causam. Idem præstat S. Irenæus l. 3. c. 3. enumerans Pontifices Romanos à S. Petro, usque ad Eleutherium tunc temporis sedentem, & addit hac successione omnes hæreticos (etiam Seldium!) confundi. Sed cedo Patres Orthodoxos, qui censent non habendam successionis personalis rationem?

Gregor. Nazianz. in laud. Athan. dicit: Pietatis propriè successio æstimanda est. Nam qui eandem fidei doctrinam profitetur, eiusdem quoque throni particeps est. Qui autem contrariam fidem amplectitur, adversarius in throno censeri debet. Quid hoc ad rem nostram? Loquitur Doctor sanctus de persona, in qua magis æstimandum est quod succedat in fidei puritate, quàm in throni dignitate. At in Ecclesia agnoscenda non attendendum ad successionem personalem, id minimè dicit.

S. August. cap. 4. cont. epist. fund. armis scriptura pugnat, & prætermittit successionem personalem.

Jam video Seldi te ab amentia aut nihil aut parum abesse. Quid? S. Augustinus c. 4. contra ep. fundamenti successionē personalem prætermittit? Ubi ergo habuisti oculos cum legeres? Arrige ergo aures, & quod non legisti ex me audi. *Tenet me*, inquit, *in Ecclesia, ab ipsâ sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas Dominus commendavit, usque ad præsentem Episcopatum, successio Sacerdotum.* Quid nunc vobis videtur Romhildenses de vestro Superintendente? an non mendax est?

IV. Fumus. *Tannerus non potuit ex omnibus PP. antiquis unum reperire, qui cum illo sentires* Tu dixisti, Seldi. Sed falsum. *Hunnius per inductionem ostendit.* Ostendit suam ipsius cavillationem frivolam.

V. Fumus. *Coccius & alii non potuere pro dogmatis Papisticis ex omnibus retro sæculis, antiquorum consensum probare.* Esto, ex quibusdam sæculis, maximè primis, non reperiant testimonia scripta, satis est in aliis reperire. Non omnia omnibus sæculis aut agitata sunt aut scripta. Vos verò Lutherani nihil simile potestis præstare, sed in eo planè succumbitis, cum dogmata vestra, antiquis sæculis, claro Patrum judicio reprobata ostendimus.

SECTIO V.

Quinta ratio: sanguis Martyrum, constantia Confessorum, exemplum & autoritas Sanctorum.

§. 1.

Thesis Catholica.

QUis nostræ Ecclesiæ non inhæreat, ad quam spectant omnes Martyres, Confessores, Virgines, Viduæ, quotquot unquam sanctitatis laudem atque nomen, etiam apud Adversarios nostros, obtinuerunt? Noster est S. Augustinus, Ambrosius, Hieronymus, Bernardus, Athanasius. Nos eorum festa & memoriam in fastis servamus, & annuâ memoriâ recolimus. Eos Episcopos & Monachos fuisse & consequenter nostros, ne ipsum mendacium quidem si loqui possit, ausit negare.

§. 2.

Antithesis.

Quis verò cætui Lutheranorum aut Calvinianorum adscribi patiatur?

tiatur? Nullus apud illos Augustinus, Hieronymus, Basilius. Nullus confessæ, testatæ, & receptæ apud omnes sanctitatis. Patres eorum & Doctores præcipui, votifragi, sacrilegi, excucullati Monachi, aut horum filii, qui cum aut libidine prurirent, aut scelerum suorũ pœnas apud nos metuerent, ad eos tanquam ad certum nequitiæ suæ asylum profugerunt. Ipse Coryphæus vester Lutherus, an non post promissam & juramento sancitam in claustro continentiam, foras prorupit, & proculcata fide Deo data, nefarius apostata, ut sub persona mariti liberiùs libidinaretur, uxorem duxit? Recentia & tantùm non quotidiana eiusmodi transfugarum exempla ante oculos tum nostros tum vestros versantur.

§. 3.

Fumi & calumniæ Seldii contra thesin.

I. Fumus Seldii. *Jesuitæ & Papistæ facinorosos pro merito suo plexos, Martyres colunt.* Grande nefas si faxint. Sed proba. *Garnetum, qui jure cæsus, & ob pulverariam conspirationem in Anglia damnatus fuit, pro Martyre habent.* Merito habent, Deo ipso, per grande prodigium, quod Cornel. in Apoc. 7. vers. 3. aliique alibi describunt, veram Martyrii gloriam illi afferente. Pulveraria conspiratio calumnia est, jam dudum ab Eudæmone Joanne per publicam Apologiam abunde abstersa.

Sicarius ille, qui Principem Auriacum insidiis petiit ab Jesuitis Trevirensibus ad furiam illam exstimulatus est, certo promisso eum, si opus meditatum patrasset, Martyrem futurum. Mendacium est & calumnia Sathanica. Lege sicam tragicam & si micam rationis habes, agnosces, injuriâ innocentiam nostram oppugnari.

II. Fumus. *Ab improbitate hominum non est metienda doctrina. Ergo si qui Prædicantes malè agant, non ideo malè sensisse æstimandi.*

Si nihil accedat aliud, fateor. Verùm verò, si quis videat primos doctrinæ alicuius autores, improbitate notari, ex adversa verò parte, qui contra sentiunt, ex dogmatum suorum præscripto vitam ducere innocuam & laude conspicuam, quis non hanc illi anteponat?

III. Fumus. *Frustra gloriantur Papistæ, de consensu suo cum Patribus.* Tu frustra hoc effutis. *Dissentiunt ab August. Hier. Cypriano, &c.*

In panculis, quæ vel de fide non sunt, vel illorum Patrum tempore non erant satis explorata, ut ad fidem adhibendam tenerentur. concedo. In aliis, nego. Supra satis hanc incudem tutudimus.

§. 4.

Fumi Seldii contra Antithesin.

I. Fumus Seldii. *Etiam Lutherana Ecclesia veros indubitatos Martyres habet.* Quosnam illos? *Sanctum Stephanum.* Non spectat ille ad vos. Nam ille Diaconus ordinatus fuit per impositionem manus Apostolorum, quæ res apud nos, & minimè apud vos, vel est juris vel usus.

Etiam cæteri, qui pro fide Christi obierunt nostri fuerunt. Scilicet, quorum multi Missam dixerunt & pro sacrificio habuerunt. & Sanctos invocarunt, & pro mortuis orarunt. Quid? An Papæ Romani Lutherani fuerunt? SS. Linus, Cletus, Clemens, Anacletus, Evaristus, Alexander, Sixtus, Telesphorus, Hyginius, Pius I. Anicetus, Soter, Eleutherius, Victor, Zephyrinus, Callistus, Urbanus, Pontianus, Antherus, Cornelius, Lucius, Stephanus I. Sixtus II. Felix I. Eutychianus, Caius, Marcellinus, Marcellius, Eusebius, Felix II. Joannes I. Martinus? Nonne hos omnes Martyrio pro Christi nomine affectos tota veneratur antiquitas? Et nonne hi omnes Papæ fuerunt & Missam dixerunt, & pro mortuis orarunt? Quid videtur de S. Bonifacio, Kiliano, & sociis? nonne Martyres? At Papistæ fuerunt, Missas dixerunt, summi Pontificis primatum agnoverunt. Quid de S. Justino, Irenæo, Cypriano nunquid Martyres? Sed Papistæ fuerunt & Sanctos invocandos docuerunt. Quid de illis dices, ultimis hominum, Japonibus, qui ab annis plusquam triginta, & aquis præfocantur, & lento igne vivi torrentur, & suspendio necantur, & acinacibus feriuntur, & serrâ ligneâ secantur, potiùs quàm ut fidem & baptismum ejurent? nunquid Martyres? At hi omnes Papistæ à Jesuitis & aliis religiosis viris edocti sunt, Pontificem ut Christi Vicarium venerari, purgatorium credere, Sanctos invocare, transubstantiationem pro fidei articulo tenere, Lutheranismum & Calvinismum ex animo detestari. Ergo hi ad vos & vestrum cœtum non spectant.

II. Fumus. *Martyres antiqui non sunt mortui pro articulis fidei Papisticæ.* Imò verò sunt mortui. *Illi articuli vetere ævo Martyrum non fuere noti.* Ostende quinam.

1. *Primatus Papæ non fuit initio creditus.* More tuo, fallis. *Marsilius Patavinus fatetur ante tempora Constantini Mag. non fuisse. Ergo non fuit.* Idem est ac si diceres: Martius Lutherus fatetur. Ergo est. Eiusdem nobis est farinæ Marsilius de Padua, & Martinus Lutherus. Uterque nullius apud nos fidei.

Æneas

Æneas Sylvius dicit, ante Nicænam synodum unumquemq; sibi vixisse, parvo habito ad Ecclesiam Romanam respectu. Primùm, multum sanè est, quod à tempore Concilii Nicæni, sæculis nempe plus denis ternis, nota fuerit Ecclesiæ Romanæ prærogativa. Deinde testimonium hoc Sylvii ab ipso Sylvio solenniter elisum est. Quæ enim Sylvius juvenili ardore effudit, Pontifex factus senili gravitate revocavit. Δευτέραι φροντίδες σοφώτεραι. Ita ipse jam Pius II. scribit. *Sequimini, quæ dicimus, & seni magis quàm juveni credite, nec privatum hominem pluris facite quàm Pontificem. Æneam rejicite, Pium recipite.* Intelligis hoc latinum Seldi? Denique explicatâ suâ de Pontificis potestate sententiâ, addit: *Si qua vel vobis vel aliis aliquando scripsimus, quæ huic doctrinæ repugnent, illa tanquam erronea, & juvenilis animi parum pensata judicia revocamus atque omnino rejicimus.* Ostendis ergo Seldi Pii II scripta non evoluisse, sed objectiunculam hanc ex aliquo alio clepsisse.

2. *Transsubstantiatio cæpit pro articulo fidei haberi primum Anno 1215 teste Claudio Sanctesio, cum in Concil. 3. Lateran. definita fuit.* Distinguo. Cæpit haberi esse de fide in se. nego. quo ad nos, & nostram sufficientem notitiam, quæ ad credendum obligaret. concedo. Mirum est Seldi, te te immiscere in res nostras Theologicas, quas non intelligis. Definitio Concilii, non facit rem esse de fide in se, quasi ante non fuerit, sed declarat esse, quod est. Dicitur tamen, post definitionem jam esse de fide, quo ad nos, quia cum antea nobis non satis constaret, an ad fidem pertineret vel secus, ideoque absque noxa dissentire possemus, jam sublata ignoratione, fas non est fidem abnuere.

3. *Cultus imaginum, teste Beierlinck Anno 770. demum fuit decreto Pontificis statutus:* Quid tum? Jam dixi decretum Pontificis non facere articulum fidei, sed notificare.

4. *Sacramentorum numerus tempore Petri Lombardi non fuit constitutus.* In se. nego. Quo ad nos, & nostram notitiam. Esto.

Quid autem hæc ad rem faciunt, mi Seldi? An putas tu necesse esse ad moriendum pro fide Catholica, ut pro omnibus eius articulis expresse cognitis, & sibi distinctè perspectis, vitam quis ponat? Erras. Sufficit vel pro uno tantum emori, vel in odium unius solummodo veritatis supernaturalis à tyranno enecari.

SECTIO VI.

Sexta ratio: Ecclesia Catholica hierarchia.

§. 1.

Thesis Catholica.

QUem non capiat & teneat Ecclesiæ nostræ ordo sacerrimus & ordinatissimus? Ubi supremum caput ab omnibus agnoscitur. Ubi populus pastori, pastor Episcopo, Episcopus Archiepiscopo, Archiepiscopus Pontifici obedit & subjacet. Ubi supremum constitutum est tribunal, in quo omnes etiam de fide controversiæ ita decidi possunt, ut nulli non constet, quid tenendum.

§. 2.

Antithesis.

Quem verò non deterreat à Lutheranis & Calvinistis infanda illa in rebus fidei anarchia? Carent ordine ministeriorum Ecclesiæ, carent visibili capite, cui omnes subsint, carent infallibili judice qui fidei regulam applicet, & controversias enatas ita definiat, ut partes intelligant, quænam earum damnetur, quænam probetur. Nam quod ad scripturam appellare se dicant frustra est. Non potest ea sola ita sententiam proferre, ut clarè appareat, quæ pars victa quæ victrix sit. Cui rei probandæ vel hoc solum satis esto quod jam à sæculo, & nos & illi, ad scripturam provocamus, & tamen neutri nostrum eius judicio victos, sed utrique victores nos esse putamus.

§. 3.

Fumi Seldii contra thesin.

I. Fumus Seldii. *Non fuit à Christo instituta talis hierarchia.* Supra hic fumus dispulsus.

II. Fumus. *Primatus Pontificis Romani non fuit semper agnitus,* Semper idem fumas, Seldi.

1. *Si semper fuit agnita Pontificis super omnes excellentia, cur Patriarchæ Constantinopolitano fuere privilegia æqualia concessa.* Fuere à superbis & arrogantibus Græcis invasa, nunquam autem legitimè concessa. Sicut ergo rebellio quorundam principum non tollit Cæsari jus supremi imperii, ita neque obsistentia Orientalium Episcoporum minuit Pontificis Romani primatum. Imò vel hinc probes principatum ei competere, utpote cuius livore torqueantur & torti fuerint æmuli. Eccur enim Patriarcha Constantinopoleos ambisset Papæ æquari, nisi vidisset illum sibi aliisq; dignitate præpositum esse?

2. Thu-

2. *Thuanus testatur Phocam Imperat. Bonifacio 3. titulum Episcopi universalis concessisse.* Inspice Bellarm. lib. 2. de Rom. Pont. cap. 17. & agnosces falsitatem.

3. *Si fuit agnita Romana hierarchia, cur fuit ab aliquibus Ecclesiis contradictum?* Quærin' tu? quia fuit. Quod non est, huic non contradicitur. Si non fuisset unquam primatus Papæ in jure & usu, nemo equidem ei se opposuisset. Jam quia semper fuit à bonis agnitus, à superbis & pervicacibus semper fuit oppugnatus.

III. Fumus. *Christus est Rex regni sui in terris, neque habet officii & dignitatis suæ Vicarium, cum ipsemet adsit.* Non adest visibiliter, & vult Ecclesiam visibilem à capite visibili congruè gubernari. Hoc est Pontifex.

§. 4.

Fumi Seldii contra antithesin.

I. Fumus Seldii. *Papistæ carent judice certo.* Fumus. *Quia Papa, quem judicem agnoscunt, est incertus & fallibilis.* Fumus, fumus, toties productus toties difflatus.

II. Fumus. *Lutherani habent judicem principalem spiritum sanctum.* Id omnes hæretici dicunt. *Habent judicem ministerialem publicum.* Quisnam ille? *Ecclesia.* At hæc est, ut dicitis fallibilis. Ergo non potestis eius sententiæ & judicio fidere. *Habent etiam judicem ministerialem privatum.* Quemnam? *Quodvis Ecclesiæ membrum.* Atqui etiam hoc fallibile est. *Non, si scripturam sequatur.* Atqui simpliciter potest non sequi scripturam. Ergo simpliciter potest falli. Falli judicem in dubio fidei, & non sequi verbum Dei, quod tu solam scripturam agnoscis, est planè unum & idem. Ergo cum dicis, judicem ministerialem non falli, si sequatur scripturam, idem per idem exponis, & perinde est, atq; si dicas nō, falli si non fallatur, quod est puerile & nugatorium. Ut mirari satis non possim aliquem Theologiæ Doctorem & Superintendentem existimare tam infantili trica nos irretiri posse. Omnes hæretici dicunt se sequi scripturam. *At errant dicis.* Et ego dico errare. At unde sciam, non me, sed illos, à scripturæ sensu aberrare, nisi alium habeam judicem falli nescium, qui controversum scripturæ sensum absque errore & erroris periculo mihi aperiat? Hic vobis deest.

SECTIO

SECTIO VII.

Ratio septima : Conciliorum autoritas.

§. 1.

Thesis Catholica.

NOstra Ecclesia est, in qua Concilia œcumenica & generalia tot & tanta sunt celebrata, in quibus præsidente vel per se vel per legatos suos summo Pontifice, controversiæ de religione sunt sublatæ.

§. 2.

Antithesis.

Lutheranorum autem & Calvinianorum secta, in Concil. Trid. publico orbis Christiani judicio fuit condemnata. Quis non formidet?

§. 3.

Fumi Seldii contra thesin.

I. Fumus. *Papalia Concilia repugnant Concilio Apostolico Act. 15. descripto.* Nego. Proba.

1. *In Apostolico non præsedit* Petrus Papali *autoritate, subiens vices Papæ.* Ita, sed ipsemet Papa existens suo nomine præsedit. *Jacobus præsedit.* Nego cum Hieron. in epist. ad August. quæ est 11. inter ep. August. cap. 3. & Theodor. epist. ad Leon. Pap. Et Petrum illic judis supremi autoritate præsedisse facilè apparet, tum quia primus surrexit & dixit, tum quia nemine refragante, omnes in eius sententiam concessere. *Dionys. in illum locum, præsidem agnoscit Jacobum.* Fateor. Sed satis indicat, id Petri voluntate concessum Jacobo, tanquam eius loci ordinario. Appellat enim ibidem Petrum non Apostolum, sed Archiapostolum, dicitque ex humanitate in pedes se erexisse, cum loqui vellet.

2. *In Apostolico illo assedere etiam præter Apostolos presbyteri.* Transeat. *In Papali non assident ordinariè.* Neque etiam in Apostolico assedere jure ordinario. Ergo nihil hic repugnantiæ.

3. *In Apostolico assedere Apostoli œcumenici Doctores.* Ita. *In Papali non assident tales.* Ita est. *Ergo est repugnantia.* Stupor! Cur non dicis, Apostolicum illud fuit celebratum Hierosolymis, primo Ecclesiæ sæculo, Papalia Ephesi vel Romæ sæculo quinto vel duodecimo. Ergo est inter ea repugnantia? Qualis hæc carpendi amentia est?

4. In

4. *In illo Apostolico deciditur quæstio ex scriptura.* Esto. *In Papalibus etiam deciditur ex traditione.* Esto. *Ergo est repugnantia.* O fumus! O stoliditas!

5. *Apostolicum celebratum est ad veritatem eruendam.* Ita *Papalia ad veritatem opprimendam.* Calumnia.

6. *Apostolicum fuit liberum.* Ita. *Papalia serva.* Cavillatio.

II. Fumus. *Ex Concilio Tridentino fuere expulsi, qui contra Papam sententiam voluere dicere.* Quo teste id asseris? *Wolfio.* Nos ei non credimus, quem novimus hæreticum & mendacem in multis. Vis tibi adscribam exemplum è multis unum? Audi. p. 1. centur. 15. scribit: *Nauclerus Platina & alii affirmant omnes Papas à Sylvestro II. ad Greg. VII. fuisse magos.* Atqui Nauclerus nullibi hoc dicit. Ergo mendax est Wolfius. Ergo nulla fide dignus.

§. 2.

Fumus Seldii contra antithesin.

Concilium Tridentinum, cum Lutheranos damnavit, contra Prophetas & Apostolos pronunciavit. Ita reorum dudum mos est, ut se contra jus ac justitiam damnatos esse proclamitent. Nec ulli unquam hæretici anathematis fulmine perculsi fuere, qui non ab iniqua manu venisse clamitarint Ariani Concilium Nicænum, Macedoniani Constantinopolitanum, Nestoriani Ephesinum, Eutychiani Chalcedonense accusarunt, quid mirum si Lutherani & Calviniani Tridentinum traducunt?

SECTIO VIII.

Octava ratio: doctrinæ Catholicæ pietas.

§. 1.

Thesis Catholica.

IN Ecclesia Catholico-Romana ea viget doctrina ex qua insignis morum sequitur correctio & vitiorum detestatio. In ea docetur, non tantùm oportere credere, sed ad salutem necesse esse, omnem luxuriam, rei alienæ contrectationem & similia peccata non solum opere externo minimè patrare, sed ne in animum quidem & cogitationem liberè admittere. Neminem Deo frui posse, nisi ea quæ fors injustè acquisierat, restituat. Quæ sancta morum disciplina facilè ostendit, religionem nostram à spiritu sancto profectam.

§. 2.

Antithesis.

Si verò Lutheranam aut Calvinianam sectam expendere velimus, nullo negotio deprehendemus, immanem vivendi licentiam ex eorum dogmatis nasci. Cum enim dicant solà fide hominem justum evadere, quis non videt quantus inde rectè factorum & virtutum reliquarum contemptus consequatur? Quis ab alienis manum temperet? quis malè ablata restituat? quis animum à libidine avocet? quis jejunio luxuriem corporis domet? quis orationi longæ vacet? quis de suo alienam inopiam sublevare velit, si sibi persuasissimum habet hæc omnia apud Deum flagitiorum loco esse, & solam in pretio fidem haberi?

Neque satisfaciunt illi, qui dicunt, bona opera requiri, non quidem ut causas justificationis, sed velut signa fidei justificantis. Quomodo enim possunt à nobis requiri etiam ut signa orthodoxæ fidei quæ sunt opera læthaliter mala, & merentur iram Dei? An ad salutem animæ nostræ, peccata mortalia sunt opus?

§: 3.

Fumus Seldii contra thesin.

I. Fumus Seldii, est contradictio ab ipso hoc loco patrata. Nam primò affirmat, quod à vera pietate rectè arguatur ad veritatem religionis. *Concedimus*, inquit, *Maiorem de pietate vera, negamus de hypocritica, quippe quæ conjuncta esse solet cum religione & doctrina penitùs heterodoxa.* At paulo post idem negat. *Notandum est*, inquit, *quod Ecclesia & doctrina veritas concludi possit, nec à pietate externa, nec ab interna. Non ab externa, quia opera eius sunt communia bonis & malis, teste Bellarm. lib. 5. de lib. arbitr. cap. 10. Non ab interna, quia nemo potest certò scire, qui sint verè justi & pii, inter tam multos, qui justitiam & pietatem exteriùs præ se ferunt, teste eod. l. 1: de Eccl. c 10.* Non libet expendere futilitatem argumēti, sed satis habeo, ostendere, quàm pueriliter Seldius sibi ipsi contradicat & adversetur.

II. Fumus. *Doctrina Papistica commendat & defendit peccata contra præcepta Decalogi commissa.* Imponit Seldius. Audite calumnias.

1. *Contra 1. præceptum. Tollit Dei notitiam.* Nugaris. *& ignorantiam substituit.* Iterum nugaris. *dum ad fidem implicitam remittit.* Fidem implicitam Dei? Mentiris. Fides explicita Dei est necessaria

cessaria ad salutem, ex nostra doctrina. Ut in aliis quibusdam articulis implicita sufficiat aliquando, certè in hoc de Deo explicitàm omnes requirimus.

Contra idem praeceptum introducit μαριολατρείαν ἀγγελολατρείαν *&c.* Graeca mendacia, Pelasgae calumniae. Cultus Sanctorum non est divinus. Adoratio Eucharistiae est Christi realiter ibidem praesentis.

2. *Contra 2. praeceptum. Docet non unum Deum invocare.* Falsum est. Nunquam invocamus plures Deos. Plures Dei amicos, unum autem Deum imploramus.

Aequivocationes circa juramentum admittunt. Transeat. Ubi hoc vetatur secundo Decalogi praecepto? Qui cum aequivocatione jurat, verè jurat, etsi is qui jurantem audit, mentem & sensum animi ipsius non percipiat.

Sancit abusus Magiae divinatricis, praestigiatricis, effectricis. Ego te Seldi pro Mago & venefico praestigiatore habeo, donec probes. Creaturas benedicimus, & precibus ad Deum fusis, & ritu ab Apostolica traditione accepto sacramus, ac precum fideique nostrae fructum, in multis effectibus, etiam supra naturae virtutem à Deo nobis concessis, saepius experimur.

3. *Contra 3 praecept. Tollit sanctificationem Sabbathi.* Cavillaris. *per prophanationis concessionem.* Nullibi prophanatio conceditur. *Toletus lib. 4. inst. c. 25. facit.* Fallis. Docet, quid salva festi sanctitate fieri, quid non fieri, fas sit.

Tollit per inpuram verbi divini praedicationem. Tu & tui similes verbi divini depravatores festum diem temeratis. Nos in templis nostris totum pene diem psalmis cantandis, scripturâ explanandâ, sacramentis ministrandis, incruento sacrificio immolando sanctè terimus. Et si verum audire vis, vel profano quovis die magis impensè apud nos Numen colitur, quàm apud vos festo etiam solennissimo.

4. *Contra 4. praecept. Docet liberos sine consensu parentum posse conjugium inire.* Validè quidem, sed non semper licitè. Communiter honori parentibus debito contraitur, cum liberi iis invitis ad nuptias convolant. Fieri tamen etiam potest, ut illi patriae potestatis fines excedant, & plus aequo à natis exigant. Quasi verò inauditum sit patrem aliquem, aut livore, aut stultitiâ, secundas filii sui res, quae ex connubio optato obveniebant, evertere voluisse. Eccur verò, si id accidat, non liceat, salva naturae & Reipub. lege, paternae temeritati obsistere, &

V 2 fortu-

fortunam sese in manus offerentem amplecti? Non absolvimus quenquam ab obedientia genitoribus debita. Calumnia est tua Seldi.

Permittitis ut vita Monastica se dedant nulla parentum voluntate. Ita, quia Deus jubet sibi vocanti potiùs obtemperandum, quàm ulli alteri. Plus habet Deus juris in prolem, quàm genitor. Quare si ille ad claustrum vocet, non potest hic absque impietatis scelere reluctari. Oportet ut nati magis obediant Deo, quàm hominibus, etiam parentibus. Ergo maiori vobis jure reponere licet, quod in supremam Numinis majestatem scelesti sitis, qui filios à Dei cultu, falso patriæ potestatis prætextu, avocatis. Nos jubemus majoribus, parentibus, Magistratibus venerationem & obedientiam in omnibus præstari, præterterquam in iis quæ adversus Dei legem atque voluntatem imperantur.

5. *Contra 5. præcept. Homicidia probat.* Imò detestatur & in rotam agit percussores. Os infame Prædicantis, & falsidicum! *Jacobus Clemens regicida in numerum sanctorum relatus.* A quibus relatus? Nobis? Apage scelus, Omnes probi Catholici pro insano & furiato homine habemus. Ergo etiam hic calumniaris in collum tuum.

6. *Contra 6. præcept. Lupanaria tolerant.* Ad majus malum evitandum, satius censemus tolerare minus. Id verò nulla lege vetatur.

Asserunt, sacerdotem gravius peccare uxorem ducendo quàm scortum. Ita Coster in Enchirid. de cœlib prop. 9. Ita asserit Costerus, & cum ratione multiplici quidem, quam refutare te oportuit prius, & non sententiam damnare immeritam. Hæc est nostra omnium & Costeri opinio certa. Primò Sacerdoti non licere scortum ducere. Secundò neque fas esse conjugium inire, sed si inire moliatur & invalidè & illicitè agere, ideoque hac ratione multo se graviore crimine obstringere, propter diuturniorem in statu peccati perseverantiam.

7. *Contra 7. præcept. Tolerat & approbat furtum.* Falsum dicis. Ecquis enim nostrum id facit? *Maldonat. in summa qu. 8. a3.* Falsum est. Maldonatus non scripsit summam, sed est liber ille suppositititius, erroribus scatens, & à Pontifice damnatus. Ita vos Prædicantes agitis, calumniis & imposturis in nomen nostrum grassamini. Et præterea libellus ille furta non probat, sed rectè dicit, pauperes in extrema inopia, cum aliter subvenire sibi non possunt, absque furti crimine res necessarias ex alieno capere. *Fraudes & in emptione & venditione probat.* Iterum falsum est. *Toletus facit in inst. l. 8. c. 49.* Falsum est. Omnem fraudem improbat. Quod tu fraudem appellas, ille justum esse ostendit.

8. *Con-*

8. *Contra 8 precept. Mendacium excusat.* An non hoc tu mentiris? *Æquivocationibus favent Papistæ.* Non omnibus, sed licitis tantum. *Detrahunt, addunt testimoniis Patrum, quæ objicere solent.* Calumniaris more tuo.

Contra 9. & 10 Papatus tollit concupiscentiam originalem ex peccatorum propriè dictorum numero.

Rectè facit. Concupiscentiam enim quæ præcepto divino interdicitur non est habitualis, naturæ nostræ innata, neque actualis, rationem & consensum liberum prævertens, sed ea quæ voluntatis sponte ac nutu accersitur aut admittitur. Unde hæc in numero peccatorum à nobis habetur, non illa. Hæc satis superque sunt, ut videat orbis te publicum esse calumniatorem. Neque opus est alios, ad quos ablegas tui similes, eorumq; sycophantias hic afferre & refellere.

§. 4.

Fumi Seldii contra antithesin.

I. Fumus. *Apud Papistas non minor est flagitiorum seges quàm apud Lutheranos* Quæ ex doctrina Ecclesiæ nostræ pullulet? Nego. Apud vos pessima vitæ licentia ex ipsis dogmatum vestrorum fibris enascitur. Nimirum quia apud vos docetur, solam fidem justificare opera verò quantumvis bona mente suscepta, criminum esse loco apud Deum, inde tanta flagitiorum messis metitur. Vin aliquem ex tuis, qui id fateatur? Audi Jacobum Schmidelinum in Conc 4. de planet. *Nulla apud nostros*, inquit, *Evangelicos morum emendatio conspicitur, sed turpis, bestialis, & Epicuræa vita, crapula, usura, superbia, diviniq; nominis profanatio. Christiana disciplina, quam Deus in verbo suo tam serio præcepit, & à suis Christianis requirit, jam appellatur novus Papatus, novus Monachatus.* Satin' hoc nequitiarum est? Sed audi mali radicem. *Didicimus, inquiunt, nos sola fide in Christum salvari, qui morte sua omnia peccata jam delevit. Non possumus nos nostris jejuniis eleemosynis, orationibus, aliisque bonis operibus pro peccatis satisfacere. Ne quis igitur cum bonis operibus molestus esto. Bene per Christum salvari possumus, omnem nostram spem in gratia Dei Christique merito collocantes. Utque totus mundus videat eos Papistas non esse, neque ullam in bonis operibus fiduciam habere velle, nullum penitus bonum opus faciunt. Loco jejunii noctes diesque potant, pro eleemosynis pauperes deglubunt, pro precibus alios diris devovent & execrantur, ipsumque Dei*

nomen tam indignè blasphemant, ut ne apud Turcas quidem talia audiantur. Hæc verè ille.

II. Fumus. *Doctrina Jesuitarum est subditos posse à suo principe Lutherano deficere, veneno necare, præsertim lata à Pontifice excommuniationis sententia.*

Calumniaris nequiter. Jesuitarum non est hoc dogma. *Mariana ita sensit.* Mariana? Ubi *lib. 1. de Rege. c. 6.* Fallis. Prædicans. Non sensit, nō scripsit. *Gretser. in Vespertil. p. 160. illum librum Marianæ tuetur.* Sed quomodo tuetur? Eius doctrinam de occidendo tyranno? Falsum dicis. Sed tantum contra te & tuas imposturas defendit. Facit quod ego modò. Negat Marianam loqui de principibus acatholicis, negat Marianam docere, tales Principes eo nomine opprimi & exterminari posse, negat Marianam scribere tales principes à suis subditis vel ministris veneno necari posse. Tu hoc pro nequitia tua confingis Marianam scripsisse. Vin' audire Seldi? Ego te pro nequam homine & impostore habeo, donec probes hanc vel Jesuitarum vel adeo Marianæ Jesuitæ fuisse doctrinam, ut sentiant scribantue, posse Principem Lutheranum vel Calvinianum, eo quod Catholicus non sit & à Pontifice excommunicatus, à subditis abdicari, exterminari, opprimi, sed & veneno à subditis vel ministris suis necari. Iterum dico. Mendacium est & calumnia Sathanica, rogoque Acatholicos universos, Principes & subditos, quiqui hoc legent, ut vel Seldium ad probationem confictæ in nos calumniæ compellant, vel pro nequam & mendaci homine habeant.

III. Fumus. *Etsi Claud. Aquav. vetuerit quenquam Jesuitarum, prælegendo, consulendo, libros scribendo, affirmare, quod licitum sit cuicunque personæ, quocunque prætextu tyrannidis, Reges aut Principes occidere, tamen hoc decretum non seriò edidit.* Imò vel maximè seriò egit vir certè serius. *Colligere licet ex libro Franc. Suar. qui inscribitur defensio fidei Catholicæ, &c.* Quid colligere licet? Te esse calumniatorem? Ita licet. *In illo sunt passim istiusmodi seditiosæ propositiones*: Imponis. *quam ob causam à Parlamento Parisiensi ad rogum damnatus.* Voluisti dicere, Londiniensi. Sed nosti, quid ea re nunciata responderit Suarez? *Parue,* ajebat, *nec invideo, sine me liber ibis in ignem,*

Heu mihi quod domino, non licet ire tuo.

Combustus est liber, non quia docet, subditos Catholicos posse suum Principem hæreticum enecare, sed quia asserit, omnes Christianos

prin-

principes, ex causa, à Pontifice Romano anathematis fulmine feriri, & si ita res postulet, regno privari posse. Quæ doctrina licet quibusdam Politicis displiceat, communis tamen est Theologorum Catholicorum.

Eandem doctrinam propugnat Scribanius, & Ribadeneira.

Principem Acatholicum à subditis opprimi & toxico è medio tolli posse? Impostura est. Quid ergo? Reges & Imperatores Ecclesiasticæ Pontificis potestati subjacere. Ex quo dogmate nihil equidem concludi potest, quod in bonorum morum detrimentum vergat.

SECTIO IX.

Nona ratio: facilitas reddendæ rationis fidei.

§. 1.

Thesis Catholica;

HOmini Catholico, si in supremo judicii die rogetur, eccur missis heterodoxis, Catholicæ doctrinæ constanter inhæserit, pronum erit genuinam fidei factique sui rationem reddere. Dicet enim se verbo Dei infallibili fidem denegare nec voluisse nec potuisse. Id verò verbum Dei, se nullibi securiùs aut certiùs accepisse, aut accipere potuisse, quàm ab ea Ecclesia, quam Christus servator audiri jussit, cui perpetuam in fide stabilitatem promisit, in qua divina promissa omnia manifestè apparent impleta, quæ sola per universum orbem propagata, constanti religionis cultu omnem infidelitatem, & hæresin & tyrannidem invicta detriumphavit, in qua Pastorum continua & ab Apostolis propagata series perdurat, in qua plurimi & doctrina, & sanctitate & prodigiis illustres viri vitam clauserunt, ad quam solam omnium hactenus gentium conversiones sunt factæ, in qua una divina quædam mirandorum operum virtus enituit. Ecquis non securo siet animo, tot tamque insignibus munitus credendi præsidiis & motivis?

§. 2.

Antithesis.

Acatholici autem præterquam quod egregiis hisce fidei probandæ rationbuis planè destituantur, in certa semper animi fluctuatione in diversa aguntur. Hinc tot opinionum & sententiarum divortia. Hinc non pauci, post instabiles in vasto errorum Oceano jactationes, sub

vitæ

vitæ exitum malunt ad portum nostrum vela sua convertere, sentiuntque verum esse quod ille dicebat: inter Lutheranos vivere equidem esse jucundius, inter Catholicos tutius mori.

§. 3.

Fumi Seldii contra thesin.

I. Fumus Seldii. *Illa Ecclesia non est vera ad quam fit conversio infidelium.* Eccur tu non addis, *gentium omnium, & ad quam solam*, quod Marcellius dixerat? Nimirum hoc jugulabat tuam de synagoga Israelitica instantiam.

Ad Israeliticam synagogam (si particulariter accipias) convertebantur gentes, sed non solam, neque omnes, sed multò plures ad Judaicam veram Dei Ecclesiam. Dixi: *si particulariter accipias:* nam si Ecclesiam Israeliticam Catholicè sumas, jam ad illam gentes universæ se conferebant, & mansit illa usque ad adventum Christi in fide constans.

Non est autem contemnendum hoc Catholici Professoris argumentum. Quis enim cum videt in universo differentes fidelium cætus, qui se Christianos dicunt, Lutheranos, Calvinianos Catholicos; atq; hos quidem solos, insigni cura atque sudore, imò & sanguine suo remotissimas orbis plagas adire, populos in fide Christi instructos baptismo tingere, & efferatas ritu ferino mentes ad humanam vitæ Christianæ consuetudinem adducere: istorum verò Prædicantes, velut cuculos, alienis tantum nidis incubare, & gentes jam conversas à fide antiqua avertere: quis inquam cum talia videt, non cogitet, Catholicos verè Christianos, Lutheranos autem & Calvinistas Christianæ fidei & religionis corruptores & noxas esse?

II. Fumus. *Conversiones gentium Indicarum, à Papistis facta, non sunt facta ex verbo Dei.* Non? *Sed vi & armis, teste Acosta.* Ut aliquorum subinde sæcularium hominum fraus atque vis injusta intercesserit, certè constat universim eos, qui à viris religiosis ad fidem adducti sunt, more verè Apostolico, tum verbo Dei, tum etiam patratis cœlesti virtute prodigiis, adductos esse. Certè Japones spiritu Dei agi, nemo dubitet, qui audit eos tanta tot annorum tempestate, tot cædibus, ignibus, crucibus, cruciatibus & mortibus longè acerbissimis à fidei nostræ constantia dimoveri non posse. Monstrent Prædicantes vel unum, quem cum ipsi undis piacularibus abluerint, & proselythum

lythum suum fecerint qui maluerit ferrâ ligneâ collum secari, aut lento multarum horarum igne vivens spiransque torreri quam ab Lutheranismo resilire. Nominent ex suis verbi Ministris, qui relicto patrio solo, mare tranarit, Evangelium barbaris Indis prædicarit, paganos baptizarit. Scilicet sine nympha & uxorcula illi quinti Evangelii buccinatores vivere nõ possunt. Et magis ad illos attinet illud Gen. 1. *crescite & multiplicamini*, quàm hoc Jesu Christi, Marc. ult. *euntes in mundum universum prædicate*. Prædicantes magis sunt proletarii quàm Apostoli. Ædificant Syon in sanguinibus, non autem in spiritu & veritate.

III. Fumus. *Tyrannidis in Indos exercitæ autores fuisse Jesuitas, testatur Arnoldus.* Præclarum testem Arnoldum, publicum Jesuitarum hostem! Calumniatur Arnoldus & post illum Seldius. Tot Patrum nostrorum sanguis, quo Indiam Japoniamque purpurarunt, rubore te perfundere posset, nisi planè impudens esses & verecundari indocilis. Novit orbis universus quantâ mansuetudine & quibus benefactis efferatos illorum populorum animos demitigare, & ad Christianam disciplinam cicurare soleamus. Soli Prædicantes & quos livor aut stupor cæcavit, rem in propatulo positam non vident.

IV. Fumus. *Miracula à Papistis jactata non sunt vera.* Sed probandum est mi Prædicans, non dicendum. *Colludunt sæpe cum dæmone, & præstigiis illudunt.* Id ab aliquibus nebulonibus quandoquè factum quis abnuat? At quomodo tu probas de Monachis sive Herbipolensibus sive Bambergensibus, eos miracula simulasse, & demùm de collusione convictos, ignem fraude luisse? Quo anno factum? quo die combusti? quæ reorum nomina? Certè nos multos in utroque loco exuri olim & vidimus & audivimus.. At Monachos eo nomine rogo addictos neque vidimus neque audivimus. Quid si dicam ergo te mentiri cum Mullero tuo? Profectò donec legitimè probes, mendacem te habeo. *At D. Müllero*, inquis, *cum idem objectaret, non fuit responsum.* Quid inde? Qui homo volet ad omnia Prædicantium mendacia respondere, pol nimium illæ operæ in se susceperit.

V Fumus. *Si qua vera fiunt à Papistis miracula, sunt ea ad testandos illos fidei articulos, in quibus non errant.* O effugium! ô fumum! Atqui fiunt sæpe talia miracula in cõfirmationem eorum articulorum, in quibus vos dicitis nos errare. Quid tunc dices? Certè prodigia illa pleraque sunt talia, ut invocationem Sanctorum, fidem purgatorii, cultum reliquiarum, venerationem imaginum, usum ceræ &

aquæ benedictæ, virtutem sacrificii Missæ, & similia ab hæreticis controverti & negari solita, in animis hominum confirment. Ergo dici debet, ad testandam huiusmodi veritatem ab immortali numine patrari.

VI. Fumus. *Miracula de quibus Papistæ gloriantur non sunt similia miraculis quæ Apostoli ediderunt. Ergo non sunt vera.* Distinguo. Ant. non sunt similia in essentia miraculi. nego. in accidentalibus. concedo. Conveniunt nostratia cum illis in hoc, quod sint opera supra omnem naturæ vim peracta, in testimonium veritatis & ad finem supernaturalem salutis animarum. In cæteris autem discrimen esse, nihil refert. Nam & prodigia quæ Apostoli patrarunt, sæpe valde diversa fuere ab iis quæ Christus in vita ipse ediderat. Umbra Petri infirmos sanitati restituebat. Actor. 5. quod Christi nunquam fecit. E contra Christus 40. diebus absque ullo cibo & potu vitam toleravit, quod nemo Apostolus tentavit. Unde tale hoc loco est argumentum Seldii, atque si quis diceret: Miracula quæ Apostoli fecerunt, non sunt similia eorum quæ Christus fecit. Ergo miracula Apostolorum non sunt vera. Item, Seldius non est similis suæ uxori homo, quia hæc est mulier, ille mas, hæc ignara scientiai, ille Doctor, hæc ex præcepto S. Pauli in Ecclesia est Angerona, & silet, ille verbifex conscenso ambone declamat. Ergo Seldius non est verus homo.

VII. Fumus. *Nulla hodie vera miracula neque intra, neq; extra Europam patrantur.* Nulla? *Becanus testis.* Fallis. Aut ubi testis? *Lib. de Antich. reform. cap. 9. th. 15.* Calumniaris in collum tuum. Testatur in Japonia & in Indiis plura equidem fieri, quàm in Europa. Testatur tamen etiam in Europa fieri, & se hominem in Brabantia oculis suis vidisse, qui miro & manifesto miraculo à B. Virgine in Aspero-colle fuerit consanatus. Quid videtur vobis Domini Lutherani, de vestris Prædicantibus, qui tam perfricta fronte audent mentiri? Sed pergit ille.

Acosta Jesuita de Ind. sal. cap. 2. fatetur, & dicit: non solum nostris temporibus, vis signorum deest, verùm etiam pro iis scelera ubique fervent.

Hæc uti & alia alibi dicta ita accipienda sunt, ut Acosta neget potentiam miraculorum edendorum ordinariam, qualem Apostoli habebant, in iis omnibus, qui Indiarum conversioni incumbunt, communiter non reperiri. Patet id 1. ex cap. 9. ubi vocat *signorum parcitatem.* 2. ex c. 10. cuius titulus est: *quod etiam exiguo merito Prædicatorum signorum parcitas aliqua ex parte attribuenda sit.* 3. ex eo quod addit

addit, loco signorum scelera ubique fervere. Nam certum est plurimos in Indiarum partibus Religiosos summa integritatis laude & vitæ innocentia Evangelium prædicasse, & ad huc dum prædicare. Ergo sicut non voluit Acosta dicere, neminem illic Prædicatorum vitam cum honestate agere, ita dicere etiam non voluit, neminem illis prodigiis fidem Christianam illustrare. Et quid demum hic hæremus, ubi Prædicantem apertis Acostæ verbis mendacii convincere licet? An non clarissimè, plus vice simplici, profitetur miracula in Indiis edita? Ita sanè. Lib. 1. cap. 6. sic scribit: *Nihil enim magis confirmat animos fidelium Christi prædicatorum, quàm testimonium spiritus S. per dona & charismata quæ partitur ut vult. Et quidem dona spiritus Sancti* ET MIRACULA, *quæ fidei prædicatione innotuerunt, his etiam temporibus, quando charitas usque adeo refrixit, enumerare longum esset, tum in Orientali illa India, tum in hac Occidentali.* Audin' Seldi quid dicat? miracula in utraque India prædicatione innotuisse tam multa, ut non nisi longa oratione recenseri possent? Quomodo ergo tu audes mentiri, Acosta teste, nulla ibi fieri? Scilicet Acostæ librum ne in vita vidisti quidem, sed ex aliquo sycophanta & calumniatore mendacium exscripsisti. Sed perge audire Acostam mendacii te damnantem. *Res Japonensium notæ jam sunt. De insularibus ipse quoque aliqua ex parte nonnulla conspexi. Historia inventi novi orbis loquuntur multa, & miranda, & vera, quorum hodie quoque testes satis fide dignos habemus. Duo quæ recentia sunt, exempli gratiâ, non morabor apponere,* Pergit hic enarrare duo miracula. Unum fæminæ pervicacis, quæ ab Angelo commonita sub finem vitæ fugientis, salutaribus undis expiata fuit. Alterum viri, qui post trium dierum vel mortem vel ecstasim, ad se rediens, testatus est vera esse, quæ de sæculo futuro Patres nostri docerent, eamque deinceps vitæ rationem instituit, ut dubitare nemo posset, fuisse super eum manum Domini. Lib. 2. cap. 9. initiò. *Nam & rationes innumerabiles sunt, quarum salutem Deo charam esse dubitare non possumus, & hæ si quæ unquam aliæ, externis signis & operibus prodigiosis fidem commodare, plus quàm dici queat, facile solent. Argumento est mirabilis illa & inaudita nostrorum hominum peregrinatio in terra Florida, ubi ex immenso naufragio quatuor illi homines tantùm superstites Cabeza de Vaca, Durantes, Castillo, & quidem alius, divinitùs gratiâ curationum donati, & opera Apostolica perpetrantes.* (non tibi aures tinniunt Prædicans?) *homines alioqui militares & profani, inter immanissimos barbaros, per totum decennium, non solùm illæsi servati*

 sunt,

sunt, &c. Et cap. 10. Convertamus oculos in nostri sæculi hominem B. Magistrum Franciscum (Xaverium intelligit) *virum Apostolicæ vitæ, cuius tot & tam magna signa referuntur, per plurimos eosque idoneos testes, ut vix de alio exceptis Apostolis, plura aut maiora legantur. Quid M. Caspar, aliique socii non pauci in India Orientali, quantam divinæ magnificentiæ laudem, novis convertendis populis, operibus admirabilibus pepererunt? Quod in aliis sacrorum ordinum viris perspectum etiam est; & in nostra quoque Occidentali India non omnino inusitatum.* Quid nunc Römhildenses? An non vester Superintendens splendidè mentus est, cum scripsit, Acostam confundere Bellarminum & Ozorium ad miracula novi orbis provocantem?

VIII. Fumus. *Probatio à miraculis desumpta est* ἀσυλλόγιστος. Nego. *Committit circulum.* Formalem & vitiosum? Nugæ Prædicanticæ. *Marcellinus hic probat Ecclesiam ex miraculis.* Aliundè quàm ex Ecclesiæ testimonio perspectis. *Et veritatem miraculorum probat per Ecclesiam.* Eorundem miraculorum, & per Ecclesiam ex miraculis comprobatam? Imponis homo. Non tam stulti sumus agendo, ut tu impudens es calumniando.

IX. Fumus. *Maldonatus hoc vitium à miraculis concludendi, agnoscit. comm. in Matth. 7.*

Iterum calumniaris. Audi verba Maldonati. *Probabile igitur fidei argumentum est, quod ex miraculis sumitur.* Si probabile, quomodo vitiosum Seldi? *Quia per fidem sæpe, sine fide rarò admodum fieri solent. Et cum fiunt, non ad probandam eorum qui faciunt, sed eorum, qui veram fidem habent, fieri solent. Nec enim Balaam futura prædicendo suam ipsius, sed populi potius Dei, adversus quem conductus fuerat fidem confirmavit, & ferè omnia miracula, quæ per hæreticos facta fuisse legimus, quæ paucissima sunt, huiusmodi esse constat, qualia ea quæ in Ecclesiasticis historiis, & apud Anastasium in quæstionibus scripturæ recensentur. Est etiam argumentum à miraculis ductum, si non omni, una saltem, aut duabus etiam ex partibus necessarium. Nam etsi non necessariò sequitur, eum qui miracula faciat, veram habere fidem, tamen necessariò sequitur, eam, in qua frequentia & quasi ordinaria miracula fiant, esse Ecclesiam Dei, quia etsi aliquando Deus per privatos extra Ecclesiam suam homines miracula fieri permittat, sicut & per asinam fecit Balaam, quæ in Ecclesia certè non erat: tamen nulli generaliter hominum societati, nisi Ecclesiæ suæ, ordinariam miracula faciendi concessit potestatem. Magis etiam necessarium est, quod ex altera parte, per negationem*

nem ducitur, in qua miracula nulla fiunt, eam veram Ecclesiam esse non posse, quia scimus Christum Ecclesiæ suæ potestatem ad facienda miracula dedisse. Itaque rectè hinc (arrige aures Seldi) *probare possumus, Calvinistarum, Lutheranorum, Anabaptistarum, & cæteras eorum, qui hodie regnant, hæreticorum congregationes, non veras Ecclesias, sed synagogas esse Sathanæ, quia in nulla earum ullum unquam miraculum visum est.* I nunc Seldi, & dic Maldonatum agnoscere vitium in argumento Marcellii ex miraculis petito.

§. 4.

Fumi Seldii contra antithesin.

I. Seldii fumus. *Papistæ cum Pelagianis sentiunt.* In erroribus? Calumniaris.

Pelagiani apud August. l. 2. de pecc. orig. c. 13. docent, ad rationem peccati pertinere, ut libera voluntate, & à sciente committatur. Transeat. quanquam hæc verba ibidem non reperiantur. *Idem docet censura Colon.* De peccato actulali proprio, concedo. De peccato ut sic, & originali: nego.

Iidem Pelag. adstruunt liberum arbitrium, & adducunt dictum Syrac. 15. vers. 14. 15. 16. apud August. Hypognost. lib. 5. & de grat. & lib. arbit. cap. 16.

Falsum est. Nam lib. 5. hypognost. ne verbulum quidem tale reperitur. In libro verò 3. c. 2. ipse Augustinus adductis illis ipsis Ecclesiastici locis probat primi hominis liberum arbitrium, tantùm abest, ut doceat ea à Pelagianis laudari. Præterea lib. 5. de grat. & lib. arbit. cap. 16. etiam nihil horum est. Ergo tu imponis & nobis & Augustino. Demùm, non est hæresis Pelagii asserere liberum arbitrium: Absit. Sed docere, liberum arbitrium nostrum sine adjutorio gratiæ divinæ posse ad sanctitatem & gloriam supernaturalem pertingere, id equidem Pelagianum est, sed à nullo nostrum tenetur.

II. Fumus: *Improbatio conjugii & interdictum certorum ciborum est doctrina dæmoniorum. 1. Timoth. 4.* Universim & eo modo quo apud nos reperitur? Calumnia est rancida & olida, dudum à nostris repulsa.

III. Fumus. *Multiplices sunt dissensiones inter Papistas.* Circa res definitas & de fide? Calumniaris. *Sunt de prædestinatione, gratia, purgatorio, cœnâ.* In quantum continent articulum fidei definitum.

tum. nego. quo ad doctrinam necdum definitam. concedo. Cætera quæ de Scoto, Thoma, Dominicanis, Franciscanis affers, affaniæ sunt. Nullum inter illos religionis aut charitatis est divortium. Sunt velut equi, colore diversi non genio. Sunt alii albi, alii nigri, omnes tamen eundem divinæ gloriæ currum trahunt.

IV. Fumus. *Carolus V. gratuitam justificationem per fidem amplexus obiit.* O fumum Prædicantium! ô mendacium! Nobis per autores certos constat, eum uti vixerat Catholicum mortuum, omnibus Sacramentis nostro ritu expiatum, sacram Christi è cruce pedentis imaginem manu prehendentem, cum hisce verbis: In manus tuas Domine commendo spiritum meum.

V. Fumus. *Marcellius impertinentissimè citat scripturam pro concomitantia sanguinis Christi in Euchar.* Tu impertinentissimè arguis. Nostin' enim quid sit concomitantia illa? Valde vereor ut non capias. Ea in hoc consistit, ut ubi unum est realiter, ibi & alterum sit, individuâ invicem conjunctione. Ne corpus sit sine anima & sanguine, & ne sanguis sit sine corpore & anima. Ita verè & rectè dicimus sub specie panis in Eucharistia esse corpus Christi vi verborum, non tamen solum, absque anima & sanguine, sed hæc una reperiri per concomitantiam realem. Iterum, dicimus sub specie vini, esse vi verborum sanguinem Christi, non tamen ab anima & corpore sejunctum & avulsum, sed hæc simul esse per concomitantiam. Jam tu Seldi aude sis, & ostende, loca scripturæ à Marcellio laudata huc nihil facere.

Laudat illud Rom. 6. 9. Christum semel mortuum non ampliùs moriturum. Ita. Sed nunquid ad rem? Nam si Christus deinceps mori non potest, ergo corpus & anima & sanguis eius divelli realiter non queunt. Quomodo enim vivet Christus absque hisce partibus invicem connaturali unione glutinatis? *At concomitantia stabilienda erat non ex locis peregrinis, sed ex verbis institutionis.* Non est locus peregrinus, ex quo rectè concluditur, id de quo contenditur. Sint, non sint, verba institutionis, parum refert. Si intentum ex iis concluditur, id satis esto.

Sectio X.

Ratio decima: motiva S. Augustini contra epist. fundamenti cap. 4.

§. 1. The-

§. 1.

Thesis Catholica.

QUæ S. Augustinum commovere, ut in Ecclesiæ Catholicæ gremio lubens perseveraret, eadem nos hodie meritò persuadere debent. Nimirum consensus populorum & gentium, autoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata, Episcoporum in cathedra Petri continua & ad nos usq; producta successio, ipsum denique Catholicæ nomen, quod constante usu nostrum est, non diffitentibus etiam ipsis, si verum fateri volunt, adversariis.

§. 2.

Antithesis.

Eadem, prudentem animum à quovis sectariorum, Lutheranorum, Calvinianorum, & istiusmodi aliorum cætu meritò deterret. Non ibi populorum gentiumque diversarum una consensio, non autoritas miraculorum, non successio sacerdotum Apostolica, non ipsum Catholicum nomen est, sed adeo appellationis suæ novitate, quâ Lutherani & Calvinistæ, & Evangelici, & Hugonotti, & reformati dicuntur, ostendunt se à communi bonorum fidelium cætu discessionem fecisse.

§. 3.

Fumi Seldii contra thesin.

Perlepidus semper more suo est Seldius. Fingit chimæras à Marcellio excogitatas, ut habeat quod impugnet. Dicit hoc loco Marcellium notas Ecclesiæ producere, qua de re Marcellius ne per somnium quidem cogitavit, sed tantùm motiva quædam adducit, quæ S. Augustinum in Ecclesiæ Catholicæ unione olim tenuerunt, putatque ea sine dubio eius esse momenti, ut non minus hisce temporibus quemvis nostrum commovere possint ac debeant, ne ab Ecclesiæ Catholicæ fide atque religione ad Lutheranos aut Calvinianos deflectamus. Et quamvis in suo illo phasmate & phantasmate debellando plura peccet Seldius, non est tamen animus singulatim hic ea excutere, tum quia pleraque alibi explosa sunt, tum quia tam sunt frivola, ut solo silentio satis refutentur. Tantùm aliquot falsitatis fumos, ex pluribus, libet adnotare.

I. Fumus. *To Catholicum non est visibile quia non est sensibile, quæ est communis sententia.*

Falsum;

Falsum est. Catholicum sensibile esse, est communis & evidenter vera sententia. Solus Seldius bubo est & ad lucem tam perspicuam cæcultat.

II. Fumus. *Tempore Augustini Romana Ecclesia plura tenuit capita fidei intemerata, quàm sæculis sequentibus.* Falsissimum. Eadem omnino quæ tunc temporis tenuit, etiamnum tenet, & porrò tenebit ad supremum mundi exitum.

Exempli loco sit administratio cœnæ sub utrâque specie. At cuius rei exemplum vis esse? Tuæ falsiloquentiæ? Rectè quidem. *Viguit illa tempore S. Augustini.* Esto. Non omne quod viget & in usu est, pro articulo fidei habetur. Quomodo jam subsistis? Debes afferre articulum fidei creditum ab Ecclesia Romana tempore S. Augustini, quem jam non credat. Id non facis. Ergo ovum tondes, & calvum vellis. Uti enim modo Eucharistiam populo sub una specie præbemus, non tamen ideo usus unius tantùm speciei nobis est de fide: ita & fidelibus quinto sæculo sub utraque specie ministrabatur Sacramentum, non tamen ideo ad fidem & essentiam Sacramenti utraque species spectare credebatur.

III. Fumus. *Gelas. 1. an. 492. communionem sub una penitùs improbavit.* Quid penitùs? Tanquam contra fidem & omni modo erroneam? Falsum est. Cum intelligeret Pontifex, Manichæos ex superstitione sectæ suæ, quâ credebant vinum esse creaturam diaboli, & Christi corpus non fuisse sanguine præditum, à calice Eucharistico abstinere, præcepit utramque speciem ab omnibus frequentari, tum ut simulatores hæreticos à synaxi arceret, tum ut errori in vulgus gliscenti obviàm iret. Ergo non improbat penitus, sed tantùm secundùm quid, nimirum communionem sub una, ex superstitione Manichaica, usurpatam.

IV. Fumus. *Bellarm. communionem sub una specie probaturus, ante Concil. Constant. & ante Bernard. & Thomam vestigia nulla deprehendere potuit.*

Fallis, l. 4. de Euch. c. 24. vestigia huius rei ab ipso Christo, & Apostolis & primævis fidelibus altissimè impressa exponit. Mirumq; est te tam impudenter audere palàm perspicuæ veritati bellum facere.

§. 4.

Fumi Seldii contra Antithesin.

I. Seldii Fumus. *Lutherana religio non est contenta Occiduis & Aquilo-*

Aquilonaribus regnis. Etiam in Occidentem & Meridiem properavit. Ut illic vigeret, & cœtus institueret? Falsum est. Nullibi in totis aut Occidentis aut Orientis Indiis est vel unius teruncii pagellus, in quo sit Prædicans Lutheranus, aut tempellum Luthericum.

Novi hi quinti Evangelii Apostoli multò plus amant hypocausta sua fumea, & mensam mero meraco madidam, & postillam domesticam, quàm ut tam procul abeant. Timeret Seldius, ut ne quis illum Patagon vel Tupinanbaldus pro lepore caperet, & in ventrem anthropophagum abstruderet. Quare ut se tanto periculo liberet, ad saltum Thuringicum mavult turdos captare, & Rômhildæ Superintendens audire. Calvinistæ aliqui paulò Luthericis audentiores, cum Batavis recentiùs adnavigarunt, sed intra valla militaria Europæos suos excolere nisi, nullam pene de Indis tingendis curam suscepere.

Bellarm. querulando est testis. Cuiusnam rei? Te fallere? Ita. Audi verba. *Nova*, inquit, *ista secta instar pestiferæ tabis sese per varias regiones effudit. Nam non contenta Occiduis & Aquilonaribus regnis, ad Orientem quoque & Meridiem, ad Græcos & Indos, ad ipsum novum orbem navigare ausa est.* Sed nunc Seldi aurem utramq; arrige. Pergit. *quanquam & à Græcis repulsa fuit, & aput Indos non permisit Dominus, ut vestigium figere posset.* Neque plus Castrius aut Remondus fatetur, quàm conatos vos virus vestrum toto orbe propagare, at non avisse. Idem indicant busta Hispaniensia. Nimirum ab Italia & Hispania vos Vulcanus, ab India Oceanus arcuit. Si veri Apostoli essetis, nihil horum posset arcere.

II. Fumus. *Miracula Lutheranis non desunt.* Quænam ergo, ubi & quando patrarunt? *Quæ Apostoli in fidei testimonium olim ediderunt ea ad Lutheranos spectant.* Quis non rideat? Ita omnes hæretici dicent, Apostolorum prodigia sua esse, & ad suam fidem, nimirum cum Apostolica eandem, testandam patrata.

III. Fumus. *Non deest Lutheranis vitæ sanctitas.* Nimirum, sicut per Apostolos miracula fecêre, ita per eosdem Apostolos sancti fuere. Eccuius demùm Lutherani festum diem celebrat Ecclesia?

Sanctitatem saltem externam multi Papistæ largiuntur. Quàm multi? *Maldon. in com. Matth. 7. 15. testatur.* Misselle Prædicans. Maldonatus loquitur de Hugonottis Gallis, quos tu pro hereticis habes.

Similia Maldonato testatur Coster. in Enchirid. cap. de Eccles. O quàm fingis Seldi! Accusat ille vos impietatis in Deum & homines, blasphemiæ, crudelitatis, injustitiæ. Et demum addit: *Sanctitatem*

Y *verò*

verò in cætibus eorum vel fuisse vel esse, nullo certo judicio demonstrari potest: Edunt illi quidem moralia nonnunquam bona; largiuntur eleemosynas, Xenodochia erigunt, moderatè eorum quidam vivunt, à convitiis & juramentis sese abstinent, sed id genus virtutum etiam in plerisque Philosophis reperias ethnicis, &c. Egregia nempe Lutheranorum sanctitas, quæ & Ethnicis communis est, & gravibus blasphemiis & impietate corrumpitur.

IV. Fumus. *Remondus invitus, nostræ Ecclesiæ antiquitatem concedit.* Qualem demum antiquitatem? *Fatetur enim Lutherum, multa à Græcis furatum esse.* A Græcis schismaticis & erronibus. Verum est. Errores Lutheranæ Ecclesiæ singuli, magna ex parte antiquitatem illaudabilem habent. Sunt enim hæreses jam olim ab Ecclesia damnatæ. Totus tamen Lutheranismus, & conflatus ille ex tot hæreticorum antiquorum laceris laciniis cento, planè novus est Martini Lutheri partus.

SECTIO XI.

Vndecima ratio: constantia fidei & Ecclesiæ Catholicæ.

§. 1.

Thesis Catholica;

EX eo quod Ecclesia Catholica errare in negotio religionis non possit, & quod Catholici se eius sententiæ & judicio omnino subjiciunt, conficitur planè constantissimam semper manere fidei nostræ unitatē.

§. 2.

Antithesis.

Quæ res cum apud Lutheranos minimè reperiatur, mirum videri non debet, capitalia inter illos enasci fidei divortia. Hinc Anabaptistæ, Confessionistæ, sacramentarii, rigidi, molles, extravagantes, demum qui non? Confessio Augustana quàm non sæpe innovata & immutata, versa, reversa?

§. 3.

Fumat Seldius contra thesin.

Dissidia inter Papistas supra demonstrata.

Verùm nos fumum hunc supra dispulimus. Nemo nostrum ab altero in articulo fidei dissentit, aut adeo dissentire ex animo potest,

etiam

etiam tunc cum pugnantes invicem opiniones tuemur. Vin' audire causam? Quia nemo est, qui non profiteatur, se opinationem suam definitivo Ecclesiæ judicio submittere, paratúmque esse, contrarium amplecti, quamprimum Ecclesiæ illi de ea re sententia innotuerit. At verò Lutherani qui solo verbo scripto ducimini, eodem verbo in diversa abitis, cum licet unus hoc, alius illus tueatur, verbo tamen Dei autore se tueatur.

§. 4.

Fumat Seldius contra antithesin.

I. Fumus Seldii. *Anabaptistæ & sacramentarii non spectant ad Lutheranos, sed ab illis defecerunt.*

Spectant ad Lutheri sobolem. Ab illo ita philosophari didicerunt. Et nunquid, Luthero quidem autore, solâ scripturâ niti oportere dicunt? Et sanè tam in speciem nituntur quàm vos, & non semel aliquantò plus. Cur ergo non tam illi Lutherani, quàm vos? Præterea nonne Saxonici & Wirtebergici una omnes Lutherani estis? Tamen de ubiquitate humanitatis Christi, quæ utique est materia fidei, toto cœlo dissidetis. Neque minoris momenti est quæstio de reali præsentia corporis Christi in cæna, vel de baptismo parvulorum, quàm omnipræsentia eiusdem corporis. Ergo si non obstante hac diversitate utriq; ad Lutheranum cætum spectatis, cur non etiam illâ?

II. Fumus. *Confessio Augustana non est immutata, quo ad rem, sed quo ad voces tantùm.*

Itane Seldi? An non artic. 10. de Cænâ Dom. quo ad rem immutatus à vobis? Prototypon exemplar Latinum ita habet, teste And. Fabric. *De cæna Domini docent, quod corpus & sanguis Domini verè adsint & distribuantur vescentibus in cæna Domini, & improbant secùs docentes.* Germanicum latinè, de verbo ad verbum expressum, ita: *De cæna Domini sic docetur, quod verum corpus & sanguis Christi veraciter sub specie panis & vini in cæna præsens sit, & ibi distribuatur & sumatur. Idcirco & rejicitur doctrina contraria.* Exemplaria verò anno 1540. & antea variis in locis edita omnino discrepant. Sic enim habent: *De cæna Domini docent, quod cum pane & vino verè exhibeantur corpus & sanguis Christi vescentibus in cæna Domini.* An non hæc diversitas realis, quarum una transubstantiationem admittit, altera repellit?

III. Fumus. *Mendacium est Marcellii quod nulla Ecclesia, puram teneat confessionem Augustanam.* Ostende mendacium, aut men-

dax esto. *Contrarium ostendunt Ecclesiæ quæ Augustanam confessionem sunt amplexæ.* Non ostendunt contrarium, sed id quod Marcellius dixit, usu demonstrant. Ecclesia Giessensis nunquid Augustanam confessionem complectitur? Illa an. 1617. confessionis articulum 10. ita pervertit: *De cæna Domini docent quod corpus & sanguis Christi verè adsint & distribuantur vescentibus in cæna Domini:* nulla facta mentione neque panis aut vini, neque specierum panis aut vini. Tu quidem Seldi jactas eos cætus, qui libro concordiæ subscripsere, sed frustra. Nullus eorum puram putam Augustanam confessionem tenet, sed eam pervertit. In uno tantùm exemplo, ostendo. Articulus 10. confessionis eidem ex archetypo insertus ità habet: Vom dem Abendmal deß HErrn/wird also gelehrt/daß wahrer Leib vnd Blut Christi warhafftiglich vnter der gestalt deß Brodts vnd Weins/im Abendmal gegenwärtig sey/ vnd da außgetheilet vnd genommen wird/derohalben wird auch die Gegenlehr verworffen. Atqui hic articulus eodem lib. concord. evertitur & depravatur. Primò in Apolog. confessionis, quæ de eodem articulo sic loquitur: Den 10. Artickel fechten die Widersacher nicht an/ darinnen wir bekennen/daß vnsers HErrn Jesu Christi Leib vnd Blut/ warhafftiglich im Nachtmal Christi zu gegen/vnd mit den sichtbaren Dingen/Brodt vnd Wein dargereicht vnd genommen wird. An non hæc insignis depravatio? An non toto cœlo diversum, corpus Christi sub speciebus panis & vini contineri, & cum rebus visibilibus pane & vino præberi? Prius sensum Catholicum habet, & transubstantiationem admittit, posterius hæreticum est & transubstantiationem excludit. Quam rem benè observavit Nicolaus Gallus Lutheranus in l. contra festum corp. Christi An. 1565. ubi dicit:

Ista vocabula (sub speciebus panis & vini) *non sunt bona vocabula, quia non excludant transubstantiationem.* Quin Heshusius Lutheranus non infimæ notæ, teste Busæo in Apologet. disput. de persona Christi, in libello de præs. corp. Christi, candidè fatetur, *in prima editione Apologia Augustanæ Confessionis Papistarum commentum de Transubstantiatione defendi.* Atque hæc causa fuit cur Cæsar & Catholici Principes decimum articulum comprobarint, nunquam facturi, si transubstantiationis fides in eo fuisset læsa. Hinc pro Marcellio contra Seldium tale formo argumentum. Transubstantiatio spectat ud confessionem Augustanam. Atqui nulla Ecclesia Lutherana servat fidem transubstantiationis. Ergo nulla Ecclesia Lutherana servat confessionem Augustanam. Ergo non mentitur Marcellius sed Seldius.

SECTIO

SECTIO XII.

An & qualis Lutheranos inter & Catholicos reconciliatio possit sperari.

NOn omnino desperandam putat Marcellius, eo quod aliquorum Lutheranorum, non ea sit animi pervicacia, ut veritatem perspectam repellere velint. Ergo si cum illis ageretur placidè, si obscuriùs dicta explanarentur, si malè intellecta dilucidè proponerentur, fieri posse ut fidei nostræ Catholicæ splendor illis affulgeat, & ad nos accedant. Quid ad hoc Seldius? Fumos spirat more suo. Eorum aliquos libet Lectori exibilandos dare.

§. 1. I. Fumus Seldii.

Primarium dogma Theologiæ Pontificiæ curialis est. Nugaris quadruplator. Nulla nobis curialis est Theologia. Sed perge tamen effumare. *Papam Romanum præditum esse Monarchica potestate in universas Ecclesias.* Est magnum dogma, sed tu illud non satis intelligis. *Atqui Papistæ ipsimet hoc statuunt esse ἄγραφον.* Non intelligis quid & quomodo dicant. Sed unde scis quod statuant hoc ἄγραφον. *Concedunt quidam primatum Romani Pontificis non esse juris divini.* Nunquid dixi te illos non intelligere? Concedunt id de Romano formaliter sumpto, non autem materialiter. Hoc est, statuunt jure divino Petrum & eius successorem esse caput totius Ecclesiæ. Quod autem successerit Petro in ea dignitate sedes potiùs Romana, quàm Antiochena, cum utramque Petrus insederit, & in utraque successores reliquerit, id non esse juris divini, neque à Christo expresè mandatum, sed à libero Petri arbitrio profectum, cui Christus id reliquerat. Ideoque addunt, salva lege divina fieri potuisse, ut Pontificatus sedi Antiochenæ vel alteri, cui S. Petrus præfuisset, adnecteretur. At multo plures alii probabiliùs tenent, primatum Romano Episcopatui divina servatoris nostri præceptione alligatum fuisse, neque posse ulli unquam alteri sedi concedi. Sed quicquid sit de hac lite, quomodo tu Seldi inde conficis illud dogma esse ἄγραφον? An omne quod juris humani est, ἄγραφον est? An nihil quod juris humani est, scriptum est? O stoliditatem!

§. 2. II. Fumus.

Atqui Papistæ fatentur non esse de fide Catholica Romanum Pontificem esse canonicè electum, & consequenter esse caput Ecclesiæ.

Seldius per fumum & caliginem res nostras aspicit. Non faten-

tur hoc de Romano Pontifice ut sic, sed de hoc Romano Pontifice in individuo. Mirum est tanti commatis Superintendentem tam puériliter cespitare.

§. 3. III. Fumus.

Principale dogma culinaria Theologia est assertio purgatorii & indulgentiarum. Principalis calumnia est.

Papista fatentur illud dogma primitiva Ecclesia ignotum posterioribus saculis introductum. Fallis. Semper id dogma fuit, sed non ita vulgo notum, & ab primis Ecclesiæ exordiis tritum, uti nunc.

Fischerus fatetur. Quid? Verum esse quod tu dicis, & hoc dogma primævæ Ecclesiæ simpliciter incognitum fuisse? Nego. Id quod jam dixi, nimirum fuisse incognitum secundum quid, id est non fuisse ita distinctè & explicatè omnibus & singulis fidelibus perspectum? concedo. Vultis verò Lutherani legere in Fischero egregio fidei nostræ Martyre mendacium vestri Seldii? Legite articulum 18. initiò. Subjungite deinde art. 37. Ubi dicit *ex vetustissima Ecclesia consuetudine*, pro defunctorũ animabus, quæ in purgatorio esse creduntur, commemorationem specialem in Missa fieri consuevisse. Addit S. Chrysostomum testari ex *Apostolica traditione* exortam fuisse. Sub finem denique post allatas Græcorum Patrũ sententias concludit: *Ab Apostolis igitur hac institutio manavit, ut inter sacra defunctorum ageretur memoria, quatenus aliquid inde lucri consequerentur. Caterum iis, qua vel in cœlo beata sunt, vel in gehenna damnata, nihil accedere lucri potest, quo fit ut in purgatorio esse locum existimemus, ubi consistentes ad tempus anima devotis interea vivorum precationibus refocillantur.* Jam videte an non Seldius sit mentitus, cum scribit Fischerum largiri assertionem purgatorii & indulgentiarum primitivæ Ecclesiæ ignotam fuisse.

Attamen, dicat aliquis, *fatetur Fischerus serò innotuisse.* Resp. Non simpliciter sed secundum quid. Dicit quod post annorum curricula sit *generatim* receptus usus, & quod serò innotuerit Ecclesiæ *universa.* Erat id dogma in Ecclesia, sed non ita explicitè & distinctè omnibus universim propositum. Neque hoc mirum videri debet. Non solent neque possunt omnia fidei dogmata initiò particulatim, sed paulatim cum tempore singula explicari.

Confer Polidor. Virgil. lib. 8. cap. 1. Contuli. *Dicit usum indulgentiarum non reperire se antiquiorem S. Gregorio Magno.* Benè habet. Sed quid inde? Non negat antiquiorem esse, sed se non reperire originem, quod sciat, antiquiorem. Multa sunt sanè quæ Polidorus nesciunt, uti & tu multò plura nescis, Seldi.

§. 4.

§. 4. IV. Fumus.

Marcellius dicit ea quæ ambiguè dicta, aut malè intellecta fuerunt, clariùs & distinctiùs explicanda esse. An non rectè? *Sed praxis Papistarum est contraria.* Calumniaris. *Concilium Trident. de peccato origin. loquitur obscurè.* Non credo. *Chemnitius testis.* Præclarus nimirum. Chemnitius in Trident. Concilium, & Pilatus in Christum, parissimi testes. *Andradius prodit, ita locutum Concilium, involutè, ut nil esset in scriptoribus Pontificiis ita vanum & falsum, quod damnaretur, & ut relinqueretur licentia quidvis opinandi.* Quis hic calumniatur, tu Seldi, an Chemnitius? Uterq;. Nihil horum prodit Andradius. Dicit mentem fuisse Concilii Trident. hæreticorum errores damnare, scholasticorum verò lites in medio relinquere.

Gretserus & Tanner. in Colloq. Ratisb. ambiguitatibus & tergiversationibus usi. Calumniaris. *Relatio Hunnii affirmat.* Relatio Tanneri negat.

CAPUT III.

Quæstiones circa fundamentalem fidei doctrinam, Acatholicis proponendæ, contra Seldii impugnationem asseruntur.

CApút 4. Professionis & protestationis Catholicæ aliquot quæstiunculas Acatholicis proponi jubet, quarum enodationi studentes ad veritatis Catholicæ agnitionem faciliùs perduci queant. Contra easdem Seldius multam fumat ex Acheronte caliginem, tantùm abest ut perspicuam lucem afferre conetur. Reponemus ergo ordine singulas, & Prædicanticos Seldii fumos illis oppositos, Lectori exsibilandos præbebimus.

SECTIO I.

§. 1.

I. Quæstio proponitur.

UTra scripturæ (cum eius sensus controvertitur) interpratatio melior, tutiorque sit, an ea, quam tenet tenuitque semper Ecclesia Dei universa, quam antiqua Concilia admiserunt, quamve Patres atque Doctores veteres scriptis illustrarunt? an verò, quam novi recentesque Doctores ex claustris profugi, in cathedras per vim aut certè absque legitima vocatione intrusi proposuerunt? Item, an non te-

mera-

merarium sit & periculi immanis plenum, suo proprio aut alicuius novi hominis, qualis fuit Lutherus & Calvinus, judicio Dei verbum subjicere? & se se, aut alium privatum hominem, Prædicantem suum, totius antiquitatis. & SS. Patrum, & Conciliorum generalium, & Ecclesiæ universæ judicem constituere?

§. 2.

Respondet Seldius.

Sed meros fumos. Ecce tibi aliquos.

I. Fumus Seldii.

Marcellius suppositititiam quæstionem proponit: Qui demum mi homo? Ille non est status controversiæ. Stupide mortalis. Non curat hic Marcellius, quid tu controvertas, quid non controvertas. Sed hanc quæstionem, & non aliam, hoc loco apud animos suos expendendam, dat iis qui à nobis dissident quidē, sed tamē salutis suæ sunt cupidi, & ratione utuntur. Si ergo nullam controversiam attingit, tantò equidem gratior erit, & cur non ad illam rotundè & candidè respondes? Si autem litem movet, quid clamas non tangere statum controversiæ? Sed ego video quid te vexet. Tuum ipse responsum extimescis, ne tibi & hæresi tuæ gulam defringat. Age, adue sis, & vel jam responde. Stat ante te, hinc tota Catholica antiquitas, quæ illud: *Bibite ex eo omnes*, Matth. 26. ita intelligit & intellexit semper, ut nullum putet de utraque specie Eucharistica ab omnibus sumenda; præceptum iis latum esse. Inde Hussus, Lutherus, Calvinus, similesque recentes, à Concilio Oecumenico damnati, sic interpretantur, ut credant divinum Christi præceptum, de calice Eucharistico ab omnibus fidelibus sumendo impositum contineri. Utri hic parti tutiùs & ex rationis præscripto potiùs fides adhibenda? Responde Seldi, sed ex animo responde, quid videtur? An non credibilius hosce novos à sensu scripturæ deviasse, quàm totam antiquitatem?

II. Fumus Seldii.

Marcellius per Ecclesiam intelligit solum Rom. Pontificem, ita ut hic sit sensus: an potiùs Pontifici sit fidendum quàm recentioribus. Quoties non hanc cavillationem regerit? Falsum est. Intelligit cœtum omnium antiquorum fidelium, quatenus præcipuè conflatur ex Pontificibus, Conciliis, Patribus, Doctoribus, qui unquam usquam à condito Christianismo doctrinæ & vitæ laude excelluerunt, & quærit an non proclive magis sit, hos genuinum verbi divini sensum assecutos esse quàm Lutherum.

III. Fu-

III. Fumus.

Loca scripturæ, in quibus traduntur dogmata ad salutem ita necessaria ut eorum ignoratio damnet, sunt perspicua, ita ut nullo alio lumine indigeant ex parte cognoscentis.

Quàm perspicua falsitas! An non dogma de SS. Trinitatis mysterio est creditu necessarium? An non ignoratio & negatio eius, articuli, quod sit unus in essentia Deus, & tamen tres personæ realissimè distinctæ, est cum damnatione conjuncta? Ubi verò scriptura hoc ita perspicuè dicit, ut ex parte cognoscentis, nullo alio lumine sit opus? Certè tot Antitrinitariæ hæreses manifestè ostendunt Seldium hallucinari. Nam Arius, Sabellius, Macedonius, aliique oculis capti non fuerunt, & scripturam non minus quàm Seldius accuratè perlegerunt, & tamen essentiæ divinæ unitatem cum trium hypostaseon invicem consubstantialium realissima distinctione consistentem, nunquam viderunt. Ergo signum est, solo scripturæ lumine hæc non posse videri. Item, an non incarnatio Verbi est creditu necessaria? Ex qua tu verò scriptura, nullo adscito ex Ecclesiæ & Patrum autoritate præsidio & lumine, Nestorium & Eutychen, utrumque in oppositas licet partes ab fidei huius veritate abeuntem argues? Hi duo non minus scripturam expenderunt, quàm Cyrillus, Leo, aliique orthodoxi Patres, & tamen veritatem ad salutem necessariam non invenerunt, imò errorem suum ex ea malè percepta hauserunt. Ergo etiam ea scripturæ loca, quæ fidem necessariam tradunt, possunt à doctissimis viris malè percipi. Ergo non sunt de se perspicua, ita ut nullo alio lumine sit opus.

Sixtus Senens. fatetur. Fallis, non fatetur. Dicit ex Chrysostomi mente quædam in scriptura esse dilucida, *Ut prima summaque credendarum rerum principia, & præcipua vivendi præcepta & exempla.* Atqui tu aliud addis, omnia ea dogmata, quorum ignoratio salutis naufragium afferr, esse ita in scriptura aperta & dilucida, id Sixtus non fatetur, sed tu illi imponis. Eadem Acostæ mens est.

IV. Fumus Seldii.

Cætera loca, quæ doctrinam fidei, cuius negatio damnat, continent, si obscuriora videntur, explicanda sunt juxta regulam fidei modo positam, adscitis aliis, &c.

Atqui omnibus illis adscitis sæpe manet obscuritas, & redit quæstio. Nam & hæretici & Orthodoxi, illo modo explicandi utuntur, & quique sensum in suas partes trahunt. Tunc ergo manet quæstio, cui

parti æquum sit credere. Exemplum esto. Lis est nos inter & Lutheranos: an Eucharistia ex præcepto Christi sub utraque specie sit ab omnibus sumenda. Quæ quæstio talis est, ut si eius ignoratio inculpata non afferat animæ salutisque æternæ dispendium, saltem negatio, si sit vincibilis, non dubitetur id facere. Lutherus asserit id præceptum, illis scripturæ verbis latum esse: *Bibite omnes*, Matth. 26. Nos è contra negamus, eum illius loci esse sensum, & ad antiquum Ecclesiæ & SS. Patrum judicium, provocamus. Hic ergo quæritur, cui in explicatione eorum verborum, credendum, Luthero an antiquæ Ecclesiæ? Atque ad hanc quæstionem petit Marcell. ex animi fundo responderi. Quid ergo contra hoc tricaris? Quid consequentias absurdas ex capite tuo affingis, quas Marcellius ne somniavit quidem?

V. Fumus.

An non Baron. plus sapuit quam licebat in Epist. dedic. tom. 8. ubi verba Pauli: in promptu habentis ulcisci omnem inobedientiam: detorsit ad expeditionem Clementis VIII. pro Ferraria recuperatione susceptam.

Vicissim ex te quæro Seldi, an tu hoc quærens sapias ut oportet hominem sapere? Usus est Baronius verbis scripturæ, accommodatè, non detorsit. Idem de Bellarmino ad nasutam interrogationem capsis.

Sectio II.

Altera quæstio.

§. 1. exponitur.

PRimum, quæritur ex Lutheranis & Calvinistis, quo sensu dicant se in religione non falli, & quod fidem suam in Dei verbo fundatam habeant, cum tamen constet Lutherum, Calvinum, aliosque, qui etiam dixere, quod illi dicunt, esse falsos? Item, an non fallantur petitione principii, cum à sono verborum scripturæ ad sensum controversum provocant? Item, an velint stare iudicio totius scripturæ, an verò partis tantùm? Si partem tantùm præoptant, impii sunt & hæretici repellentes verbum Dei. Si totius judicio se se submittant, jam non solam scripturam admittunt. Nam etiam Ecclesiam, uti jubet scriptura, admittere cogentur. Videant ergo & expendant quid respondeant.

§. 2.

Seldius respondet.

Sed nihil ad rem. Omissis enim & intactis hisce quæstionibus ipse

ipse aliam reponit, *an scilicet Lutherani scriptura solummodo literam, Papista verò spiritum retineant.* At quam negativè respondet, & multos, more jam sibi proprio, de cætero fumos, falsidico ore proflat. Aliqui producendi.

I. Fumus Seldii.

Lutherani tenent sensum qui ex verbis scriptura immediatè colligitur, juxta regulas à Papistis approbatas. Si hoc verum esset, verum diceres. Sed Marcellius quid? Abnuit capite, quod cum facit, credo illum non credere verum esse quod affertur.

II. Fumus Seldii.

Rectius dici potest Papistas, rejecto communi Ecclesia sensu, novum comminisci & obtrudere. Proba Prædicans.

Exemplum esto primum. Vereor ut sit fallacitatis & calumniæ tuæ. Sed tamen perge dare exemplum, *Isai. 49 23. verba illa: pulverem pedum tuorum lingent: dicunt impleri per deosculationem pedum Pontificis.* Ita se res habet, dicunt. Sed nego communi sensui Ecclesiæ hunc sensum oontrarium.

Exemplum alterum. Panigarolla illud Christi Luc. 3. duc in altum, &c. explicat de translatione sedis Petri Antiochiâ Romam. Concedo. Sed non dicit, illum esse sensum literalem & genuinum, sed oratorum in morem accommodatitia quadam interpretandi ratione, verba Christi usurpat.

Cornelium habemus fatentem, in Proam. in Proph. Min. Quid fatentem? *Modernos nonnullos, præsertim concionatores, verba prophetarum ad suos miros conceptus trahere.* Fateor fateri. An non verò graviter in illos invehitur? Ergo illud quorundam vitium minimè nobis probatur. Tu verò ineptus es, quod paucorum delictum, quod neque probamus neque præstamus, omnibus nobis improperas Quod si similes sacri textus abusus, quibus Prædicantes vestri non semel pro concione risum meruerunt, expromere esset animus, non modo paria paribus exempla, sed multo etiam cumulatiora reddere possemus. Sed quid juvat invicem objectare, quæ neutri probamus?

III. Fumus Seldii.

Papista corrumpunt textum scriptura. Flagitium si probes. Proba.

1. Per detractionem. Proba. *Rom. 11. 6. omittunt alterum oppositionis membrum: Si vero ex operibus, jam non est gratia, alioqui*

opus jam non est opus. Rectè à nobis omitti ostendit Bellarm. lib. 2. de verbo Dei cap. 14. Non sunt ea verba, verbum Dei. *Codices græci habent.* Sed per errorem habent. *Theophyl. & Oecumen. explicant.* Sed Chrysost. Orig. Ambrof. Augustinus non explicant. Imò & Erasmus planè rejicit.

1. Cor. 15. 45. Leguntur hæc verba: cum hoc corruptibile induerit incorruptibilitatem: Atqui hæc Papistæ omittunt. Ergo. In græco textu corrupto hæc leguntur, sed corruptè. S. Hieronym. cum jussu Damasi, novum testamentum græcæ fidei restituit, sine dubio græca exemplaria maximè integra comparavit. Atqui ille nobiscum omittit illa verba. Ergo non invenit in græcis codicibus sui temporis.

Papistæ versionem vulgatam pro authentica suscipiunt. Concedo. *Ergo detractionum & additionum quæ in ea reperiuntur, sunt rei.* At nos negamus eas additiones & detractiones vitio factas, cum Bellarm. lib. 2. de verbo Dei, ejusque defensore Jac. Gretsero.

2. Corrumpunt Papistæ sensum scripturæ. Aliqui, quos non laudamus. Concedo. Omnes universim & communiter. nego.

Canticum canticorum ex sensu proprio & literali exponitur de Ecclesia. Tantùm. nego. Hoc Augustinus & Estius non dicit. Sunt ex nostris qui variè explicant, qui de Ecclesia, qui de anima fideli, qui de Virgine Matre, at non dicunt se sensum literalem sectari. Est qui anagogicum, est qui moralem, est qui allegoricum, est qui literalem spectet.

3. *Locum Rom. 5. 10. in quo omnes peccaverunt: explicant de peccato originali, & nullam exceptionem admittunt.* Ita. *Alii excipiunt Mariam, Virginem cum Jesuitis & Dominicanis.* Erras, Dominicani non excipiunt. Et Jesuitæ non omnes excipiunt. Omnes dicunt absque peccato originali conceptam, sed non iidem omnes dicunt in Adam non peccasse. Multum interest, si nescis Prædicans, in Adam peccasse & peccatum originale actu contraxisse. Sed quid hoc ad præsens institutum? De scripturæ sensu dubio disputare, & dissentire, non est corrumpere. Prius faciunt Papistæ, non posterius.

Vim illi loco inferunt, qui Jeremiam & Joannem Baptist. asserunt in utero à peccato origin. purgatum. Quam quæso vim? Concedunt illi omnino illos in Adam peccasse, & labem originis in utero materno contraxisse: addunt autem speciali Numinis favore, antequam nascerentur, in eodem utero, à suscepta macula liberatos fuisse. Quænam hic demum vis aut repugnantia? Ostendis Seldite rem non valde intelligere.

SEC-

SECTIO III.

Tertia quæstio.

§. 1. *exponitur.*

QUæritur è Lutheranis, quo sensu dicant : admittere se Patres & recipere Concilia, quatenus cum scriptura consentiunt? An non sit hoc idem, atque si dicerent ; admittere se, si quidem scripturam interpretentur uti ipsi? Certè sæpe de ipso scripturæ textu authentico lis est, sæpe de textus recepti sensu contentio suscipitur. Quid agamus? Imus ad Concilia antiqua, provocamus ad veteres Ecclesiæ Doctores atque Patres, atque eorum autoritate & judicio stamus. Vos quid? Dicitis vos etiam stare, si quidem scripturæ consentiant, id est si rectè eius mentem assequantur. Quid vero istuc si mentem assequantur? An non si eo modo explicent, quo vos vultis & intelligitis?

Item, an non principium petitis cum verbum, per verbum tantùm explicari vultis? Nemo equidem nostrum dubitet, quin unum verbum obscurius per aliud perspicuum explanari possit ac debeat. At non semel contingit, ut utrumque æquè obscurum sit, vel ut quod uni perspicuum videtur, alteri non videatur, quomodo tunc per illud verbum explicari verbum potest absque frivola petitione principii?

§. 2.

Reponit Seldius quæstioni.

Sed quid? Fumos more dudum consueto.

I. Fumus Seldii.

Non est petitio principii, si quis urgeat consensum Conciliorum cum scripturis. Verum est istuc quidem ex parte. Necesse est definitiones Concilii consentire verbo Dei, vel scripto vel tradito. Hoc enim est norma. Sed est petitio principii, si quis judicium Concilii & Patrum, quod illi de scriptura & juxta scripturam se ferre dicunt, examinare velit ex eadem scriptura. Planè sicut is, qui requirit in teste ut eius testimonium sit rei veritati conforme, non petit principium, sed petit testimonium esse tale quale esse debet. At si quis auditum testimonium non velit recipere nisi ipse prius expenderit an conveniat cum rei testatæ veritate an non, & ideo recipit, quia videt illud convenire, jam hercule petit principium. Nam dicit, rem testatam ita se habere, quia testis fide dignus asserit : testem autem fide dignum esse quia res testata ita se habet, suo ipsius judicio. Quid manifestius?

II. Fumus Seldii.

S. Augustinus provocavit à Conciliorum autoritate ad scripturam. Fallis. *Teste Bellarm lib. 4 de verbo Dei c. 11.* Fallis. Non testatur hoc Bellarmin sed tu fingis & imponis testari. Vis locum adscribam? Cape. *Respondeo videri quidem in his locis dici aliquid contra Concilia, sed non contra traditiones. At nec contra Concilia aliquid ab Augustino doceri facile possumus ostendere. Nam certum est Augustinum non voluisse removeri Concilia ab his disputationibus, & solas scripturas recipi, quod non crederet maximam esse legitimorum Conciliorum autoritatem: Sed duplici de causa. Primò ut expeditiùs ageret. Si enim voluisset ex Concilio argumentum sumere, debuisset prius probare Concilia esse recipienda, quod nimis longum erat. Et hac ratio pracipuè locum habet contra Arianos, qui nullo modo admittebant Concil. Nicanum. Altera ratio, quia in illis quastionibus, qua tunc erant, extabant in scriptura clarissima testimonia, qua sine dubio anteponenda sunt omnibus Conciliorum testimoniis. Alioqui idem August. in epist. 118. 162. 165. 166. & in lib. de baptismo sape urget Concilia & traditiones, imo etiam responsa Pontificum & Imperatorum.* Quid nunc Seldi? Adhuc dicis, Bellarmino quidem teste Augustinum à Conciliis appellare scripturam?

III Fumus Seldii.

Graci cum Lutheranis improbant Purgatorium, & sacrificia pro mortuis. Omnes Græci? Fumus est tuus. Petrus Arcudius homo Græcus lib. 3. de concord. c. 14. sub fin. ostendit populum Græcorum hodieque offerre particulas sacerdotibus, pro defunctis offerendas & sacrificandas.

Canam distribuunt sub utraque specie. Vobiscum & more vestro? Falsissimum est. Non putant ad eam omnes fideles obligari. Etiamsi enim in liturgia communiter utramque speciem præbeant, tamen extra illam usum unius speciei & probant & usurpant. Demonstrat Arcud. l. 3. c. 53. & sequent.

Sacerdotibus concedunt Matrimonium. Uti vos? Graviter erras. Nemo Græcus, cum sacerdotio initiatus est, si uxorem vel necdum duxerit, vel ductam morte perdiderit, ducere potest. An vos ita facitis?

SECTIO IV.

Quarta quastio.

§. 1. pro-

§. 1. *Proponitur.*

AN privato alicuius hominis sensu, an verò publico Ecclesiæ judicio definiendum sit, in quo Lutherus cum scriptura consenserit an secus?

§. 2. *Respondet Seldius.*

Fumos, sed fumos jam sæpius ante difflatos. Unum tantùm quamvis etiam supra discussum, quando tam importunè Prædicans iteratè hic obtrudit, videamus.

Dogma, inquit, *Lutheri de communione sub utraque à Leone X. & eius successoribus condemnatum est*. Meritissimò factum. Vivat justitia & pereat mundus.

Contra, idem dogma ab aliis Pontificibus Leone & Gelasio approbatum. Malè sit ori tam falsidico. Nemo Pontifex dogma Lutheri probavit. Dogma Lutheri est, communionem sub utraque specie esse de præcepto Christi omnibus fidelibus imposito. Ubinam hoc Leo? Ubi Gelasius? Ubi alius Pontifex probavit? Communionem equidem sub utraque usurpari jussit Leo & Gelasius? at id mandato Christi fieri oportere, nunquam dixit Papa, sed Seldius longam noctem dormiens somniavit.

SECTIO V.

Quinta quæstio.

§. 1. *proponitur.*

AN non credant Lutherani & Calvinistæ aliquo sæculo ante ann. 1517. fuisse in orbe alicubi veram Christi Ecclesiam, idque testimoniis se comprobare posse autument? Quod si autumant, quæritur iterum, an ullum alicubi cœtum ostendere possint, qui cum ipsis eosdem fidei articulos ad salutem necessarios tenuerit? Imò, an vel unum Doctorem ex illa antiquitate laudare possint qui paria Luthero aut Calvino omnia scripserit dixeritue? Item, an vel unum nominare possint, qui ab omnibus Sanctus habeatur, ut apud nos habetur, Augustinus, Chrysost. Bernardus, qui Lutheranicæ vel Calvinisticæ sectæ fuerit? Si possunt, faciant, producant tabulas, testes, nomina.

§. 2. *Respondit Seldius fumos.*

Ab negatione Ecclesiæ patentis ad negationem Ecclesiæ latentis vitiosissimè arguitur.

At

At satis habet Marcellius, si id fatearis, Ecclesiam nempe vestram priscis sæculis planè delituisse, ut nemini perspecta fuerit. Si enim hoc verum est, ubi ergo providentia Christi circa Ecclesiæ suæ conservationem? Ubi circa infidelium conversionem? Quò paganis eundum erat, ut animarum saluti prospicerent, & fidem discerent, si nulla patescebat Ecclesia?

Dilemma Marcellii est insidiosum. Nimirum. *Conatur enim Marcellius nos à scriptura testimonio, quod ipsa nostra Ecclesia perhibet, ad alia parerga deducere.* Sed hoc effugium est inane, & hominis, à dilemmate oppressi.

Et Pharisaicum. Quid ita? *Eodem dilemmate potuissent Pharisæi premere fideles N. T.* Potuissent tuo more premere, id est ineptè. *Potuissent dicere: Aut creditis fuisse à temporibus Prophetarum veram fidelium Ecclesiam, vel non. Si creditis, promite tabulas, date testes, date vel unum, qui cum Christo senserit. Si non creditis, ubi providentia Dei, &c.*

Nunquid dixi, potuisse ineptè premere. Respondissent fideles: à Prophetis usq; ad Christũ fuisse Ecclesiam, sed non Christi. Hanc istius cum honore defunctæ in locum successisse. Hanc à Christo servatore fundatam, ab Apostolis propagatam, idque talibus signis & portentis, ut nemini qui sana mente polleat, dubium ullum remanere possit. Audeant nunc Lutheristæ, & eodem modo dicant, Lutherum instar Christi & Apostolorum immediatè à Deo missum, Evangelium novum prædicasse, novam Ecclesiam fundasse, miraculis & prodigiis inauditæ suæ doctrinæ fidem adstruxisse.

Est iniquum. Qua ratione. *Quia tyrannis Papistica effecit ut testes & tabulas proferre non possimus.* Ergo primum fateris Seldi, vos neque tabulas, neque testes producere posse. Quid verò deinde hoc ad tyrannidem Papisticam? *Quia Papistæ testes & memoriam suppresserunt.* Falsum est. *Patrum scripta depravarunt.* Falsum est. *Iunius in Præfat. Ind. Expurgat. editi An. 86. specimen vulgavit.* Cuius rei? Depravationis nostræ? Falsum est. Suæ mendacitatis? Ita. Legantur Indices expurgatorii, legantur regulæ. An non in manibus sunt? An non instructio de correct. libr. §. 3. sic loquitur? *In libris catholicorum recentiorum, qui post annum Christianæ salutis 1515. conscripti sunt, si id, quod corrigendum occurrit, paucis demptis aut additis, emendari posse videatur, id correctores faciendum curent, sin minus omnino*

delea-

deleatur. Postea vero §. 4. additur: *In libris autem Catholicorum veterum, nihil mutare fas sit, nisi, ubi aut fraude hareticorum, aut typographi incuriâ manifestus error irrepserit. Si quid autem maioris momenti, & animadversione dignum occurrerit, liceat in novis editionibus, vel ad margines, vel in scholiis adnotare, eâ inprimis adhibitâ diligentiâ, an ex doctrina locisq; collatis, eiusdem autoris sententia difficilior, illustrari, ac mens eius planiùs explicari possit.* Quid hac regula æquius? quid moderatius excogitari possit? Hic ego te nunc provoco Seldi. Aude, si potes, produc ex Indicibus expurgatoriis, expromc ex tot sanctorum Patrum monumentis vel unum locum, quem nostri, contra hasce regulas vitiarint & corruperint. Certus equidem sum, quod neque floccum neque pappum unum in medium adducere possis. Quare quæ de corruptione librorum antiquorum, per nos facta deblaterant Prædicantes merissimæ sunt calumniæ. Index Expurgatorius in sanctorum Patrum libris glossas & notas, & scholia aliena eliminat, ipsa Patrum verba ne apice uno immutat.

Dilemma est Marcellio adversum, Quomodo adversum? *Neque enim ipse poterit ex septem primis sæculis vel unum adducere, qui in omnibus idem senserit ac scripserit, sicut ille in sua Protestatione sentit & scribit.* Non unum, mi bone, sed omnes omnino Patres Catholicos potest producere, qui illis sæculis vitæ & eruditionis laude floruerunt. Omnes illi vel apertè, vel implicitè in dogmatis fidei nobiscum sentiunt. Quia in plerisque articulis eandem sententiam tenuisse scripta eorum testatum faciunt, in pauculis verò, qui primis illis sæculis non ita adhuc fuere explorati, ea tamen mente fuerunt, ut parati essent, Ecclesiam, si quid fors aliter definiret, quam illi tenerent, omnino audire.

Dilemma hoc Apostolis incognitum. Credo equidem. An verò ideo repellendum argumentum, quia Apostolorum tempore in usu esse non poterat? O sapientiam!

SECTIO VI.

Quæstio sexta.

§. 1. *proponitur.*

Quærimus ab adversariis nostris:

AN non fuerint à tempore Apostolorum hæretici? An non id certis testimoniis constare & probari possit? Quibus rationibus

possit? An non iisdem constet Lutheranos & Calvinistas (loquimur de iis qui scientes volentes cum pervicacia animi culpabili tales sunt) esse hæreticos?

§. 2.

Respondet Seldius.

Ad hæc quæsita purum nihil, & loco eorum, aliud, ex iis quæ Marcellius subjunxerat, format: An fides Lutheranorum nitatur scripturæ fundamentis: ad quam respondet affirmativè, & ea quæ Marcellius pro negativa parte attulerat, refutare conatur, sed incassum conatur. Non omnia libet persequi, sed fumos tantùm aliquos Lectori difflandos exhibere.

I. Fumus Seldii.

Christus contra Sadducæos & Pharisæos disputans usus est consequentiâ. Ita certè. *Ergo qui consequentiâ utitur non ideo superstruit dogmata sua fundamentis scripturæ.* Ita, si utitur quidem uti Christus usus est. Si utitur uti vos facere dicit Marcellius, nego consequentiam.

II. Fumus Seldii.

Papistarum fides & religio, quo ad plura dogmata, nititur rationibus naturalibus. Ergo non nititur scripturæ fundamentis. Nego Anteced. *Confugiunt in Theologia ad Philosophiam.* Tanquam ad motivum fidei? Erras. Tanquam ad rationem quæ objectum fidei nostræ credibile reddat, & contra insultus infidelium tueatur: concedo. Motivum ut credamus aliquid fide divina est, verbum Dei tantùm. An verò Seldi tam simplex es, ut nescias nos permultum sanè distinguere inter actum fidei & actum Theologiæ? Quod si verò hoc scisti, qua fronte ab actu Theologiæ arguis ad actum fidei? Certè, Seldi, hoc loco, aut te esse sycophantam, aut stupidum prodis.

III. Fumus Seldii.

Lutherus per additionem vocis, SOLA, ad illud Pauli Rom. 3. 28. non detorsit textum. Non? Nonne addidit vocem textui, quæ in textu non erat? Hoc est detorquere. *Declaravit textum.* Ita quivis nequam & falsarius dicat: Se non corrupisse tabulas, sed declarasse.

Cui textui scripturæ additur exclusiva particula, salvo sensu, ille textus non detorquetur: Atqui verbis Pauli: arbitramur hominem justificari per fidem: *Salvo sensu potest addi particula exclusiva solam. Ergo.*

Distinguo Majorem. Si exclusiva particula non pariat æquivocationem in sensu. Transeat. Si pariat. nego Majorem. Jam ad

Min.

Min. potest addi particula SOLAM, absque æquivocatione nata in sensu. nego. cum æquivocatione periculosa. concedo. Ergo. nego consequentiam.

Declaro. Ly, *Solam*, duplicem & æquivocum potest in illo textu Pauli sensum, in animis nostris parere. Primò ut excludat omnia opera & legis Mosaicæ, & legis gratiæ, spem, charitatem, item opera & quæ fidem antecesserunt, & quæ eam consequuntur. Secundò ut excludat tantùm opera legis antiquæ, aut facta ante fidem. Et quia hi sensus non tantùm disparati sunt, sed etiam ita repugnantes, ut unus verus, alter falsus, unus intento Apostoli conformis, alter sit contrarius, non licet translatori, nisi perfidus audire velit, eam particulam textui inserere.

Similem locum habet Paul. Galat. 2. 16. Scientes ὅτι ἐ δικαιἔται ἄνθρωπ☉ ἐξ ἔργων νόμυ, ἐὰν μὴ διὰ πίςεως. Benè habet. *Hic Papistæ fatentur posse intelligi, sic, ut dicatur homo Sola fide justificari. Estius, Sasbout, Salmeron.* Distinguo, juxta præcedentia; fatentur posse dici Sola fide justificari, si vox SOLA excludat tantùm opera legis antiquæ, & fidem Christi præcedentia, quæ sint meritum de condigno. Cõcedo. Si excludat omnia opera, etiam legis gratiæ, & ex fide profecta, quæ sint meritum de congruo. nego.

Vin' autem ostendam tibi ita hosce autores sentire? Audi Sasboutum. *Si jam quæras, an ex propositione ista: homo justificatur non nisi ex fide: rectè inferatur, ergo sola fide justificatur, dicendum quod sic. Si quæratur ulterius, an ergo admittenda sit hæc propositio: Sola fide justificatur homo: Dicendum si intelligatur Sola fide, id est non adhibitis iis, quæ præparant, hæreticam esse propositionem, & nullo modo admittendam. Si verò accipiatur fides, ut non intelligatur exclusa præparatio per opera pœnitentiæ, veram esse propositionem.* Et infra. *Verus sensus Pauli est, non nisi fide, nullis meritis.* Audi etiam Salmeron. *Si autem petas, an ex illa propositione: homo justificatur non nisi per fidem: rectè inferatur: ergo Sola fide justificatur: admittendum est: Sola enim fides hoc loco, nec excludit bonos motus liberi arbitrii ad justitiam disponentes, ut timorem, pœnitentiam fiduciam, votum Sacramenti, nec secundò excludit opera fidei & spiritus, quæ illa in jam justificato profert, sed tantùm excludit opera legis & merita, & in eo sensu vera est & Catholica propositio. Si verò dispositiones illas dictas, quas secum affert fides, excluderet esset hæretica propositio & meritò in Concil. Trident. damnata.* Paria his sentit Estius, D. Thomas, aliique Catholici Interpretes.

IV. Fumus Seldii.

Translationi Lutheri, quæ addit vocem, Solam, favent Patres, Origenes, Ambros. &c.

Falsum est favere. Neque alio sensu loquuntur, quam nos jam explicuimus. Cum dicunt fide sola vel solùm hominem justificari, excludunt opera ante fidem facta, & observationes cerimoniales legis antiquæ, & merita de condigno, non autem opera ex fide profecta, & pœnitentiam, & charitatem, & merita de congruo. Testimonia ejusmodi Patrum expendit egregiè Bellarm. l. 1. de justific. c. 25.

V. Fumus Seldii.

S. Augustinus disertè nobiscum facit. Imò verò nemo omnium magis disertè errorem vestrum debellat. Quoties enim non urget solam fidem non justificare? quoties non alta voce insuper requirit dilectionem?

Augustinus cum talia scribit, disputat contra Aëtium & Eunomium, qui putabant ita fidem sufficere ad salutem & justitiam, ut nulla in flagitiis perseverantia obstare posset.

Disputat & disserit contra hos. Nemo dubitet. At in hos solos non pugnat, sed etiam in Lutheranos, qui ita solam fidem requirunt ad justificationem, ut ab ejusmodi effectu excludant, omnia alia opera bona, pœnitentiæ, dilectionis, &c. Hoc demonstro. Lib. 15. de Trinit. cap. 18. *Ipsam fidem*, inquit, *non facit utilem, nisi charitas. Sine charitate quippe fides potest quidem esse, sed non & prodesse.* Si sola & sine charitate fides est inutilis & non prodest, ergo sola & sine charitate non justificat. Præfat. in psal. 31. *Ergo si nihil mihi prodest fides sine charitate, charitas autem ubi fuerit, necesse est ut operetur, fides ipsa per dilectionem operatur. Quomodo ergo justificabitur homo per fidem sine operibus? Respondet ipse Apostolus: Propterea hoc dixi tibi ô homo, ne quasi de operibus tuis præsumere videreris, & merito operum tuorum te accepisse fidei gratiam. Noli ergo præsumere de operibus ante fidem.* Ergo non excluduntur opera à consortio justificationis, sed à titulo meriti. Ergo non plus excluduntur, quàm ipsa fides, quia & hæc non meretur de condigno justitiam. Lib. 7. de grat. & lib. arbit. c. 7. & l. de fide & operib. c. 14. l. de unico bapt. c. 10. ep. 105. ad Sixt. Presbyt. & l. 50. homil. ho. 17. & alibi sæpius, fidem quæ sola est, & quæ per dilectionem non operatur vocat fidem dæmoniorum. Ergo fides sola, & quæ per dilectionem non operatur, non justificat ex mente S. Augustin. Tract. 10. in epist. Joan. *Statim fidei conjunxit dilectionem: quia sine dile-*

ctione

ctione fides inanis est. Cum dilectione fides Christiani, sine dilectione fides dæmonis. Fides inanis & fides dæmonis non justificat. Atqui fides sola sine operibus charitatis est inanis & fides dæmonis. Ergo fides sola non justificat. Lib 15. de Trinit. c. 18. & Enchir. c. 8. & l. 50. homil. ho. 17. & alibi inculcat, fidem eam, præ qua juxta Apostolum, neque circumcisio neq; præputium aliquid valet in Christo, esse fidem quæ per dilectionem operatur. *Initium est à fide*, inquit, *sed quali fide? Quam definivit Apostolus: Neq; circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides. Dic quæ fides? Quæ per dilectionem operatur. Hanc dæmones non habent fidem quæ per dilectionem operatur, sed soli servi Dei.*

Ex quo sic argumentor. Juxta August. in Christo Jesu valet fides & justificat, non quævis, sed ea tantùm quæ per dilectionem operatur. Fides quæ per dilectionem operatur non est sine operibus, Ergo fides quæ in Christo Jesu valet & justificat non est sine operibus. Ergo sola sine operibus non justificat. Sanè, qui in Augustino non planè est hospes, ignorare non potest, eum ad justitiam non tantùm requirere fidem, cum absentia peccatorum mortalium contra Aetianos & Eunomian., sed etiam fidem cum spe & dilectione, quod Seldius negat.

VI. Fumus Seldii.

Papistarum sententia magis affinis est errori Eunomianorum quàm nostra. O flagitium! ô calumniam! *Quia Papistæ dicunt fidem posse esse sine charitate & operibus, nos verò dicimus solam justificare, sed non solam existere.*

Quàm multa hic peccas Seldi? Estne affine Eunomianorum errori, fidem à charitate separari posse? Itane? Ergo Augustinus, qui contra eos tam ardenter disputat, & utique norat in quo eorum hæresis consisteret, hæresi tamen affinis esse voluit, cum toties repetat, fidem sine charitate esse posse, prodesse non posse? Ergo Apostolus Jacobus Eunomianis affinis, cum dicit, etiam dæmones credere & contremiscere? Lutherum putidum patrem tuum nos meritò arguimus, quod Aetii & Eunomii non affinis sed filius fuerit, cum dixerit, Christianum tam divitem esse ut perire non possit, nisi tantùm si nolit credere. de captivit. babyl. cap. de bapt. Ergo ex mente Lutheri, neq; furtum, neque adulterium, neque homicidium, neque quicquam horum saluti mortalium officit, dummodo illi credant. An non hoc Eunomianum est? Iterum, cum dicis, fidem Iustificare sine operibus, sed non esse sine operibus, imprimis hoc Luthericum non est. Nam Luth. in cap. 2.

opus jam non est opus. Rectè à nobis omitti ostendit Bellarm. lib. 2. de verbo Dei cap. 14. Non sunt ea verba, verbum Dei. *Codices graci habent.* Sed per errorem habent. *Theophyl. & Oecumen. explicant.* Sed Chrysost. Orig. Ambros. Augustinus non explicant. Imò & Erasmus planè rejicit.

1. Cor. 15. 45. Leguntur hac verba: cum hoc corruptibile induerit incorruptibilitatem: Atqui hac Papista omittunt. Ergo. In græco textu corrupto hæc leguntur, sed corruptè. S. Hieronym. cum jussu Damasi, novum testamentum græcæ fidei restituit, sine dubio græca exemplaria maximè integra comparavit. Atqui ille nobiscum omittit illa verba. Ergo non invenit in græcis codicibus sui temporis.

Papista versionem vulgatam pro authentica suscipiunt. Concedo. *Ergo detractionum & additionum qua in ea reperiuntur, sunt rei.* At nos negamus eas additiones & detractiones vitio factas, cum Bellarm. lib. 2. de verbo Dei, eiusque defensore Jac. Gretsero.

2. Corrumpunt Papista sensum scriptura. Aliqui, quos non laudamus. Concedo. Omnes universim & communiter, nego.

Canticum canticorum ex sensu proprio & literali exponitur de Ecclesia. Tantùm. nego. Hoc Augustinus & Estius non dicit. Sunt ex nostris qui variè explicant, qui de Ecclesia, qui de anima fideli, qui de Virgine Matre, at non dicunt se sensum literalem sectari. Est qui anagogicum, est qui moralem, est qui allegoricum, est qui literalem spectet.

3. Locum Rom. 5. 10. in quo omnes peccaverunt: explicant de peccato originali, & nullam exceptionem admittunt. Ita. *Alii excipiunt Mariam Virginem cum Jesuitis & Dominicanis.* Erras, Dominicani non excipiunt. Et Jesuitæ non omnes excipiunt. Omnes dicunt absque peccato originali conceptam, sed non iidem omnes dicunt in Adam non peccasse. Multum interest, si nescis Prædicans, in Adam peccasse & peccatum originale actu contraxisse. Sed quid hoc ad præsens institutum? De scripturæ sensu dubio disputare, & dissentire, non est corrumpere. Prius faciunt Papistæ, non posterius.

Vim illi loco inferunt, qui Jeremiam & Joannem Baptist. asserunt in utero à peccato origin. purgatum. Quam quæso vim? Concedunt illi omnino illos in Adam peccasse, & labem originis in utero materno contraxisse: addunt autem speciali Numinis favore, antequam nascerentur, in eodem utero, à suscepta macula liberatos fuisse. Quænam hic demum vis aut repugnantia? Ostendis Seldite rem non valde intelligere.

SECTIO III.

Tertia quæstio.

§. 1. *exponitur.*

QUæritur è Lutheranis, quo sensu dicant: admittere se Patres & recipere Concilia, quatenus cum scriptura consentiunt? An non sit hoc idem, atque si dicerent; admittere se, si quidem scripturam interpretentur uti ipsi? Certè sæpe de ipso scripturæ textu authentico lis est, sæpe de textus recepti sensu contentio suscipitur. Quid agamus? Imus ad Concilia antiqua, provocamus ad veteres Ecclesiæ Doctores atque Patres, atque eorum autoritate & judicio stamus. Vos quid? Dicitis vos etiam stare, siquidem scripturæ consentiant, id est si rectè eius mentem assequantur. Quid vero istuc si mentem assequantur? An non si eo modo explicent, quo vos vultis & intelligitis?

Item, an non principium petitis cum verbum, per verbum tantùm explicari vultis? Nemo equidem nostrum dubitet, quin unum verbum obscurius per aliud perspicuum explanari possit ac debeat. At non semel contingit, ut utrumque æquè obscurum sit, vel ut quod uni perspicuum videtur, alteri non videatur, quomodo tunc per illud verbum explicari verbum potest absque frivola petitione principii?

§. 2.

Reponit Seldius quæstioni.

Sed quid? Fumos more dudum consueto.

I. Fumus Seldii.

Non est petitio principii, si quis urgeat consensum Conciliorum cum scripturis. Verum est istuc quidem ex parte. Necesse est definitiones Concilii consentire verbo Dei, vel scripto vel tradito. Hoc enim est norma. Sed est petitio principii, si quis judicium Concilii & Patrum, quod illi de scriptura & juxta scripturam se ferre dicunt, examinare velit ex eadem scriptura. Planè sicut is, qui requirit in teste ut eius testimonium sit rei veritati conforme, non petit principium, sed petit testimonium esse tale quale esse debet. At si quis auditum testimonium non velit recipere nisi ipse prius expenderit an conveniat cum rei testatæ veritate an non, & ideo recipit, quia videt illud convenire, jam hercule petit principium. Nam dicit, rem testatam ita se habere, quia testis fide dignus asserit: testem autem fide dignum esse quia res testata ita se habet, suo ipsius judicio. Quid manifestius?

II. Fumus Seldii.

S. Augustinus provocavit à Conciliorum autoritate ad scripturam. Fallis. *Teste Bellarm lib. 4 de verbo Dei c. 11.* Fallis. Non testatur hoc Bellarmin sed tu fingis & imponis testari. Vis locum adscribam? Cape. *Respondeo videri quidem in his locis dici aliquid contra Concilia, sed non contra traditiones. At nec contra Concilia aliquid ab Augustino doceri facile possumus ostendere. Nam certum est Augustinum non voluisse removeri Concilia ab his disputationibus, & solas scripturas recipi, quod non crederet maximam esse legitimorum Conciliorum autoritatem: Sed duplici de causa. Primò ut expeditiùs ageret. Si enim voluisset ex Concilio argumentum sumere, debuisset prius probare Concilia esse recipienda, quod nimis longum erat. Et hac ratio pracipuè locum habet contra Arianos, qui nullo modo admittebant Concil. Nicanum. Altera ratio, quia in illis quaestionibus, qua tunc erant, extabant in scriptura clarissima testimonia, qua sine dubio anteponenda sunt omnibus Conciliorum testimoniis. Alioqui idem August. in epist. 118. 162. 165. 166. & in lib. de baptismo sape urget Concilia & traditiones, imo etiam responsa Pontificum & Imperatorum.* Quid nunc Seldi? Adhuc dicis, Bellarmino quidem teste Augustinum à Conciliis appellare scripturam?

III Fumus Seldii.

Graci cum Lutheranis improbant Purgatorium, & sacrificia pro mortuis. Omnes Graeci? Fumus est tuus. Petrus Arcudius homo Graecus lib. 3. de concord. c. 14. sub fin. ostendit populum Graecorum hodieque offerre particulas sacerdotibus, pro defunctis offerendas & sacrificandas.

Canam distribuunt sub utraque specie. Vobiscum & more vestro? Falsissimum est. Non putant ad eam omnes fideles obligari. Etiamsi enim in liturgia communiter utramque speciem praebeant, tamen extra illam usum unius speciei & probant & usurpant. Demonstrat Arcud. l. 3. c. 53. & sequent.

Sacerdotibus concedunt Matrimonium. Uti vos? Graviter erras. Nemo Graecus, cum sacerdotio injatus est, si uxorem vel necdum duxerit, vel ductam morte perdiderit, ducere potest. An vos ita facitis?

SECTIO IV.

Quarta quaestio.

§. 1. pro-

§. 1. *Proponitur.*

AN privato alicuius hominis sensu, an verò publico Ecclesiæ judicio definiendum sit, in quo Lutherus cum scriptura consenserit an secus?

§. 2. *Respondet Seldius.*

Fumos, sed fumos jam sæpius ante difflatos. Unum tantùm quamvis etiam supra discussum, quando tam importunè Prædicans iteratè hic obtrudit, videamus.

Dogma, inquit, *Lutheri de communione sub utraque à Leone X. & eius successoribus condemnatum est.* Meritissimò factum. Vivat justitia & pereat mundus.

Contra, idem dogma ab aliis Pontificibus Leone & Gelasio approbatum. Malè sit ori tam falsidico. Nemo Pontifex dogma Lutheri probavit. Dogma Lutheri est, communionem sub utraque specie esse de præcepto Christi omnibus fidelibus imposito. Ubinam hoc Leo? Ubi Gelasius? Ubi alius Pontifex probavit? Communionem equidem sub utraque usurpari jussit Leo & Gelasius? at; id mandato Christi fieri oportere, nunquam dixit Papa, sed Seldius longam noctem dormiens somniavit.

SECTIO V.

Quinta quæstio.

§. 1. *proponitur.*

AN non credant Lutherani & Calvinistæ aliquo sæculo ante ann. 1517. fuisse in orbe alicubi veram Christi Ecclesiam, idque testimoniis se comprobare posse autument? Quod si autumant, quæritur iterum, an ullum alicubi cætum ostendere possint, qui cum ipsis eosdem fidei articulos ad salutem necessarios tenuerit? Imò, an vel unum Doctorem ex illa antiquitate laudare possint qui paria Luthero aut Calvino omnia scripserit dixeritue? Item, an vel unum nominare possint, qui ab omnibus Sanctus habeatur, ut apud nos habetur, Augustinus, Chrysost. Bernardus, qui Lutheranicæ vel Calvinisticæ sectæ fuerit? Si possunt, faciant, producant tabulas, testes, nomina.

§. 2. *Respondit Seldius fumos.*

Ab negatione Ecclesiæ patentis ad negationem Ecclesiæ latentis vitiosissimè arguitur.

At

II. Fumus Seldii.

S. Augustinus provocavit à Conciliorum autoritate ad scripturam. Fallis. *Teste Bellarm. lib. 4 de verbo Dei c. 11.* Fallis. Non testatur hoc Bellarmin sed tu fingis & imponis testari. Vis locum adscribam? Cape. *Respondeo videri quidem in his locis dici aliquid contra Concilia, sed non contra traditiones. At nec contra Concilia aliquid ab Augustino doceri facile possumus ostendere. Nam certum est Augustinum non voluisse removeri Concilia ab his disputationibus, & solas scripturas recipi, quod non crederet maximam esse legitimorum Conciliorum autoritatem: Sed duplici de causa. Primò ut expeditius ageret. Si enim voluisset ex Concilio argumentum sumere, debuisset prius probare Concilia esse recipienda, quod nimis longum erat. Et hac ratio pracipuè locum habet contra Arianos, qui nullo modo admittebant Concil. Nicanum. Altera ratio, quia in illis quaestionibus, qua tunc erant, extabant in scriptura clarissima testimonia, qua sine dubio anteponenda sunt omnibus Conciliorum testimoniis. Alioqui idem August. in epist. 118. 162. 165. 166. & in lib. de baptismo sape urget Concilia & traditiones, imo etiam responsa Pontificum & Imperatorum.* Quid nunc Seldi? Adhuc dicis, Bellarmino quidem teste Augustinum à Conciliis appellare scripturam?

III Fumus Seldii.

Graci cum Lutheranis improbant Purgatorium, & sacrificia pro mortuis. Omnes Græci? Fumus est tuus. Petrus Arcudius homo Græcus lib. 3. de concord. c. 14. sub fin. ostendit populum Græcorum hodieque offerre particulas sacerdotibus, pro defunctis offerendas & sacrificandas.

Canam distribuunt sub utraque specie. Vobiscum & more vestro? Falsissimum est. Non putant ad eam omnes fideles obligari. Etiamsi enim in liturgia communiter utramque speciem præbeant, tamen extra illam usum unius speciei & probant & usurpant. Demonstrat Arcud. l. 3. c. 53. & sequent.

Sacerdotibus concedunt Matrimonium. Uti vos? Graviter erras. Nemo Græcus, cum sacerdotio initiatus est, si uxorem vel necdum duxerit, vel ductam morte perdiderit, ducere potest. An vos ita facitis?

SECTIO IV.

Quarta quaestio.

§. 1. pro-

§. 1. *Proponitur.*

AN privato alicuius hominis sensu, an verò publico Ecclesiæ judicio definiendum sit, in quo Lutherus cum scriptura consenserit an secus?

§. 2. *Respondet Seldius.*

Fumos, sed fumos jam sæpius ante difflatos. Unum tantùm quamvis etiam supra discussum, quando tam importunè Prædicans iteratè hic obtrudit, videamus.

Dogma, inquit, *Lutheri de communione sub utraque à Leone X. & eius successoribus condemnatum est.* Meritissimò factum. Vivat justitia & pereat mundus.

Contra, idem dogma ab aliis Pontificibus Leone & Gelasio approbatum. Malè sit ori tam falsidico. Nemo Pontifex dogma Lutheri probavit. Dogma Lutheri est, communionem sub utraque specie esse de præcepto Christi omnibus fidelibus imposito. Ubinam hoc Leo? Ubi Gelasius? Ubi alius Pontifex probavit? Communionem equidem sub utraque usurpari jussit Leo & Gelasius? at id mandato Christi fieri oportere, nunquam dixit Papa, sed Seldius longam noctem dormiens somniavit.

SECTIO V.

Quinta quæstio.

§. 1. *proponitur.*

AN non credant Lutherani & Calvinistæ aliquo sæculo ante ann. 1517. fuisse in orbe alicubi veram Christi Ecclesiam, idque testimoniis se comprobare posse autument? Quod si autumant, quæritur iterum, an ullum alicubi cætum ostendere possint, qui cum ipsis eosdem fidei articulos ad salutem necessarios tenuerit? Imò, an vel unum Doctorem ex illa antiquitate laudare possint qui paria Luthero aut Calvino omnia scripserit dixeritue? Item, an vel unum nominare possint, qui ab omnibus Sanctus habeatur, ut apud nos habetur, Augustinus, Chrysost. Bernardus, qui Lutheranicæ vel Calvinisticæ sectæ fuerit? Si possunt, faciant, producant tabulas, testes, nomina.

§. 2. *Respondit Seldius fumos.*

Ab negatione Ecclesiæ patentis ad negationem Ecclesiæ latentis vitiosissimè arguitur.

At

II. Fumus Seldii.

S. Augustinus provocavit à Conciliorum autoritate ad scripturam. Fallis. *Teste Bellarm lib. 4 de verbo Dei c. 11.* Fallis. Non testatur hoc Bellarmin sed tu fingis & imponis testari. Vis locum adscribam? Cape. *Respondeo videri quidem in his locis dici aliquid contra Concilia, sed non contra traditiones. At nec contra Concilia aliquid ab Augustino doceri facile possumus ostendere. Nam certum est Augustinum non voluisse removeri Concilia ab his disputationibus, & solas scripturas recipi, quod non crederet maximam esse legitimorum Conciliorum autoritatem: Sed duplici de causa. Primò ut expeditiùs ageret. Si enim voluisset ex Concilio argumentum sumere, debuisset prius probare Concilia esse recipienda, quod nimis longum erat. Et hac ratio præcipuè locum habet contra Arianos, qui nullo modo admittebant Concil. Nicanum. Altera ratio, quia in illis quæstionibus, quæ tunc erant, extabant in scriptura clarissima testimonia, quæ sine dubio anteponenda sunt omnibus Conciliorum testimoniis. Alioqui idem August. in epist. 118. 162. 165. 166. & in lib. de baptismo sæpe urget Concilia & traditiones, imo etiam responsa Pontificum & Imperatorum.* Quid nunc Seldi? Adhuc dicis, Bellarmino quidem teste Augustinum à Conciliis appellare scripturam?

III Fumus Seldii.

Græci cum Lutheranis improbant Purgatorium, & sacrificia pro mortuis. Omnes Græci? Fumus est tuus. Petrus Arcudius homo Græcus lib. 3. de concord. c. 14. sub fin. ostendit populum Græcorum hodieque offerre particulas sacerdotibus, pro defunctis offerendas & sacrificandas.

Cœnam distribuunt sub utraque specie. Vobiscum & more vestro? Falsissimum est. Non putant ad eam omnes fideles obligari. Etiamsi enim in liturgia communiter utramque speciem præbeant, tamen extra illam usum unius speciei & probant & usurpant. Demonstrat Arcud. l. 3. c. 53. & sequent.

Sacerdotibus concedunt Matrimonium. Uti vos? Graviter erras. Nemo Græcus, cum sacerdotio injatus est, si uxorem vel necdum duxerit, vel ductam morte perdiderit, ducere potest. An vos ita facitis?

SECTIO IV.

Quarta quæstio.

§. 1. *Proponitur.*

AN privato alicuius hominis sensu, an verò publico Ecclesiæ judicio definiendum sit, in quo Lutherus cum scriptura consenserit an secus?

§. 2. *Respondet Seldius.*

Fumos, sed fumos jam sæpius ante difflatos. Unum tantùm quamvis etiam supra discussum, quando tam importunè Prædicans iteratè hic obtrudit, videamus.

Dogma, inquit, *Lutheri de communione sub utraque à Leone X. & eius successoribus condemnatum est.* Meritissimò factum. Vivat justitia & pereat mundus.

Contra, idem dogma ab aliis Pontificibus Leone & Gelasio approbatum. Malè sit ori tam falsidico. Nemo Pontifex dogma Lutheri probavit. Dogma Lutheri est, communionem sub utraque specie esse de præcepto Christi omnibus fidelibus imposito. Ubinam hoc Leo? Ubi Gelasius? Ubi alius Pontifex probavit? Communionem equidem sub utraque usurpari jussit Leo & Gelasius? at id mandato Christi fieri oportere, nunquam dixit Papa, sed Seldius longam noctem dormiens somniavit.

SECTIO V.

Quinta quæstio.

§. 1. *proponitur.*

AN non credant Lutherani & Calvinistæ aliquo sæculo ante ann. 1517. fuisse in orbe alicubi veram Christi Ecclesiam, idque testimoniis se comprobare posse autument? Quod si autumant, quæritur iterum, an ullum alicubi cætum ostendere possint, qui cum ipsis eosdem fidei articulos ad salutem necessarios tenuerit? Imò, an vel unum Doctorem ex illa antiquitate laudare possint qui paria Luthero aut Calvino omnia scripserit dixeritue? Item, an vel unum nominare possint, qui ab omnibus Sanctus habeatur, ut apud nos habetur, Augustinus, Chrysost. Bernardus, qui Lutheranicæ vel Calvinisticæ sectæ fuerit? Si possunt, faciant, producant tabulas, testes, nomina.

§. 2. *Respondit Seldius fumos.*

Ab negatione Ecclesiæ patentis ad negationem Ecclesiæ latentis vitiosissimè arguitur.

At

II. Fumus Seldii.

S. Augustinus provocavit à Conciliorum autoritate ad scripturam. Fallis. *Teste Bellarm lib. 4 de verbo Dei c. 11.* Fallis. Non testatur hoc Bellarmin sed tu fingis & imponis testari. Vis locum adscribam? Cape. *Respondeo videri quidem in his locis dici aliquid contra Concilia, sed non contra traditiones. At nec contra Concilia aliquid ab Augustino doceri facile possumus ostendere. Nam certum est Augustinum non voluisse removeri Concilia ab his disputationibus, & solas scripturas recipi, quod non crederet maximam esse legitimorum Conciliorum autoritatem: Sed duplici de causa. Primò ut expeditiùs ageret. Si enim voluisset ex Concilio argumentum sumere, debuisset prius probare Concilia esse recipienda, quod nimis longum erat. Et hac ratio pracipuè locum habet contra Arianos, qui nullo modo admittebant Concil. Nicanum. Altera ratio, quia in illis quaestionibus, qua tunc erant, extabant in scriptura clarissima testimonia, qua sine dubio anteponenda sunt omnibus Conciliorum testimoniis. Alioqui idem August. in epist. 118. 162. 165. 166. & in lib. de baptismo sape urget Concilia & traditiones, imo etiam responsa Pontificum & Imperatorum.* Quid nunc Seldi? Adhuc dicis, Bellarmino quidem teste Augustinum à Conciliis appellare scripturam?

III Fumus Seldii.

Graci cum Lutheranis improbant Purgatorium, & sacrificia pro mortuis. Omnes Græci? Fumus est tuus. Petrus Arcudius homo Græcus lib. 3. de concord. c. 14. sub fin. ostendit popúlum Græcorum hodieque offerre particulas sacerdotibus, pro defunctis offerendas & sacrificandas.

Canam distribuunt sub utraque specie. Vobiscum & more vestro? Falsissimum est. Non putant ad eam omnes fideles obligari. Etiamsi enim in liturgia communiter utramque speciem præbeant, tamen extra illam usum unius speciei & probant & usurpant. Demonstrat Arcud. l. 3. c. 53. & sequent.

Sacerdotibus concedunt Matrimonium. Uti vos? Graviter erras. Nemo Græcus, cum sacerdotio injatus est, si uxorem vel necdum duxerit, vel ductam morte perdiderit, ducere potest. An vos ita facitis?

SECTIO IV.

Quarta quastio.

§. I. pro-

§. 1. *Proponitur.*

AN privato alicuius hominis sensu, an verò publico Ecclesiæ judicio definiendum sit, in quo Lutherus cum scriptura consenserit an secus?

§. 2. *Respondet Seldius.*

Fumos, sed fumos jam sæpius ante difflatos. Unum tantùm quamvis etiam supra discussum, quando tam importunè Prædicans iteratè hic obtrudit, videamus.

Dogma, inquit, *Lutheri de communione sub utraque à Leone X. & eius successoribus condemnatum est*. Meritissimò factum. Vivat justitia & pereat mundus.

Contra, idem dogma ab aliis Pontificibus Leone & Gelasio approbatum. Malè sit ori tam falsidico. Nemo Pontifex dogma Lutheri probavit. Dogma Lutheri est, communionem sub utraque specie esse de præcepto Christi omnibus fidelibus imposito. Ubinam hoc Leo? Ubi Gelasius? Ubi alius Pontifex probavit? Communionem equidem sub utraque usurpari jussit Leo & Gelasius? at, id mandato Christi fieri oportere, nunquam dixit Papa, sed Seldius longam noctem dormiens somniavit.

SECTIO V.

Quinta quæstio.

§. 1. *proponitur.*

AN non credant Lutherani & Calvinistæ aliquo sæculo ante ann. 1517. fuisse in orbe alicubi veram Christi Ecclesiam, idque testimoniis se comprobare posse autument? Quod si autumant, quæritur iterum, an ullum alicubi cætum ostendere possint, qui cum ipsis eosdem fidei articulos ad salutem necessarios tenuerit? Imò, an vel unum Doctorem ex illa antiquitate laudare possint qui paria Luthero aut Calvino omnia scripserit dixeritue? Item, an vel unum nominare possint, qui ab omnibus Sanctus habeatur, ut apud nos habetur, Augustinus, Chrysost. Bernardus, qui Lutheranicæ vel Calvinisticæ sectæ fuerit? Si possunt, faciant, producant tabulas, testes, nomina.

§. 2. *Respondit Seldius fumos.*

Ab negatione Ecclesiæ patentis ad negationem Ecclesiæ latentis vitiosissimè arguitur.

At

opus jam non est opus. Rectè à nobis omitti ostendit Bellarm. lib. 2. de verbo Dei cap. 14. Non sunt ea verba, verbum Dei. *Codices graci habent.* Sed per errorem habent. *Theophyl. & Oecumen. explicant.* Sed Chrysost. Orig. Ambros. Augustinus non explicant. Imò & Erasmus planè rejicit.

1. Cor. 15. 45. Leguntur hac verba: cum hoc corruptibile induerit incorruptibilitatem: Atqui hac Papista omittunt. Ergo. In græco textu corrupto hæc leguntur, sed corruptè. S. Hieronym. cum jussu Damasi, novum testamentum græcæ fidei restituit, sine dubio græca exemplaria maximè integra comparavit. Atqui ille nobiscum omittit illa verba. Ergo non invenit in græcis codicibus sui temporis.

Papista versionem vulgatam pro authentica suscipiunt. Concedo. *Ergo detractionum & additionum qua in ea reperiuntur, sunt rei.* At nos negamus eas additiones & detractiones vitio factas, cum Bellarm, lib. 2. de verbo Dei, eiusque defensore Jac. Gretsero.

2. Corrumpunt Papista sensum scriptura. Aliqui, quos non laudamus. Concedo. Omnes universim & communiter. nego.

Canticum canticorum ex sensu proprio & literali exponitur de Ecclesia. Tantùm. nego. Hoc Augustinus & Estius non dicit. Sunt ex nostris qui variè explicant, qui de Ecclesia, qui de anima fideli, qui de Virgine Matre, at non dicunt se sensum literalem sectari. Est qui anagogicum, est qui moralem, est qui allegoricum, est qui literalem spectet.

3. Locum Rom. 5. 10. in quo omnes peccaverunt: explicant de peccato originali, & nullam exceptionem admittunt. Ita. *Alii excipiunt Mariam, Virginem cum Jesuitis & Dominicanis.* Erras, Dominicani non excipiunt. Et Jesuitæ non omnes excipiunt. Omnes dicunt absque peccato originali conceptam, sed non iidem omnes dicunt in Adam non peccasse. Multum interest, si nescis Prædicans, in Adam peccasse & peccatum originale actu contraxisse. Sed quid hoc ad præsens institutum? De scripturæ sensu dubio disputare, & dissentire, non est corrumpere. Prius faciunt Papistæ, non posterius.

Vim illi loco inferunt, qui Jeremiam & Joannem Baptist. asserunt in utero à peccato origin. purgatum. Quam quæso vim? Concedunt illi omnino illos in Adam peccasse, & labem originis in utero materno contraxisse: addunt autem speciali Numinis favore, antequam nascerentur, in eodem utero, à suscepta macula liberatos fuisse. Quænam hic demum vis aut repugnantia? Ostendis Seldite rem non valde intelligere.

SECTIO III.

Tertia quæstio.

§. 1. *exponitur.*

QUæritur è Lutheranis, quo sensu dicant: admittere se Patres & recipere Concilia, quatenus cum scriptura consentiunt? An non sit hoc idem, atque si dicerent; admittere se, si quidem scripturam interpretentur uti ipsi? Certè sæpe de ipso scripturæ textu authentico lis est, sæpe de textus recepti sensu contentio suscipitur. Quid agamus? Imus ad Concilia antiqua, provocamus ad veteres Ecclesiæ Doctores atque Patres, atque eorum autoritate & judicio stamus. Vos quid? Dicitis vos etiam stare, si quidem scripturæ consentiant, id est si rectè eius mentem assequantur. Quid vero istuc si mentem assequantur? An non si eo modo explicent, quo vos vultis & intelligitis?

Item, an non principium petitis cum verbum, per verbum tantùm explicari vultis? Nemo equidem nostrum dubitet, quin unum verbum obscurius per aliud perspicuum explanari possit ac debeat. At non semel contingit, ut utrumque æquè obscurum sit, vel ut quod uni perspicuum videtur, alteri non videatur, quomodo tunc per illud verbum explicari verbum potest absque frivola petitione principii?

§. 2.

Reponit Seldius quæstioni.

Sed quid? Fumos more dudum consueto.

I. Fumus Seldii.

Non est petitio principii, si quis urgeat consensum Conciliorum cum scripturis. Verum est istuc quidem ex parte. Necesse est definitiones Concilii consentire verbo Dei, vel scripto vel tradito. Hoc enim est norma. Sed est petitio principii, si quis judicium Concilii & Patrum, quod illi de scriptura & juxta scripturam se ferre dicunt, examinare velit ex eadem scriptura. Planè sicut is, qui requirit in teste ut eius testimonium sit rei veritati conforme, non petit principium, sed petit testimonium esse tale quale esse debet. At si quis auditum testimonium non velit recipere nisi ipse prius expenderit an conveniat cum rei testatæ veritate an non, & ideo recipit, quia videt illud convenire, jam hercule petit principium. Nam dicit, rem testatam ita se habere, quia testis fide dignus asserit: testem autem fide dignum esse quia res testata ita se habet, suo ipsius judicio. Quid manifestius?

§. 1. *Proponitur.*

AN privato alicuius hominis sensu, an verò publico Ecclesiæ judicio definiendum sit, in quo Lutherus cum scriptura consenserit an secus?

§. 2. *Respondet Seldius.*

Fumos, sed fumos jam sæpius ante difflatos. Unum tantùm quamvis etiam supra discussum, quando tam importunè Prædicans iteratè hic obtrudit, videamus.

Dogma, inquit, *Lutheri de communione sub utraque à Leone X. & eius successoribus condemnatum est.* Meritissimò factum. Vivat justitia & pereat mundus.

Contra, idem dogma ab aliis Pontificibus Leone & Gelasio approbatum. Malè sit ori tam falsidico. Nemo Pontifex dogma Lutheri probavit. Dogma Lutheri est, communionem sub utraque specie esse de præcepto Christi omnibus fidelibus imposito. Ubinam hoc Leo? Ubi Gelasius? Ubi alius Pontifex probavit? Communionem equidem sub utraque usurpari jussit Leo & Gelasius? at id mandato Christi fieri oportere, nunquam dixit Papa, sed Seldius longam noctem dormiens somniavit.

SECTIO V.

Quinta quæstio.

§. 1. *proponitur.*

AN non credant Lutherani & Calvinistæ aliquo sæculo ante ann. 1517. fuisse in orbe alicubi veram Christi Ecclesiam, idque testimoniis se comprobare posse autument? Quod si autumant, quæritur iterum, an ullum alicubi cœtum ostendere possint, qui cum ipsis eosdem fidei articulos ad salutem necessarios tenuerit? Imò, an vel unum Doctorem ex illa antiquitate laudare possint qui paria Luthero aut Calvino omnia scripserit dixeritue? Item, an vel unum nominare possint, qui ab omnibus Sanctus habeatur, ut apud nos habetur, Augustinus, Chrysost. Bernardus, qui Lutheranicæ vel Calvinisticæ sectæ fuerit? Si possunt, faciant, producant tabulas, testes, nomina.

§. 2. *Respondit Seldius fumos.*

Ab negatione Ecclesiæ patentis ad negationem Ecclesiæ latentis vitiosissimè arguitur.

At

At satis habet Marcellius, si id fatearis, Ecclesiam nempe vestram priscis sæculis planè delituisse, ut nemini perspecta fuerit. Si enim hoc verum est, ubi ergo providentia Christi circa Ecclesiæ suæ conservationem? Ubi circa infidelium conversionem? Quò paganis eundum erat, ut animarum saluti prospicerent, & fidem discerent, si nulla patescebat Ecclesia?

Dilemma Marcellii est insidiosum. Nimirum. *Conatur enim Marcellius nos à scripturæ testimonio, quod ipsa nostra Ecclesia perhibet, ad alia parerga deducere.* Sed hoc effugium est inane, & hominis, à dilemmate oppressi.

Et Pharisaicum. Quid ita? *Eodem dilemmate potuissent Pharisæi premere fideles N. T.* Potuissent tuo more premere, id est ineptè. *Potuissent dicere: Aut creditis fuisse à temporibus Prophetarum veram fidelium Ecclesiam, vel non. Si creditis, promite tabulas, date testes, date vel unum, qui cum Christo senserit. Si non creditis, ubi providentia Dei, &c.*

Nunquid dixi, potuisse ineptè premere. Respondissent fideles: à Prophetis usq; ad Christũ fuisse Ecclesiam, sed non Christi. Hanc istius cum honore defunctæ in locum successisse. Hanc à Christo servatore fundatam, ab Apostolis propagatam, idque talibus signis & portentis, ut nemini qui sana mente polleat, dubium ullum remanere possit. Audeant nunc Lutheristæ, & eodem modo dicant, Lutherum instar Christi & Apostolorum immediatè à Deo missum, Evangelium novum prædicasse, novam Ecclesiam fundasse, miraculis & prodigiis inauditæ suæ doctrinæ fidem adstruxisse.

Est iniquum. Qua ratione. *Quia tyrannis Papistica effecit ut testes & tabulas proferre non possimus.* Ergo primum fateris Seldi, vos neque tabulas, neque testes producere posse. Quid verò deinde hoc ad tyrannidem Papisticam? *Quia Papistæ testes & memoriam suppresserunt.* Falsum est. *Patrum scripta depravarunt.* Falsum est. *Iunius in Præfat. Ind. Expurgat. editi An. 86. specimen vulgavit.* Cuius rei? Depravationis nostræ? Falsum est. Suæ mendacitatis? Ita. Legantur Indices expurgatorii, legantur regulæ. An non in manibus sunt? An non instructio de correct. libr. §. 3. sic loquitur? *In libris catholicorum recentiorum, qui post annum Christianæ salutis 1515. conscripti sunt, si id, quod corrigendum occurrit, paucis demptis aut additis, emendari posse videatur, id correctores faciendum curent, sin minus omnino*

delea-

deleatur. Postea vero §. 4. additur: *In libris autem Catholicorum veterum, nihil mutare fas sit, nisi, ubi aut fraude hæreticorum, aut typographi incuriâ manifestus error irrepserit. Si quid autem maioris momenti, & animadversione dignum occurrerit, liceat in novis editionibus, vel ad margines, vel in scholiis adnotare, eâ inprimis adhibitâ diligentiâ, an ex doctrina locisq; collatis, eiusdem autoris sententia difficilior, illustrari, ac mens eius planiùs explicari possit.* Quid hac regula æquius? quid moderatius excogitari possit? Hic ego te nunc provoco Seldi. Aude, si potes, produc ex Indicibus expurgatoriis, exprome ex tot sanctorum Patrum monumentis vel unum locum, quem nostri, contra hasce regulas vitiarint & corruperint. Certus equidem sum, quod neque floccum neque pappum unum in medium adducere possis. Quare quæ de corruptione librorum antiquorum, per nos facta deblaterant Prædicantes merissimæ sunt calumniæ. Index Expurgatorius in sanctorum Patrûm libris glossas & notas, & scholia aliena eliminat, ipsa Patrum verba ne apice uno immutat.

Dilemma est Marcellio adversum. Quomodo adversum? *Neque enim ipse poterit ex septem primis sæculis vel unum adducere, qui in omnibus idem senserit ac scripserit, sicut ille in sua Protestatione sentit & scribit.* Non unum, mi bone, sed omnes omnino Patres Catholicos potest producere, qui illis sæculis vitæ & eruditionis laude floruerunt. Omnes illi vel apertè, vel implicitè in dogmatis fidei nobiscum sentiunt. Quia in plerisque articulis eandem sententiam tenuisse scripta eorum testatum faciunt, in pauculis verò, qui primis illis sæculis non ita adhuc fuere explorati, ea tamen mente fuerunt, ut parati essent, Ecclesiam, si quid fors aliter definiret, quam illi tenerent, omnino audire.

Dilemma hoc Apostolis incognitum. Credo equidem. An verò ideo repellendum argumentum, quia Apostolorum tempore in usu esse non poterat? O sapientiam!

SECTIO VI.

Quæstio sexta.

§. 1. *proponitur.*

Quærimus ab adversariis nostris:

AN non fuerint à tempore Apostolorum hæretici? An non id certis testimoniis constare & probari possit? Quibus rationibus

possit? An non iisdem constet Lutheranos & Calvinistas (loquimur de iis qui scientes volentes cum pervicacia animi culpabili tales sunt) esse hæreticos?

§. 2.

Respondet Seldius.

Ad hæc quæsita purum nihil, & loco eorum, aliud, ex iis quæ Marcellius subjunxerat, format: An fides Lutheranorum nitatur scripturæ fundamentis: ad quam respondet affirmativè, & ea quæ Marcellius pro negativa parte attulerat, refutare conatur, sed incassum conatur. Non omnia libet persequi, sed fumos tantùm aliquos Lectori difflandos exhibere.

I. Fumus Seldii.

Christus contra Sadducæos & Pharisæos disputans usus est consequentiâ. Ita certè. *Ergo qui consequentiâ utitur non ideo superstruit dogmata sua fundamentis scripturæ.* Ita, si utitur quidem uti Christus usus est. Si utitur uti vos facere dicit Marcellius. nego consequentiam.

II. Fumus Seldii.

Papistarum fides & religio, quo ad plura dogmata, nititur rationibus naturalibus. Ergo non nititur scripturæ fundamentis. Nego Anteced. *Confugiunt in Theologia ad Philosophiam.* Tanquam ad motivum fidei? Erras. Tanquam ad rationem quæ objectum fidei nostræ credibile reddat, & contra insultus infidelium tueatur. concedo. Motivum ut credamus aliquid fide divina est, verbum Dei tantùm. An verò Seldi tam simplex es, ut nescias nos permultum sanè distinguere inter actum fidei & actum Theologiæ? Quod si verò hoc scisti, qua fronte ab actu Theologiæ arguis ad actum fidei? Certè, Seldi, hoc loco, aut te esse sycophantam, aut stupidum prodis.

III. Fumus Seldii.

Lutherus per additionem vocis, SOLA, ad illud Pauli Rom. 3. 28. non detorsit textum. Non? Nonne addidit vocem textui, quæ in textu non erat? Hoc est detorquere. *Declaravit textum.* Ita quivis nequam & falsarius dicat: Se non corrupisse tabulas, sed declarasse.

Cui textui scripturæ additur exclusiva particula, salvo sensu, ille textus non detorquetur. Atqui verbis Pauli: arbitramur hominem justificari per fidem: *Salvo sensu potest addi particula exclusiva solam. Ergo.*

Distinguo Majorem. Si exclusiva particula non pariat æquivocationem in sensu. Transeat. Si pariat. nego Majorem. Jam ad

Min.

Min. potest addi particula SOLAM, absque æquivocatione nata in sensu. nego. cum æquivocatione periculosa. concedo. Ergo. nego consequentiam.

Declaro. Ly, *Solam*, duplicem & æquivocum potest in illo textu Pauli sensum, in animis nostris parere. Primò ut excludat omnia opera & legis Mosaicæ, & legis gratiæ, spem, charitatem, item opera & quæ fidem antecesserunt, & quæ eam consequuntur. Secundò ut excludat tantùm opera legis antiquæ, aut facta ante fidem. Et quia hi sensus non tantùm disparati sunt, sed etiam ita repugnantes, ut unus verus, alter falsus, unus intento Apostoli conformis, alter sit contrarius, non licet translatori, nisi perfidus audire velit, eam particulam textui inserere.

Similem locum habet Paul. Galat. 2. 16. Scientes ὅτι οὐ δικαιοῦται ἄνθρωπος ἐξ ἔργων νόμου, ἐὰν μὴ διὰ πίστεως. Benè habet. *Hic Papistæ fatentur posse intelligi, sic, ut dicatur homo Sola fide justificari. Estius, Sasbout, Salmeron.* Distinguo, juxta præcedentia, fatentur posse dici Sola fide justificari, si vox SOLA excludat tantùm opera legis antiquæ, & fidem Christi præcedentia, quæ sint meritum de condigno. Cõcedo. Si excludat omnia opera, etiam legis gratiæ, & ex fide profecta, quæ sint meritum de congruo. nego.

Vin' autem ostendam tibi ita hosce autores sentire? Audi Sasboutum. *Si jam quæras, an ex propositione ista: homo justificatur non nisi ex fide: rectè inferatur, ergo sola fide justificatur, dicendum quod sic. Si quæratur ulterius, an ergo admittenda sit hæc propositio: Sola fide justificatur homo: Dicendum, si intelligatur Sola fide, id est non adhibitis iis, quæ præparant, hæreticam esse propositionem, & nullo modo admittendam. Si vero accipiatur fides, ut non intelligatur exclusa præparatio per opera pænitentiæ, veram esse propositionem.* Et infra. *Verus sensus Pauli est, non nisi fide, nullis meritis.* Audi etiam Salmeron. *Si autem petas, an ex illa propositione: homo justificatur non nisi per fidem: rectè inferatur: ergo Sola fide justificatur: admittendum est: Sola enim fides hoc loco, nec excludit bonos motus liberi arbitrii ad justitiam disponentes, ut timorem, pænitentiam fiduciam, votum Sacramenti, nec secundò excludit opera fidei & spiritus, quæ illa in jam justificato profert, sed tantùm excludit opera legis & merita, & in eo sensu vera est & Catholica propositio. Si verò dispositiones illas dictas, quas secum affert fides, excluderet esset hæretica propositio & meritò in Concil. Trident. damnata.* Paria his sentit Estius, D. Thomas, aliique Catholici Interpretes.

ctione fides inanis est. Cum dilectione fides Christiani, sine dilectione fides dæmonis. Fides inanis & fides dæmonis non justificat. Atqui fides sola sine operibus charitatis est inanis & fides dæmonis. Ergo fides sola non justificat. Lib 15. de Trinit. c. 18. & Enchir. c. 8. & l. 50. homil. ho. 17. & alibi inculcat, fidem eam, præ qua juxta Apostolum, neque circumcisio neq; præputium aliquid valet in Christo, esse fidem quæ per dilectionem operatur. *Initium est à fide*, inquit, *sed quali fide? Quam definivit Apostolus: Neq; circumcisio aliquid valet, neque præputium, sed fides. Dic quæ fides? Quæ per dilectionem operatur. Hanc dæmones non habent fidem quæ per dilectionem operatur, sed soli servi Dei.*

Ex quo sic argumentor. Juxta August. in Christo Jesu valet fides & justificat, non quævis, sed ea tantùm quæ per dilectionem operatur. Fides quæ per dilectionem operatur non est sine operibus. Ergo fides quæ in Christo Jesu valet & justificat non est sine operibus. Ergo sola sine operibus non justificat. Sanè, qui in Augustino non planè est hospes, ignorare non potest, eum ad justitiam non tantùm requirere fidem, cum absentia peccatorum mortalium contra Aetianos & Eunomian., sed etiam fidem cum spe & dilectione, quod Seldius negat.

VI. Fumus Seldii.

Papistarum sententia magis affinis est errori Eunomianorum quàm nostra. O flagitium! ô calumniam! *Quia Papistæ dicunt fidem posse esse sine charitate & operibus, nos verò dicimus solam justificare, sed non solam existere.*

Quàm multa hic peccas Seldi? Estne affine Eunomianorum errori, fidem à charitate separari posse? Itane? Ergo Augustinus, qui contra eos tam ardenter disputat, & utique norat in quo eorum hæresis consisteret, hæresi tamen affinis esse voluit, cum toties repetat, fidem sine charitate esse posse, prodesse non posse? Ergo Apostolus Jacobus Eunomianis affinis, cum dicit, etiam dæmones credere & contremiscere? Lutherum putidum patrem tuum nos meritò arguimus, quod Aetii & Eunomii non affinis sed filius fuerit, cum dixerit, Christianum tam divitem esse ut perire non possit, nisi tantùm si nolit credere. de captivit. babyl. cap. de bapt. Ergo ex mente Lutheri, neq; furtum, neque adulterium, neque homicidium, neque quicquam horum saluti mortalium officit, dummodo illi credant. An non hoc Eunomianum est? Iterum, cum dicis, fidem Iustificare sine operibus, sed non esse sine operibus, imprimis hoc Luthericum non est. Nam Luth. in cap. 2.

ad Galat. ita loquitur: *Fides sine & ante charitatem justificat.* Ergo cum justificat est sine operibus. Et 1. tom. operum suorum propos. 3. ait: *Fides nisi sit sine ullis etiam minimis operibus, non justificat, imò non est fides.* In comment. in cap. 2. ad Galat. *quando sic docetur, fides in Christum justificat quidem, sed simul servari oportet mandata Dei, quia scriptum est. si vis ad vitam ingredi, serva mandata, ibi statim Christus negatus est & fides abolita, quia mandatis Dei sive legi tribuitur, quod est solius Dei.* Quomodo hæc cohærent Seldi cum tuis? Luther dicit, fides nisi sit sine operibus non justificat, neque est fides, tu verò, discipulus nimirum supra Magistrum, dicis, fidem sine operibus justificare, sed non esse sine illis. Luther clamat, justificat ante charitatem, tu occlamas, cum charitate esse. Luther docet, operibus mandatorum Dei Christum negari, & fidem aboleri, tu reponis, sine operibus non esse. Luther in serm. de novo Testam. sive de Missa, prædicat: *Caveamus à peccatis, sed multò magis à legibus & operibus bonis, tantùm attendamus Dei promissionem & fidem.* Tu verò quomodo declamas, non esse sine operibus bonis? An Doctor tuus cane & angue peius vitandum putat, ut ne cum fide sit, quod tu deliras abesse à fide non posse? *Ego dico tibi,* audin' Seldi Islebium tuum dictatorem? *quia angusta via est, oportet te fieri tenuem, si vis per eam venire.* Qua verò sodes tenuitate? corporeane? audi. *Cæterum qui operibus onerati sunt, sicut conchylibus onustos videmus Jacobi peregrinos, ii non poterunt penetrare.* Factum ergo malè tuæ fidei Seldi, quæ operibus comitatior incedit quàm par est. Ergo tam parum in cœlestia adyta penetrabit, quàm nostra, aut mutes sententiam oportet. *Si veneris cum magnis saccis operum plenis,* pergit, *deponere oportebit, alioqui non poteris penetrare.* Atqui non potes deponere, nisi unà & fidem deponas, quæ sine operibus non quit existere. Quid ergo ages? Vides quàm parùm cum Luthero tuo consentias?

Demum ex te scire velim Seldi, cur bona opera, si necesse est cum ipsa fide justificante existere, non dicas una cum fide, & æquè quàm fidem, justificare? Si fides justificat formaliter, cur non & charitas? Si dispositivè moraliter? Cur dilectio quæ fide maior est non sit dispositio ad justitiam? Si fides justitiam Christi ad instar manus prehendit, quidni etiam amor Dei, & criminum odium, ac pænitudo sit manus talis prehendens? Certè quicquid dixeris, non potest non esse inane & frivolum.

SEC-

SECTIO VII.

Septima quæstio.

§. 1. *proponitur.*

AN, sicut nos ostendimus, quis primus omnium Lutheranismum, quis Calvinismum, quis Pelagianismum, quis Eutychianismum, quis Nestorianismum, quis Arianam hæresin in orbem Christianum induxerit, ita vicissim Lutherani ostendere & nominare possint, quis primò Missam contra Christi & Apostolorum doctrinam dixerit, quis Sanctos invocarit, quis pro defunctis orarit? Si non possint (uti certè non possunt) an non hoc irrefragibile sit argumentum, nostram de eiusmodi rebus doctrinam Apostolorum tempore Ecclesiæ traditam, ad nos usque immutatam pervenisse?

§. 2.

Seldius Reponit.

More suo fumeos fumos.

I. Fumus Seldii.

Etsi non possemus ostendere primos autores eiusmodi dogmatum, non inde sequeretur nova non esse, & ab aliis quàm ab Apostolis introducta

Sic argumentor 1. vel vos potestis ostendere novitatem vel non? Si potestis cur tergiversamini? Si non potestis, ergo temere & stultè asseritis id quod probatum dare non potestis. 2. S. Augustini regula est, ut quod universa facit & tenet Ec[illegible]sia, & cuius origo nulla ostenditur, id censeatur prima Ecclesiæ ætate ab Apostolis institutum esse. Atqui tempore Lutheri, universa Christi Ecclesia Missam celebrabat, Sanctos invocabat, pro defunctis precabatur, harumque rerum prima origo à vobis ostendi non potest post Apostolos. Ergo conficitur ab Apostolis institutas esse. Ergo non est vana Marcellii consequentia. 3. Quomodo fieri potuisset, ut res tam notabilis, uti est Missa, &c ab aliquo ortum caperet, & nulla unquam huius initii memoria ad posteros emanasset? Præsertim cum aliarum rerum, quæ multo minoris sunt momenti, initia atque progressus minimè lateant, sed certissimis antiquitatis venerandæ testimoniis omnino nobis constent.

Vitiosissima est illatio ab ignorantia nostra ad negationem rei. Si vitiosissimè affirmatur rei novitas à vobis, qui probare nequitis, rectissimè negatur à nobis, qui in possessione antiquitatis tot jam sæculorum spatio manemus, & porrò manebimus, donec à vobis contrarium ostendatur.

Simili

Simili modo argumentarer: Ego nominare non possum qui primus Missam Bambergæ celebravit. Ergo nemo fuit primus. Non simili modo argumentareris. Constat enim multa te nescire, quæ aliis constent. Quod aliquis post Apostolorum ætatem Missam Bambergæ primus dixerit, certissimis probari argumentis potest, etsi id tu non possis.

Ex ead. hypothesi Judæus contra Marcellium disputans posset urgere. Quid posset urgere? *Non potest Marcellius nominare ullum, qui post Prophetas ita docuerit sicut Christus & Apostoli docuerunt.* O te bonum anthropum! Diceret Marcellius, Christum post Prophetas primum fuisse, qui Evangelium & doctrinæ huius facem mundo intulerit: atque huis rei causa à patre cœlesti missum, ut caliginem prophetarum cum splendida veritatis aperta luce, & synagogam cum Ecclesia, primus permutaret. Quid jam hic habes Seldi amplius? Idem quod recutitus ille apella, id est planè nihil.

II Fumus Seldii.

Missa noviter inventa est. Quo ad substantiam, & essentialia, nego. quo ad quædam accidentalia & cerimonias, concedo. Essentia Missæ est sacrificium corporis & sanguinis Domini, ex aqua & vino, transsubstantiati. Hoc semper fuit. Nam à Christo in ultima cæna institutum, ab Apostolis traditum, ab Ecclesia continuo usu frequentatum, ad nos pervenit. Cæteri ritus externi, & vestimenta, & preces, diverso tempore, imò & pro eodem tempore in diversis Ecclesiis diversa extiterunt.

Canon Missæ est potissima pars. Ita est. *Atqui ille post tempora Apostolorum inventus est.* Quo ad substantiam & essentiam. Falsum est. Quod ad cerimonias quasdam accidentales. Concedo. *Platina testatur.* Quid? Te falli? Ita. *Nonne dicit Cœlestinum, Introitum Missæ dedisse, Gregorium Kyrie eleison, & gloria in exc. &c.* An vero hæc spectant ad Canonem Missæ? Quantò meliùs tuæ apud nos existimationi consuleres Seldi, si de Missa & canone, & cæteris quæ non intelligis, taceres? Jam verò puerali nostri te rident quod Kyrie eleison, & Epistolam & Evangelium ponas in Canone Missæ, nimirum Genesin in Exodo.

Bellarminus l. 1. de Missa c. 23. fatetur Missæ Canonem in antiqua Ecclesia ante Gregor. M. hoc est ante Annos 1000. non fuisse integrum. Falleris. Probat Bellarminus Missam esse sacrificium ab Annis 1000 idq; ex ver-

ex verbis Kemnitii, fatentis, Missam ut nunc est esse sacrificiũ, & ut nunc est absolutam esse tempore S. Gregorii Papæ, qui ante 1000. circiter annos floruit. An verò hic stupor Prædicante dignus est, quod tam imperitè confundas Bellarminum ex hypothesi adversarii sui, ad hominem, ut dici consuevit, arguentem, cum eodem ex suo disputantem? Si verò discere vis, ubinam Bellarminus ex sua animi sententia de antiquitate Canonis loquatur, inspice lib. 2. de Missa, c. 20. ubi probat Gregorio multò antiquiorem, ab ipsis Apostolis sine dubio traditum fuisse. Et nisi hic rubes, Seldi, frontem non habes.

Jacobus Gaulterius probare conatur antiquitatem Missæ ex lib. Clement. & Liturg. Jacobi. Sed non tantùm, verùm pluribus aliis. *At cordatiores Papistæ scriptis illis fidem non adhibent.* Imò & plures & cordatissimi fidem adhibent, & te cum tuo frivolo diagrammate quod hic pueriliter ad chartæ lacunam implendam extendis, derident.

III. Fumus Seldii.

Cultus Sanctorum teste Durando & aliis tardiùs incœpit. Imponis. *Testis Durandus, lib. 4. Rat. c. 38.* Imponis Durando, non est testis. *Dicit Ecclesiam post tempora Sylvestri Sanctorum Confessorum memoriam venerari cœpisse.* Benè est. Infer. *Ergo dicit cultum Sanctorum cœpisse à Sylvestro.* O caput anthropi! An soli Confessores sunt sancti? An non Apostoli sancti? An non Martyres sancti? An non Virgo Mater sancta? At hos fatetur Durandus in Canone, ante Sylvestri ætatem, memoriâ solenni coli. Ergo fatetur ante Sylvestrum ab Ecclesia sanctos coli. Si autem verum audire sustines, aurem porge. Ante Sylvestri tempora, vix erant noti sancti, qui non essent aut Apostoli, aut Martyrii perpessi gloriâ insignes. Postmodum succedente Ecclesiæ pace, plures vitæ integritate effloruerunt, absque persecutione, & sanguinis pro fide effusione, quid ergo mirum ab eo demum tempore coli à fidelibus cœpisse, qui tum primum inclarescere cœperunt?

Peresius testatur à tempore Cornelii intercessiones Sanctorum scriptis fuisse commendatas, & à tempore Basilii invocationes. Transeat. Non fuerint scriptis commendatæ. Non sequitur hinc, testari, non fuisse à fidelibus & Ecclesia usitatas.

IV. Fumus Seldii.

Cultus imaginum cœpit post tempora Apostolorum. A quo cœpit? Nisi nominas, dico te mentiri. *Beyerlinck disertè scribit cultum illum à Greg. III. An. 731, & Stephano III. An. 770 fuisse decreto confirmatum.*

Simili modo argumentarer : Ego nominare non possum qui primus Missam Bambergæ celebravit. Ergo nemo fuit primus. Non simili modo argumentareris. Constat enim multa te nescire, quæ aliis constent. Quod aliquis post Apostolorum ætatem Missam Bambergæ primus dixerit, certissimis probari argumentis potest, etsi id tu non possis.

Ex ead. hypothesi Judæus contra Marcellium disputans posset urgere. Quid posset urgere? *Non potest Marcellius nominare ullum, qui post Prophetas ita docuerit sicut Christus & Apostoli docuerunt.* O te bonum anthropum! Diceret Marcellius, Christum post Prophetas primum fuisse, qui Evangelium & doctrinæ huius facem mundo intulerit: atque huis rei causa à patre cœlesti missum, ut caliginem prophetarum cum splendida veritatis aperta luce, & synagogam cum Ecclesia, primus permutaret. Quid jam hic habes Seldi amplius? Idem quod recutitus ille apella, id est planè nihil.

II. Fumus Seldii.

Missa noviter inventa est. Quo ad substantiam, & essentialia, nego. quo ad quædam accidentalia & cerimonias. concedo. Essentia Missæ est sacrificium corporis & sanguinis Domini, ex aqua & vino, transsubstantiati. Hoc semper fuit. Nam à Christo in ultima cæna institutum, ab Apostolis traditum, ab Ecclesia continuo usu frequentatum, ad nos pervenit. Cæteri ritus externi, & vestimenta, & preces, diverso tempore, imò & pro eodem tempore in diversis Ecclesiis diversa extiterunt.

Canon Missæ est potissima pars. Ita est. *Atqui ille post tempora Apostolorum inventus est.* Quo ad substantiam & essentiam. Falsum est. Quod ad cerimonias quasdam accidentales. Concedo. *Platina testatur.* Quid? Te falli? Ita. *Nonne dicit Cœlestinum, Introitum Missæ dedisse, Gregorium Kyrie eleison, & gloria in exc. &c.* An vero hæc spectant ad Canonem Missæ? Quantò meliùs tuæ apud nos existimationi consuleres Seldi, si de Missa & canone, & cæteris quæ non intelligis, taceres? Jam verò puerulí nostri te rident quod Kyrie eleison, & Epistolam & Evangelium ponas in Canone Missæ, nimirum Genesin in Exodo.

Bellarminus l. 1. de Missa c. 23. fatetur Missæ Canonem in antiqua Ecclesia ante Gregor. M. hoc est ante Annos 1000. non fuisse integrum. Falleris. Probat Bellarminus Missam esse sacrificium ab Annis 1000 idq; ex ver-

ex verbis Kemnitii, fatentis, Missam ut nunc est esse sacrificiū, & ut nunc est absolutam esse tempore S. Gregorii Papæ, qui ante 1000. circiter annos floruit. An verò hic stupor Prædicante dignus est, quod tam imperitè confundas Bellarminum ex hypothesi adversarii sui, ad hominem, ut dici consuevit, arguentem, cum eodem ex suo disputantem? Si verò discere vis ubinam Bellarminus ex sua animi sententia de antiquitate Canonis loquatur, inspice lib. 2. de Missa, c. 20. ubi probat Gregorio multò antiquiorem, ab ipsis Apostolis sine dubio traditum fuisse. Et nisi hic rubes, Seldi, frontem non habes.

Iacobus Gaulterius probare conatur antiquitatem Missæ ex lib. Clement. & Liturg. Iacobi. Sed non tantùm, verùm pluribus aliis. *At cordatiores Papistæ scriptis illis fidem non adhibent.* Imò & plures & cordatissimi fidem adhibent, & te cum tuo frivolo diagrammate quod hîc pueriliter ad chartæ lacunam implendam extendis, derident.

III. Fumus Seldii.

Cultus Sanctorum teste Durando & aliis tardiùs incæpit. Imponis. *Testis Durandus, lib. 4. Rat. c. 38.* Imponis Durando, non est testis. *Dicit Ecclesiam post tempora Sylvestri Sanctorum Confessorum memoriam venerari cæpisse.* Benè est. Infer. *Ergo dicit cultum Sanctorum cæpisse à Sylvestro.* O caput anthropi! An soli Confessores sunt sancti? An non Apostoli sancti? An non Martyres sancti? An non Virgo Mater sancta? At hos fatetur Durandus in Canone, ante Sylvestri ætatem, memoriâ solenni coli. Ergo fatetur ante Sylvestrum ab Ecclesia sanctos coli. Si autem verum audire sustines, aurem porge. Ante Sylvestri tempora, vix erant noti sancti, qui non essent aut Apostoli, aut Martyrii perpessi gloriâ insignes. Postmodum succedente Ecclesiæ pace, plures vitæ integritate effloruerunt, absque persecutione, & sanguinis pro fide effusione, quid ergo mirum ab eo demum tempore coli à fidelibus cæpisse, qui tum primum inclarescere cæperunt?

Peresius testatur à tempore Cornelii intercessiones Sanctorum scriptis fuisse commendatas, & à tempore Basilii invocationes. Transeat. Non fuerint scriptis commendatæ. Non sequitur hinc, testari, non fuisse à fidelibus & Ecclesia usitatas.

IV. Fumus Seldii.

Cultus imaginum cæpit post tempora Apostolorum. A quo cæpit? Nisi nominas, dico te mentiri. *Beyerlinck disertè scribit cultum illum à Greg. III. An. 731, & Stephano III. An. 770 fuisse decreto confirmatum.*

Transseat. Qui confirmaruntcultum, non sunt autores. At tu primos autores cultus nominare volebas & debebas.

Nomino primos autores. Audacter demum. *Adduco Telchites primos Rhodi incolas, qui primi Deorum imagines excogitarunt.* O nugas! ô buttabattas! Quis ferat istam ineptiam? Quid nobis cum primis Deorum cultoribus, qui Apostolos longissimè antecesserunt? Autores primos nominari poscimus, qui Dei ac Sanctorum imagines honorandas colendasque docuerunt. *Horum exempla secuti sunt Christiani teste Beyerlinck.* Transeat. Etiam templa post gentiles struxere nostri, & eorum imitatione Rempublicam domi forisque constituerunt, fœdera cum vicinis sanciverunt, parentes ac maiores coluerunt. An non rectè atque ordine? Sed istuc hic non quæritur. Tibi nominandi sunt inter fideles primi qui post Apostolicam ætatem Dei Divorumque sacra simulachra colenda esse docuerint. Hoc præstabis nunquam.

V. Fumus Seldii.

Oratio pro defunctis incapit, tardiùs in Ecclesia Romana. Quandonam, ut tardiùs incæperit? *Anno 397. in Concil. Carthag. 3.* Fallis AB Apostolorum ævo originem duxisse ostendit Gaulter. Verit. 10. *Bellarminus l. 1. de purgat. c. 9. non potuit deprehendere vestigium antiquius Concil. Carthaginensi.* Certè erras. Nam præcedentibus capitibus ex utroque Testamento argumenta non levia produxit. An verò tibi sacræ paginæ, & vestigia ex iisdem detecta non sunt Concilio Carthagin. vetustiora? Præterea c. 10. laudat S. Clementem, Dionys. Ariopagit. Tertull. Origen. Cyprianum. An non hi Concilio illo priores? Quid ergo loqueris?

Cottonus, Ambrosio & Augustino antiquiores testes producere non potuit. Unde probas non potuisse? *Quia non fecit?* Egregiè scilicet. Imò verò fecit & produxit. Nimirum produxit Judam Machabæum, veteres Judæos, Liturgiam S. Petri, S. Jacobi, S. Marci, Tertuliani Cyprianum. Ergo tu cavillaris.

VI. Fumus Seldii.

Qui primus confessionem sacramentalem ordinavit, fuit Innocentius III. circa Annum 1200.

Decumanum mendacium ostendit Bellarm. l. 3. de Pænit. cap 13. & præced. Innocentius ille confessionis tempus determinavit, non ipsum confessionis Sacramentum instituit, aut in Ecclesiam induxit.

VII. Fu-

VII. Fumus Seldii.

Satisfactiones (quas Papistæ ad Sacramentum Pænitentiæ ceu partem essentialem requirunt.) ostendit Nicolaus Hunn. origin. ducere à temporibus Vital. 1. Gemina falsitas. Hunnius non ostendit. Et nos satisfactionem non ceu partem essentialem, sed integralem sacramenti Pænitentiæ requirimus. Ita puris putisque falsitatibus pugnat in nos Prædicans.

SECTIO VIII.

Octava quæstio.

§. 1. Proponitur.

STatuamus Lutheranum aliquem ex iniquis contractibus ditatum, in ultimo vitæ exeuntis articulo, nulla de restitutione suscepta cogitatione, omnia hæredibus suis transcribere, credatque Christum pro se omnibusque peccatis suis abunde satisfecisse & ideo se salvum omnino futurum confidat. Hoc posito quærimus: an hæc fides, talem hominem ita constitutum justificet, nec ne? Si prius, erit ille homo justus & injustus. Justus, quia fide sola justificatus: Injustus quia sciens volens, aliena bona contra legem Dei illicitè retinet. Si posterius, erga sola fides non justificat, sed requiritur insuper restitutio, contra dogma fundamentale Lutheranorum.

Neque faciunt satis quæstioni, aut se expediunt, ii qui dicunt, restitutionem bonorum injustè raptorum, & alia opera bona, requiri ad justitiam, non tanquam causas aut dispositiones, sed tanquam effectus & signa. Nam ex eorundem mente, omnia opera nostra, quantavis laude præstare videantur, sunt peccata mortalia, pænâ & suplicio supremo digna. Quomodo ergo possunt requiri ut fidei salvantis effectus & judicia? An ut justi & boni simus, necesse est peccata inferno digna agere & flagitiosos esse?

§. 2.

Seldius respondet.

Sed more jam dudum sibi consueto, fumos.

I. Fumus Seldii.

Fides justificans non potest esse sine charitate, in hoc fallitur Marcellius.

Audio. Sed audi tu etiam. 1. Si non potest esse justificans sine

charitate, ergo per charitatem conjunctam fit fides justificans. Ergo sola non justificat. 2. In quo consistit demum τὸ esse justificans fidei? An in eo quod per charitatem fiat ἐνεργητικὴ & efficax? *Non plane.* At Apostolus dicit, quod in Christo Iesu valeat non circumcisio, neque præputium, sed fides quæ per charitatem operatur. Ergo non tantùm charitas quæ operatur, sed etiam quatenus operatur, justificat. *Justificat quatenus in Christum fertur, & in eius merito recumbit.* At cur non potest in Christum ferri, & in eius merito recumbere, etiam tunc cum à charitate est realiter separata? Quid est illud recumbere? Unde 3. argumentor. Lutheranus ille, de quo paulo ante, rei alienæ iniquus detentor, si morti vicinus animæ suæ salutem in tuto collocare velit, quid aget ut justitiam, quâ caret, consequatur? Estne necessarium ad justitiam ut præcedat voluntas seria restituendi vel non? Si non, ergo manens injustus fiet justus, quod repugnat. Si ita, ergo bonum aliquod opus necessariò prærequiritur ad justitiam. Ergo non sola fides. Ergo fides justificans, non est sola fides, sed fides charitate & justitia & cæteris virtutibus comitata.

II. Fumus Seldii.

Lutherus cum dicit omnia bona opera nostra esse mortalia semet bene explicat, dum limitationem addit, si juxta rigorem divini judicii æstimentur. Benè habet. *Ergo non dicuntur talia simpliciter & absolutè, ac si talia essent formaliter & ex natura sua.* Imò verò rectè dicentur talia. Nam judicium divinum vel æstimat illa opera uti ipse à parte rei sunt, vel non? Si non, ergo falsus & injustus est Deus, quod dictu nefas. Si æstimat uti revera sunt; & æstimat esse peccata mortalia, ergo revera formaliter & ex natura sua sunt peccata mortalia. Quomodo ergo possunt ea vel à Deo nobis imperari, vel fidei justificantis esse fructus?

III. Fumus Seldii.

Consistit in stolida contradictione. *Negamus,* inquit, *bona opera ad salutem esse necessaria.* Paulo autem ante dixerat: *affirmant nostrates bona opera esse necessaria, quo ad necessitatem præsentia, scilicet, neminem fore salvandum, nisi fides sese exerat, saltem quo ad opera interna.* Ex hoc posteriori sic arguo in prius. Sine quo nemo salvabitur & nemo potest salvari; & quod est conditio salvandorum, hoc est necessarium ad salutem, & ineptè negatur esse necessarium ad salutem. Atqui, per te, *S*eldi, opera bona sunt conditio salvandorum, & nemo sine iis salvabitur, & nemo potest saltem adultus salvari. Ergo bona opera ineptè negantur esse ad salutem necessaria.

IV. Fu-

IV. Fumus Seldii.

Paulus Rom. 3. 28. c. 4. v. 2. & 3. c. 11. v. 6. Ad Gal 2. 16. Ephes. 2. negat bona opera justificare. Falsissimum est. Negat opera legis justificare, non autem opera gratiæ & ex gratia profecta, quæ vere sunt opera bona.

Paulus non limitat verba sua ad opera legis. Nego quod non limitet. An non dicit expresse, *sine operibus legis?* Unde vicissim tibi repono: Paulus non extendit verba sua ad opera bona ex fide & gratia profecta, cur tu ergo extendis? Cæterum Apostolum coercere & restringere verba sua tantùm ad opera legis antiquæ, & ea quæ fidem præcesserunt, ostendunt nostri interpretes Salmeron, Cornel. Justinian. Conzen.

SECTIO IX.

Nona quæstio.

§. 1. *proponitur.*

QUæritur an ille Lutheranus vel Calvinista qui de sua religione fluctuat dubius, quia intelligit eam orthodoxæ vetustati, & Ecclesiæ Catholicæ, tum scripturarum testimoniis adversam: nihilò tamen minus, ut ne suetam & in hæresi, cui innutritus est, permissam vitæ licentiam cogatur deserere, Lutheranismum aut Calvinismum Catholicæ fidei professioni ante habet: an talis inquam in statu salutis amittendæ versetur nec ne?

Atqui complures eorum, dicto modo, jam dudum fluctuant. Et Calvinus quidem ita sentire debere palam docet. lib. 3. Instit. c. 2. §. 17. & alibi. Lutheristas verò non paucos, pari animi incertidune teneri usus frequens docuit. Quando interea Catholici, ad fidei immobilem petram, veluti polypi ad saxum, tam firma mente adhærent, ut nulla ratione dimoveri se patiantur: certi Ecclesiam, cui verbum divinum, & res fide tenendas proponenti auscultant, certâ S. spiritus providentiâ in eo negotio infallibiliter gubernari, itaque defendi, ut neque ulla tyrranorum vis, neque paganorum argutiæ, neque hæresum fraudes, neque adeo atroces inferorum portæ, etsi totis viribus connitantur, unquam contra eam eiusque fidem sint prævalituræ.

§. 2.

Contra fumat Seldius.

I Fumus Seldii.

Papistæ per fidem justificantem intelligunt nudum assensum, destitutum fiduciâ. Falsum. Fides quæ defacto justitiam conciliat, conjuncta est non modo cum fiducia, sed & cum pænitudine & contritione, aliisque virtutum laudatarum actibus. *& destitutum notitiâ.* Et hoc falsum. Fides, nisi desipis, est ex essentia, notitia objecti crediti. Esto non exprimat clarè & distinctè omnia & singula, sed quædam confusè & implicitè tantùm.

II. Fumus Seldii.

Non est certa fides Papistica. Tam certa, quàm certum est verbum Dei, cui innititur. *Innititur principiis incertis, autoritati nimirum Papæ, &c.* Fumi superius exsibilati hi sunt. Apage ergo cum tuis toties recantatis næniis.

Quàm certum est hodiernum Pontificem Romanum Innocent. X. esse caput Ecclesiæ? Tam certum, quàm certum est verbum Christi, ad Petrum dicentis: *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum, &c.* & similia, quibus servator noster S. Petro, eiusq; legitimis in munere Apostolico successoribus concessit supremam & generalem in omnes Christi fideles potestatem. Qui enim Deus revelavit omnem legitimum Petri in cathedra Apostolicâ successorem, esse caput Ecclesiæ, etiam revelavit, Innocentium X. esse caput Ecclesiæ.

At unde certum est Innocentium esse legitimè electum, & nullo impedimento occulto teneri?

Legitimè electum esse, certum est sufficienter, publica & constante fama, totius orbis testimonio, bullis & decretis ab ipso solenniter publicatis. Nullo verò occulto impedimento teneri, constat, ex pacifico & actuali Ecclesiæ regimine ab omnibus Catholicis agnito, quam equidem rem, utpote in damnum animarum nimis grande vergentem, nunquam spiritus S. permitteret, si secreta quadam invaliditas obstaret, vero & legitimo talis viri Pontificatui.

Debet fide Catholica esse notissimum in individuo, eum, qui Pontifex est, esse ordinis sacri capacem, baptizatum, &c. ut fide Catholica sit tenendum, eum in individuo esse caput Ecclesiæ. Atqui hæc non sunt de fide, reperiri in Innocent. X. Ergo. Nego Majorem. Sufficit illa naturali certa cognitione perspecta esse. Quid? An non est fide Deum velle Sel-

Seldium salvum fieri? & ex eo quidem, quia per revelationem & fidem constat, velle Deum omnes homines salvos fieri? 2. Tim. 2. Atqui Seldium hominem esse, sanè non constat fide divina. Ergo. An non tibi de fide est Seldi Christum in cruce mortuum esse? Ita. Cur, nisi quia scriptura hoc dicit? Ita. At unde tibi constat scripturam hoc dicere, nisi quia vel legis, vel legi audis? Ergo per notitiam naturalem constat, scripturam hoc dicere. Ergo non omnis notitia naturalis adjuvans fidem, officit eius certitudini & perfectioni. Ergo licet cognitione tantùm naturali constet nobis Innocentium X. legitimè electum in Pontificem, fide tamen divina credere possumus, eum esse Ecclesiæ Catholicæ caput.

SECTIO X.

Decima professoris quæstio.

§. 1. *Proponitur.*

CUm Lutheranorum & Calvinianorum plurimi fateantur, nos in religione nostra Papistica, etsi scientes volentesque in ea perseveremus, salutem animi consequi posse, nos verò uno omnes ore profiteamur, neminem à cætu nostro alienum, ad beatitudinem pertingere, sed uti omne hominum genus extra Arca Noe constitutum communi Cataclysmi eluvione obrutum interiit, ita mortales universos, qui extra Ecclesiæ nostræ Catholicæ septa, à morte deprehensi fuerint, æterna morte absque dubio perituros: an non longè sit securius ad nostram fidem adspirare, quam utrique probant, quàm in quavis alia hærere, quam non nisi uni tutam dicunt? insanus sit viator qui viâ eâ desertâ, quam ipse cū aliis certam habet, aliam ingreditur, quam ipse quidem sed solus laudet, sed cæteri omnes damnent, & latronibus vitæq; periculis infessam affirment. Phreneticus habeatur & non æger, qui poculum medicatum præoptet illud, quod medicorum unus salutare proclamet, alter mero toxico atque ipsa amara morte plenum juret, cum liceat aliud, ab utroque medico, communi judicio commendatum, eligere. Salutem negligit, qui tutiorem salutis viam cum præsto est, negligit.

§. 2.

Contra tam claram lucem fumat Seldius.

Papistas, qui ex animi sententia, scientes volentesque Papatui per omnia inhærent, salvari neutiquam posse. Benè habet, audio sen-

tentiam mortis, contra nos, animasque nostras, à te prolatam. At 1. hæc tua, non omnium sanè Lutheristarum est. Unde ad te non spectat Marcellii quæstio, sed ad eos, qui reverà sentiunt, neminem Papistam, eo nomine quod Papista sit, in discrimine salutis versari. An non ergo illi tutiùs agant ad nos accedendo?

2. Quid ages proavis tuis Confessionis Augustanæ fabricatoribus, qui in Epilogo confess. dicunt se ab Ecclesiæ Catholicæ dogmatis non discrepare? Si illi non discrepant, à fide & religione nostra, & se salvos futuros putant, ergo & nos salvos futuros putant.

At insidiosè agit Marcellius. Non credo. *Truncat verba Epilogi, qui sic habet: Hæc summa est doctrina apud nos, in qua cerni potest, nihil esse, quod discrepet à scripturis, vel ab Ecclesia Catholica, vel ab Ecclesia Romana, quatenus ex scriptoribus nota est.* Ast ubi hic insidiæ? *Omittit membrum illud de scripturis.* Sed non per insidias. Omittit hoc, quia ad præsens negotium, impertinens erat, & ponit alterum membrum, quod ad rem ipsius faciebat. Si enim Confessionistæ fatentur, se non discrepare ab Ecclesia Romana in dogmatis, necesse est ut fateantur eam in iis dogmatis rectè sentire, & salvari posse. Imò fateantur oportet, eandem Ecclesiam Romanam, nihil scripturæ contrarium docere, cum consentiat Confessionistis, qui jactant nihil se scripturæ contrarium docere. Quomodo enim Confessionistæ, cum scriptura & cum Romana Ecclesia consentiunt, si hæc cum scriptura non consentit? Aut quomodo Confessionistæ à scriptura non discrepant si cum Ecclesia Romana, quæ à scriptura discrepat, consentiunt? Ergo si Confessionistæ nihil habent in doctrina quod à scriptura & ab Ecclesia Romana discrepet, etiam Ecclesia Romana nihil habet quod à scripturis discrepet. *Iterum omittit etiam alterum quod additur: quatenus ex scriptoribus nota est.* At neque hoc per insidias, sed jure optimo facit Marcellius. Tum quia hæc verba non reperiuntur in Confessione August. autographa, quæ Invictissimo Cæsari Carolo V. in manus tradita est. Auden' negare Seldi? Inspice libr. Concord impressum à tuis Dresdæ Anno 1581. Tum quia non officiunt instituto, quod urget Marcellius. Nam Ecclesia Romana, in qua nos degimus, ex scriptoribus Ecclesiasticis est notissima, neq; nos aliam sequimur, quam eam, quam veterum Patrum monumenta nobis commendant, atque ita commendant. ut miremur posse in orbe Christiano homines reperiri, qui eruditi & in antiquorum scriptis versati audire velint, & Romanæ Ecclesiæ fidem stabilem atq; autoritatem inconcussam non habeant perspectam.

3. Quid

3. Quid demum ages Seldi, Luthero tuo in Comment. Joan. 16. tomo 4. Germ. Wittenberg. & tom. 7 Jenensi, Ubi palàm docet in Papatu haberi verbum Dei, Apostolatum, baptismum, fidem, Ecclesiam, Christum, & spiritum sanctũ? An non hoc etiam Marcellius attulit? Cur ergo dissimulas? Certè duo hic pro nobis & nostra Ecclesia ac fide habemus testimonia, nempe & nostrum, & Patriarchæ vestri Lutheri. Vos verò pro vestra, non nostrum, sed vestrum tantùm habetis suffragium. Vos dicitis vos habere verbum Dei, & veram fidem, verum Christum, & spiritum Sanctum, nos autem constanter istuc abnuimus. Ergo pars nostra tutior est, quæ communi utriusq; partis judicio, spiritu Sancto & Christo gaudet.

Admirari hic etiam licet audaciam Seldii in Monachos, quos inverecundo calamo perstringit, cum scribit: *Papalis Ecclesiæ caput esse Papam, brachia Cardinales, labia & dentes Jesuitas, ventrem & intestina Monachos.* Quid si enim dicax aliquis Monachus (non enim minus dentatos inter illos licet reperire quàm inter Jesuitas) reponat tibi? Si Monachi sunt venter & intestina Ecclesiæ, quid ergo Lutherus & vos Prædicantes aliud estis quàm stercus & excrementum? Etenim stercus ex intestinis secernitur. At vos cum Luthero vestro è Monachis pars magna egressi estis.

CAPUT IV.

Aliquot aliæ quæstiones à Seldio subjunctæ exponduntur.

QUÆSTIO I.

An hodierna Romana Ecclesia sit vera Christi Ecclesia?

§. 1.

Asserit Marcellius.

HOc argumento. Illa est Ecclesia Christi in qua professio eiusdem fidei, à Christo & Apostolis inchoata, per continuam doctrinæ & Pastorum successionem, ad nos usque constanter pervenit. Atqui talis & sola est Papistica sive Romano-Catholica hodierna. Ergo. Probatur Minor, ex tab. Chronograph. Jacobi Gaulterii, in qua per singula sæcula, duodecim veritates, quæ hodiæ ab heterodoxis in dubium vocantur, & ab Ecclesia Romana firmiter tenentur, semper in Ecclesia viguisse demonstrantur. Certè S. Gregorius M. qui vivebat Anno 596. eadem omnino dogmata observabat, quæ modò Ecclesia Ro-

mana contra Lutheranos & Calvinistas propugnat. Ne adversarii quidem negare ausint. Ergo à toto tempore illo, id est annis plus millenis Ecclesia Romano-Catholica, & Pontificia, eandem fidem constanter & publicè est professa. Et non potest ostendi, ulla congregatio alia, in orbe terrarum, quæ contrarium unanimi consensu & in lucce palam docuerit. Ergo signum est Romano-Catholicam, esse Ecclesiam Christi, à Christo & Apostolis profectam.

§. 2.

Contra fumat Seldius.

I. Fumus Seldii.

Hic modus probandi est scripturæ fundamento destitutus. Nego. Nonne Deut. 32. dicitur: *Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas: interroga patrem tuum, & annunciabit tibi, maiores tuos & dicent tibi.* Nonne Jerem 6. 16. jubet Dominus? *State super vias & videte, & interrogate de semitis antiquis quæ sit via bona, & ambulate in ea & invenietis requiem animabus vestris.* Adhuc petis scripturæ fundamentum?

Moyses & David & S. Paulus probarunt Ecclesiæ veritatem non duratione professionis, sed verbo Dei revelato. Ergo probatio ab antiquitate non est fundata in scriptura.

1. Nego Antecedens. *Moyses Deut. 4. 8 dicit: quæ est gens ita magna, quæ habet statuta & judicia justa, sicut est universa lex ista &c.* Concedo. *David Psal. 147. canit: non fecit taliter omni nationi, &c.* Concedo. *Paulus horum vestigia secutus, Galat. 1. 8. scribit: Sed licet nos aut Angelus de cœlo evangelizet vobis, præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Benè habet. Concedo. Infer. *Ergo probant à verbo Dei revelato Ecclesiæ veritatem.* Nego consequentiam. Quæso te Seldi, quomodo demum id sequitur? 2. Dato, non concesso Anteced. nego consequentiam prioris Enthymematis. Quomodo enim sequitur: Moyses Deuter. 4. & David Psal 147. & Paul. Gal. 1. non probant veritatem Ecclesiæ ab antiquitate. Ergo probatio Ecclesiæ ab antiquitate non est fundata in scriptura? Miror te stuporem illum orbi obtrudere audere.

Modus hic probandi est ἄλογος. Quare? Quia testimonia illius fidei non sunt continuata, & sunt corrupta & adulterata. Hæc dicere & non probare multò magis est ἄλογον.

Est

Est etiam ταυτόλογ☉. Quâ causâ? *Quia supra refutata otiosè repetit.* Tu ergo Seldi supra omnem modum es ταυτόλογ☉ qui toties supra repulsa otiosè repetis.

II Fumus Seldii.

Non rectè adducitur à Marcellio autoritas Gregorii Magni. Scilicet quia Papa & Papista, & minimè Lutheranus fuit. Nunquid Seldi? *Non.* Cur ergo? *Quia eius autoritati detrahit Melchior Canus lib. 11. Locor. c. 6.* In dogmatis? Erras. In historiis aliena fide recitatis? Concedo. Jam verò Marcellius de dogmatis Gregorii, non de gestorum alienorum narratione agit. Quid ergo Melchioris Cani exceptio ad rem? Nihil prorsus. Ut autem videas quanta Gregorii apud Canum sit fides & autoritas, audi. *Pauca enim,* inquit, *in eis* (Beda & Gregorio) *possis arguere, quamvis historiam Ecclesiasticam revocare ad severiora judicia contendas. At si necesse sit in alteram peccare partem, omnia eorum probari legentibus, quàm multa reprobari malo.* Audin' jam Seldi, quanti Cano sit Gregorius? Pauca in historiæ conscriptæ severa fide argui permittit, eius verò de religione & moribus doctrinam nullo modo attingit.

At primatum Pontificium, & titulum œcumenici & universalis, aversatus est. epist. ad Maurit. Augustum. At hodierni Papa eum titulum ambiunt & arripiunt. Fumus hic dudum à Bellarm. lib. 2. de Pontifi. c. ult. & alibi dudum disjectus fuit. Neque quicquam, Chamier Calvinista, quem tu tam sæpe laudas, effecit aliud, quàm ut suam in cavillando Bellarmino imperitiam nobis ostenderet. Planè uti tu modò facis.

III. Fumus Seldii.

Jacobus Gaulterius meritò rejicitur cùm sua Chronograph. Quonam merito? *Quia adducit opera supposititia & suspecta.* Tu dicis, sed more dicis tantùm.

QUÆSTIO II.

AN veritas Ecclesiæ Romanæ hodiernæ possit probari ex consensu doctrinæ & fidei à Conciliis & Patribus traditæ?

§. 1.

Affirmat Professor fidei Catholicæ.

Nam inprimis primis quinque sæculis in Ecclesia Romana vera Christi floruit fides, quatuor Conciliis generalibus explicata & defen-

 sa,

ſa, Nicæno, Conſtantinopol. Epheſino, Chalcedonenſi, contra Arium, Macedonium, Neſtorium, Eutychetem, hæreticos. Atque iisdem ſæculis inſignes tum in Græcia tum in Latio efflorueꝛe Doctores, Athanaſius, Baſil. Nazianz. Hilarius, Ambroſius, Hieron. Auguſt. Proſper, Fulgentius, Chryſoſtomus, Cyrillus, Alexandr. & Hieroſolymit. Chryſologus, qui omnes eandem cum Romana Eccleſia fidem tenuere, uti ex eorum ſcriptis certum & perſpicuum redditur. Cæterum ſequentibus deinceps ſæculis eadem religionis dogmata conſtanter apud nos conſervata, liquidè apparet ex libello B. Fulgentii de fide ad Petrum, qui habetur tom. 3. operum S. Auguſtini, in quo vir ille ſanctus complexus eſt 40. fidei capita, quorum major pars hodie à Lutheranis & Calviniſtis oppugnatur. Demonſtratur etiam aliorum Patrum monumentis, quæ in ordinem ſæculorum & certorum dogmatum lucidè digeſta producit ſæpe laudatus Gaulterius.

§. 3.

Contra fumat Seldius.

I. Fumus Seldii.

Concilia non ſunt norma & regula fidei. Ergo fruſtra appellatur ad conſenſum cum Conciliis.

Concedo Ant. loquendo de regula & norma propriè dicta, & nego conſequentiam. Non enim ſolum ad normam fidei, ſed etiam ad ſententiam eius, qui in controverſia fidei judex eſt & legitimè pronunciat, rectè provocatur. Atqui Concilia cum capite Eccleſiæ conjuncta habent autoritatem judicis legitimi. Ergo.

Concilia neque ſic quidem poſſunt prodeſſe. Tam audaciter Prædicans? Quidni enim? *Quia eorum judicia ſunt dubia & incerta.* Tunc quando cū capite cauſam cognoſcunt, & ex eius præſcripto decernunt? Nego. *Concil. Nican. 1. eſt incertum.* Quonam pacto? *Quia diſceptatur adhuc de numero Canonum eiusdem.* Eſto. Hinc ſequitur quosdam eius canones eſſe incertos. At Concilium ipſum & eius definitionem eſſe ſimpliciter incertam, eſt ſimpliciter certò falſum. Sufficit quosdam Canones eſſe certos & hiſce certis fidem noſtram licet explorare.

Etiam Concilia non ſunt ab erroribus immunia. Tunc quando à capite ſupremo approbata ſunt? Falſum eſt. Proba ſi potes.

Concil. Nicanum 1. can. 11. damnat militiam ſacularem, & quidem ſimpliciter. Et quidem ſimpliciter erras. *Uti habetur in jure Can. can. 11. q. 3. d. 5. cap. 4.*

Te

Te simpliciter aut impostorem aut stupidum esse ex eodem patet. Non damnat militiam simpliciter, sed eorum Christianorum, qui sub Lycinio tyranno aut fidem Christi abjurare, aut cingulum militiæ deponere jussi, primum quidem testandæ fidei causa abjectis militiæ insignibus ab exercitu abiere, postea verò mala & perniciosa pænitudine ducti, ad impia persecutoris castra, & sacrilegam militiam redierunt. Atque hanc militiam meritò Concilium damnavit. Videantur quæ à Zonara & Balsamone in ipsius Canonis explicatione, & à Ruffino lib. 10. hist. Eccles. c. 6. afferuntur. Et quid cogitas Seldi? Putas Patres illos militiam omnem, Constantino Imper. tanto militiæ patrono, audiente & vidente damnasse, aut simpliciter damnare potuisse? Non erant tam ab omni ratione deserti, ut id facerent, uti tu ab omni ratione es desertus, ut id cogitare & scribere de illis audeas.

Patet ex capit. præcedenti simpliciter damnari militiam à Concilio Nicæno.

Quid ais? Ex capite præced. patere simpliciter militiam damnari? & à Concilio Nicæno damnari? O pepone insulsius caput! Inprimis hoc capit. est plagula ex epist. S. Leonis magni 90. ad Rust. decerpta, quæ ad Concilii Nicæni explicationem nihil omnino facit, quomodo ergo ex ea colligas quid illud statuerit? Deinde non arguit militiam simpliciter, sed tantùm secundùm quid, si nimirum ab iis suscipiatur, qui pænitentiæ causa ab ea abstinere debebant, quali ergo tu fide dicis simpliciter damnare? Certè ostendis Seldi te aut jus Canonicum nō inspexisse, aut præ stupore non intellexisse. Vin' adscribam verba canonis? Eccilla, *Contrarium est omnino Ecclesiasticis regulis, post pænitentiæ actionem redire ad militiam sæcularem: cum Apostolus dicat: nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus. Unde non est liber à laqueis diaboli, qui se militia mundana voluerit implicare.* Jam capis non vetari militiam simpliciter, sed iis qui pænitentiæ agendæ causâ eam rectè, reliquerant, reditum ad eandem non concedi?

Concilium Chalcedonense can. 28. Episcopum Romanum Constantinopolitano æquavit.

1. Esto verum sit. Quid tum postea? Contradixere illi canoni nuncii sedis Apostolicæ, & Leo Magnus Pontifex Rom. improbavit. Nos verò Concilia, qua parte à capite Ecclesiæ rejiciuntur, etiam rejicimus.

2. Nego Assumptum, & dico te aut mentiri, aut Concilium Chalcedonense non intelligere. Nisi malis ut credam te Concilii illius ca-

nones ne usurpasse quidem oculis in vita, & ex alio quopiam mentitore Prædicante mendacium exscripsisse. Ita equidem habet canon: *ut Constantinopolitana sedes, (secunda post illam* (Romanam) *existens, priusquam Alexandrina sedes enumeretur deinde Antiochena, &c.* Jam. tu dic Seldi, si sedes Constantinopoleos est secunda post Romanam decreto Concilii Chalced. quomodo est illi facta æqualis? Deinde, in fine Act 16. ita loquuntur Patres: ἐκ τῶν πεπραγμένων καὶ ἐκ τῆς ἑκάστου καταθέσεως συνορῶμεν, πρὸ πάντων μὲν τὰ πρωτεῖα, καὶ τὴν ἐξαίρετον τιμὴν, κατὰ τοὺς κανόνας, τῷ τῆς πρεσβύτιδος Ῥώμης θεοφιλεστάτῳ ἀρχιεπισκόπῳ φυλάττεσθαι. Ergo agnovere Papæ Romano primatum præ omnibus, juxta Canones conservari debere. Ergo non decrevere, neque potuere decernere parem illi esse Constantinopoleos Patriarcham.

Concilia non sunt αὐτόπιστα. Transeat. Sufficit nobis, ea quæ sequimur esse ἀξιόπιστα, & falli non posse.

Exemplaria Conciliorum, quæ hodie habemus, sunt suspecta, discrepantia, & corrupta. In omnibus? Nego. Sufficit in multis esse certæ & incorruptæ fidei.

II. Fumus Seldii.

Quatuor prima Concilia fuere congregata jussu Imperatoris, non Pontificis. Fallis an falleris? an utrumque? Certè falsum est quod asseris.

Nicænum 1. convocatum est mandato Constantini. Solius? absq; jussu Sylvestri Papæ? Falsum est. *Platina testatur.* Quid? *Mandato Constantini factum.* Ita, sed non solius. Id tu ex tuo addis. Sine dubio opus erat jussu Imperatoris, tum quia in urbe eius ditioni subjecta, tum quia eius sumptu & regiis impensis res tanta perfici debebat. Aliàs Ruffin. lib. 10. hist. c. 1. dicit: Constantinum ex sententia sacerdotum Concilium illud indixisse. Quorum verò sacerdotum, si non potissimùm Sylvestri Pontificis? Damasus in Pontificali scribit cum Sylvestri consensu habitum in Nicæa Concilium. Denique 10. synodus Gener. act. 18. profitetur Constantinum & Sylvestrum magnam synodum Nicææ congregasse. An non hisce autoribus fidem potiùs adhibebimus, quàm Seldio alicui ex aliquo Thuringiæ angulo, nescio quid contra mussitanti?

Constantinopolit. 1. Theodosio Cæsare præcipiente convenit.

Sine jussu Damasi Papæ? Erras. Audi ipsos Episcopos ex Concilii loco ad Damasum scribentes, apud Theodoret. lib. 1. hist. cap. 9.

Man-

Mandato literarum, superiore anno, à vestra Reverentia, ad sanctissimum Imperatorem Theodosium missarum ad iter duntaxat Constantinopolim usque faciendum nos præparavimus. Ergo Damasus Papa per literas cogi Concilium jussit. Ergo Seldius falsum dicit, cum solius Theodosii mandato coactum dicit.

Ephesinum I. convenit jussu Theodosii Junioris. Solius? Sine autoritate Celestini Papæ? Erras. Celestinus teste Evagr. lib. 1. cap. 4. S. Cyrillum Alexandr. suo nomine legatum ire jussit, & synodo præesse. Ergo satis ostendit ad se eius autoritatem pertinere.

Chalcedonense Martianus Imperat. collegit.

Non sine edicto Leonis Pontificis. Testatur epistola Episcoporum, secundæ Misiæ ad Leon. Imperat. quæ recitatur in Actis Concil. Chalced. p. 3. n. 32. *In Chalcedonensium civitate* (inquiunt) *multis sanctis Episcopis convenientibus per jussionem Leonis Romani Pontificis, qui verè caput est Episcoporum.* Quid jam vis Seldi? Tu duo asseruisti, nimirum Imperatorum jussu quaterna prima Concilia coacta, & nullum Pontificis imperium aut autoritatem intervenisse. Prius utcunque probasti, sed, pro altero quod faceret, ne verbulum quidem attulisti. Ergo more tuo fumos vendidisti.

III. Fumus Seldii.

Papistæ laudant pro se Patrum scripta supposititia. Quæ pro certò norint aut putent esse talia? Calumnia est. Fieri equidem potest, ut aliquod scriptum subinde ei tribuatur, cuius revera non est, atque ita innocente errore à nobis laudetur. Pronum etiam est, ut licet de autoris nomine controverti sciamus, tamen, quia certo nomine insignitur, & aliunde doctrinæ & pietatis commendationem habet, illud eo nomine producamus. Et quis hoc reprehendat, nisi Momus etiam Veneris sandalia culpare suetus? Nunc videamus quædam Fumi Seldiani exempla.

Athanasii sermonem de Deipara laudant Papistæ. Ita. *Hic tamen etiam Pontificiorum judicio non est Athanasii.* Ita quidem aliquorum. Tamen, quia pius & doctus, in familiam & nomen Athanasianum non omnino immeritò à majoribus nostris est adscriptus, & ab aliquibus sine scrupulo laudatur.

Marcellius citat etiam Nazianzeni Tragæd. Christi pat. Non malè. *Baronius dicit esse supposititiam & Bellarmin. tribuere illam Nazianzeno non audet.* Sed Marcellius cum aliis audet.

Asceticæ

Ascetica Basilii idest quæstiones compend. explicat. Bellarminus tenet esse suppositicias. Videris Seldi Basilium ne à limine quidem unquam salutasse. Ascetica Basilii, & quæstiones eiusdem compendiò explicatæ non sunt idem, ut tu innuis. De Asceticis falsum est, quod ea Bellarm. pro Basilianis non agnoscat. De quæstionibus compendiosis tantùm judicat non esse indubias.

Atqui idem Bellarm. l. 1. de bonis operib. in part. c. 13. has Regulas Basilio tribuit. Quid has regulas? Eadem quæstiones, quas judicarat alibi incertas? O quàm stupidè erras Seldi! Hic laudat Cardinalis quæstiones fusè explicatas, alibi subdubitat de quæstionibus compendiò explicatis. Neque hæc opuscula pro eodem accipi possunt, nisi ab eo qui in Basilio tam versatus est, quàm porcus in ædibus Judaicis

IV. Fumus Seldii.

Papistæ corrupere scripta Patrum. Calumniaris iteratò Prædicans. *Testes sunt Indices expurgatorii.* Ita, te mentiri. *Testis Marsilius Venetus.* Talis testis, qualis tu, id est falsus. Produc enim si potes unum apicem à nobis corruptum. Cur hic hæres? *Supra adduxi exempla.* Ita, tuæ calumniæ.

Papistæ utuntur corruptis Patrum exemplaribus. Cedo exempla. *In Cypr. tract. de simplicit. prælatorum, sive de unitate Ecclesiæ addit editio Romana, quâ Canisius utitur: ET PRIMATVS PETRO DATVR.* At tibi probandum est, hæc verba in primitivis & incorruptis S. Cypriani exemplis non fuisse reperta. Et donec probes habeo te pro calumniatore & impostore publico. Audin' hoc?

Genuinus textus Cypriani sic habet. Exordium ab unitate proficiscitur, ut una Christi Ecclesia monstretur. Benè adhuc. Perge. *Addit Romana editio apud Canis.* ET CATHEDRA UNA. Addit, sed rectè addit. Quia ita in antiquis & incorruptis códicibus reperitur additum. Iterum ergo dico, aut corruptionem proba, aut calumniator audi.

Canisius in magna Catech. tit. de tradit. membro 60. n. 8. citat testimon. Augustini ex lib. 2. contra lit. Petiliani c. 51. Perge, & ostende corruptnm textum citare. *Omittit verba Augustini, in quibus facit mentionem Ecclesiæ Hierosolymitanæ, in qua Jacobus sedit, &c.* Concedo. An ergo textum corrumpit, qui non totum citát? O frivolum Prædicantem! Sed vide etiam quid agas? Volebas probare Canisium uti exemplari corrupto, & sic argumentaris. Canisius cum Augustinum produ-

producit, posteriora textus verba omittit. Ergo Canisius usus fuit exemplari S. Augustini corrupto. Jam tute ipse judica, an non pueriliter sic arguas.

V. Fumus Seldii.

Papistæ producunt testimonia Patrum in alienum sensum detorta. Proba, mi homo, aliàs dicam te mentiri. *Fatentur Duacenses in Indice Expurgatorio Belgico pag. 12.* Aude proferre mendacium. *Se in Catholicis veteribus aliisque præter Bertramum plurimos ferre errores, eosque contemnere, excusare, excogitato commento persæpe negare, & commodum iis sensum affingere dum in disputationibus opponuntur.* Quæso Seldi, an tu stipes es aut nos stipites putas, ut tam insulsum & infacetum mendacium non videamus? Quis credat Duacenses, si hæc quidem facerent, tam stolidos esse, ut publico typo de se profiterentur? Disce saltem in speciem probaliùs fingere.

QUÆSTIO III.

An in Ecclesia Romano-Catholica fuerit facta in fide mutatio & depravatio?

§. 1.

Negat fidei Catholicæ professor.

CErtum est Ecclesiam Romanam veram fidei doctrinam ab Apostolis initiò accepisse. Et epistola S. Pauli ad Romanos data non sinit de ea re quenquam dubitare. Atqui hanc fidem nunquam mutasse etiam certum est. Ergo eandem modò tenet, quam olim ab Apostolis accepit. Prob. Min. Quod si enim verò in re tam publica, qualis est fidei professio, ipsa, etiam in omnium oculis, totiusque orbis aspectu palàm posita, quicquam immutasset, fieri omnino non potuisset, ut lateret, sed constaret de autore, loco, tempore, quis, quando, quo anno talem novitatem antea inauditam induxisset, quos asseclas quosque adversarios habuisset, quibus potissimum argumentis nisus, quibus mediis usus, quo successu elatus rem illam perfecisset. Hæc enim atque similia, & in eiusmodi eventibus observari, & ad posterorum memoriam sempiternam transmitti consueverunt. Equidem Arianorum, Macedonianorum, Nestorianorum, Eutychianorum, Pelagianorum, Lutheranorum, Calvinistarum, verbo, omnium hæreticorum & hæresum, tum veterum tum recentiorum, ortum, progressum, occasum, autores qui cæperint, socios qui adjuverint, adversarios qui

contra debellarint, Concilia & judices qui condemnarint, denique locorum & temporum circumstantias omnes ex majorum nostrorum fastis & annalibus accuratè perspectas habemus. Quare si in Ecclesia Romana, cuius splendor atque dignitas totius Christiani orbis intentos oculos non potuit non vehementer perstringere, similis unquam morum & doctrinæ immutatio contigisset, impossibile foret eam ita latere, ut hodie eius initium & progressio demonstrari non posset. Cum ergo horum nihil in Ecclesia Romana ostendi possit, argumento nobis esse debet, eam ab Apostolicis institutis in hunc usque diem ne latum quidem unguem recessisse.

§. 2.

Contra fumat Seldius.

I. Fumus Seldii.

Et si non possit in Ecclesia Romana ostendi, quis, quo tempore fidem depravare occeperit, non sequitur inde non fuisse aliquando ab aliquo depravatam. Hoc ostendere opus est, mi homo. *Et non potest ostendi quando & à quo fuerint scripta Patrum corrupta, & tamen sunt corrupta, fatentibus Papistis.*

Imprimis, nego Assumptum. Nam ut corruptio aliqua, quæ actuariorum & typothetarum vitio occultè irrepsit, determinatè, quando & à quo profecta sit, ostendi non possit: multæ tamen & notabiles depravationes, collatis vetustis exemplis, & inspecto impressionis & anno & autore ad oculum demonstrantur. Deinde non est ullo modo simile, quod adducitur. Dogmata Ecclesiæ Romanæ in probatulo & in oculis universi orbis versantur, at librorum descriptio & expressio, intra privatos parietes & in officinis persæpe clancularius furtim peragitur.

Etiam hæresum quædam origines & tempora latent, ut Adamitarum, Agnoetarum. Quidni etiam errorum Romanorum lateant exordia?

Distinguo, hæresum occultarum & incelebrium transeat. publicarum & celebrium, qualis foret Ecclesiæ Romanæ & Catholicæ, si qua esset. nego. Adamitæ illi, de quibus Castrius, obscuri fuere & clancularii. Unde & dubio non caret, an unquam in rerum natura fuerint. At quod de Agnoitis affers, prodit ignorationem tuam. Etsi enim Castrius eorum autorem non invenerit, invenerunt & norunt alii, ex Leontio & S. Joanne Damasceno, qui l. 3. de hæres. ait Agnoitas sectæ suæ principem habuisse Themistium quendam, à quo etiam Themistiani

sint

sint dicti, eosque ortos circa annum salutis 535. Quod si tu præter Alphonsum à Castro, Baronium, Prateolum, Gaulterium, inspexisses, non scripsisses Agnoitarum ortum nos ostendere non posse.

Isaias 1. cap. v. 21. exprobrat Israelitis defectionem à verò Numinis cultu. Concedo. *& tamen non designat eas circumstantias quando nimirum & quo autore defecerint.* Concedo. *Ergo nec Lutherani debent designare, quando Ecclesiæ Romanæ objectant errores contra fidem susceptos.* Nego consequentiam. Nam 1. Israelitæ non poterant negare flagitium, nec negabant. Et si negassent, in promptu erat Prophetæ, ortum & progressum & autores defectionis & nefariæ apostasiæ illis ostendere. Nos verò lapsum planè diffitemur, & dogmatum nostrorum puritatem, temporis ab Apostolorum ætate ad nos usque lapsi immutata successione tuemur. Ergo nisi mutatio facta, & à quo, & quando facta sit, demonstretur, nemo nos ab antiquæ fidei possessione depellet. 2. Vos Domini Prædicantes Prophetæ non estis. Ubi ad instar Isaiæ prodigiis & divinis oraculis vos illustres reddideritis, exprobationi vestræ locum dabimus. Interea æqui bonique consulite, quod jure utentes nostro, nihil vobis credimus, donec probetis.

In mutationibus politicis provinciarum & regnorum multa contigerunt, quorum circumstantiæ loci ac temporis latent.

Nego latere, si sermo sit de mutationibus, quæ sint alicuius momenti & quæ contigerint ab eo tempore, quo literæ in mundo effloruerunt, quale est illud, quod à condita Romana Ecclesia huc usque decurrit.. Etsi enim te, qui in Postilla domestica, quàm ullo alio libro, plus ponis operæ, multa talia lateant, non ideo alios latent.

Etiam in physica multa oriuntur & occidunt, multa in populis linguæ & dialecti de novo in morem inducuntur, multa è contra desuetudine pereunt. Quis harum rerum autores & tempus observet?

Nemo, nisi milium terebrare amet. Sunt autem huiusmodi mutationes, rei qua de agimus, nullo modo similes, nimirum tales quæ usu inperceptibili & occultis quasi insidiis amant fieri. Non ita se habet dogmatum publicorum ratio, quæ ab omnibus religiosè observari solet, & in qua novitas animos constantiæ longæ insuetos facilè percellere & perturbare solet.

Busæus in suo Viridario fatetur, jejunium modernum Papistarum quo ad septem capita à jejunio antiquorum differre. Transeat. *Et tamen huius defectionis autores & tempus non designavit.* Esto, sed hoc nihil ad rem. 1. Omne consuetudinis tum bonæ tum malæ genus, hoc

habet, ut sensim sine sensu, ut dicitur, occultisque quasi cuniculis in communem hominum vitam, se insinuet. 2. Busæus defectionis hujus initia & progressus non ostendit, neque opus fuit ostendere, cum nemo nostrûm abusum ullum occulto temporum vitio irrepsisse aut neget, aut ignoret. 3. Potuisset etiam Busæus, facilè demonstrare, quo tempore, & quibus potissimum autoribus ea severitatis & disciplinæ antiquæ corruptio cœperit. Sed ut dixi non erat necesse.

Non valet ignorantia nostri, ad ignorationem rei.

Imò valet, quando res de se est & esse solet publica, & ab omnibus ignoratur, & præsertim valet, cùm illa res contra alium negantem probari debet. Quisquis rem ignorat & probare nequit, meritò repellitur & causâ cadit, si contra alium contendat. Vos Prædicantes pleno totoque gutture declamatis Papalem Ecclesiam à fide Apostolorum defecisse. Nos è contra, qui antequam vos nati essetis aut braccas subligare quiretis, in possessione fidei antiquæ, utique bonæ, eramus, constanter negamus. Ergo vobis incumbit onus probandi. Et nisi probetis, jure optimo damnati, calumniæ pœnas dabitis.

II. Fumus Seldii.

Satis est ostendere, Romanam Ecclesiam à norma veritatis id est sacra scriptura defecisse. Ita si ostendatur. *Nos ostendimus.* Ubi? quando? Nullibi, nunquam.

III. Fumus Seldii.

Lutherani possunt ostendere circumstantias defectionis Papalis: Fecissent, si potuissent. *At fecerunt.* Quinam? *Seldius, Keslerus, Meisnerus, Gerhardus, Mentzerus, quis non? etiam Chamierus Calvinista.* Cur non ex Anabaptistis quempiam adjecisti, ut ne ad septenarium quisquam deesset? At nos numerus non terret. Omnes hi Seldi effecerunt quod tu. Vin' scire quantum? Præter fucos & fumos, prorsus nihil.

QUÆSTIO IV.

An fide divina certum sit, solam Romano-Catholicam Ecclesiam esse verum Christi cœtum, cæteros verò illegitimos?

§. 1.

Asserit fidei Catholicæ professor.

Illud enim fide divina certum, quod à Deo revelatum. Atqui Romano-Catholicam Ecclesiam esse verum Christi cœtum est revelatum

latum à Deo. Ergo. Prob. Min. A Deo revelatum est illam Ecclesiam esse Christi, quæ à Christo & Apostolis fundata, cuius caput est S. Petrus eiusque successores, & contra quam portæ inferi non prævaluere hactenus. Atqui evidens est Romano-Catholicam esse talem. Ergo evidens est, revelatum esse à Deo Romano-Catholicam Ecclesiam esse cætum Christi. Minor constat tot testimoniis, signis, notis, & credibilitatis motivis evidentibus, ut ab homine prudente, cui animus nullo sequiore præjudicio sit detortus, in dubium vocari non possit. Sicut ergo mihi, qui infantem meis ipse manibus aquis lustralibus tinxi, est fide divina certum, hunc infantem esse in gratia Dei; quia nimirum revelatum scio, quod omnis infans rite baptizatus sit in gratia Dei, & quia mihi evidenter constat hunc infantem esse rite baptizatum: ita & nobis est fide divina certum, Ecclesiam Romanam esse verum Christi cætum; quia revelatum novimus à Christo, quod Ecclesia à Christo instituta, & à S. Petro eiusque legitimis in munere Apostolico successoribus gubernata, contra quam portæ inferi non sint prævalituræ, sit verus cætus Christi, & quia evidenter novimus Ecclesiam Romanam esse à Christo per S. Petrum institutam, & ab eodem per legitimos in munere Apostolico successores huc usque constanter gubernatam, ut nullæ unquam inferorum portæ contra eam prævalere potuerint.

§. 2.

Contra effumat Seldius.

I. Fumus Seldii.

Constat Ecclesiam Romanam ab institutis & doctrina Apostolorum defecisse. Contrarium nobis evidenter constat. *Superius ostensum est.* Superius ostensio refutata est.

II. Fumus Seldii.

Si de fide est, Romano-Catholicam Ecclesiam, esse verum cœtum Christi; etiam de fide est hodiernum Papam esse verum caput Ecclesiæ, & Christi in terris Vicarium. Atqui consequens est falsum. Ergo & Antecedens. Nego Minorem. *Papistæ concedunt. Ut Alphonsus à Castro.* Hic equidem concedit, sed non est Papistæ. Tam verò pauci cum eodem sentiunt, ut meritò dici possit, omnes contra eum Papistas stare.

Ipsimet Papistæ fatentur in sacris literis non esse revelatum Romanum Pontificem Petro succedere, hoc est esse Christi Vicarium. Ut Canus lib. 6. locor. cap. 8.

es tibi remissa esse peccata? nunquid hoc syllogismo? Qui credit fide salvifica in Christum, huic remissa sunt peccata. Atqui ego Seldius credo fide salvifica in Christum. Ergo. Nunquid Minor ἄγραφος? Quid ergo fumas?

CAPUT V.

Appendix Seldiana exploditur.

QUæ fidei Catholicæ professor duobus deinceps capitibus exposuerat, Seldius ne intacta abeant, brevi appendice fumea perfumat.

I. Fumus Seldii.

Homo, se veræ fidei, & consequenter meritorum Christi esse participem, scire certò potest. Quomodo certò? *A priori & posteriori.* Sed quomodo certò à priori & posteriori? *A priori. Quia certa est causa principalis, nimirum Deus.* Ita. *Certa etiam causa meritoria, nimirum Christus.* Benè ita. *Certa causa instrumentalis, nimirum Sacramenta.* Rectè. Sed quid inde? Ergo tua fides & salus certa? Insana consequentia. Nam hisce certis certò positis tamen hominum aliquorum non tantum non certa est salus, sed certa constat damnatio. An non enim hisce certis minimè obstantibus, impii omnes pereunt? *Hisce*, inquis, *causis positis & nullo hominis vitio non impeditis, sequitur effectus, id est fides.* Itane? At verò mi Seldi, nemo certus est, se non ponere impedimenta causis illis. Nemo certus est se verbum Dei devotè audire, se illud custodire, se Sacramentis rite & cum ea animi dispositione ut oportet uti. Et Calvinistæ & Anabaptistæ putant se ea omnia præstare, & nonne tamen falluntur? Quis te securum reddat te etjam in ea opinione tua quàm de temetipso habes non falli? Et vide demum Seldi, quid dicas? Ais vos ex scriptura probare hanc certitudinem. At verò ubi in scriptura reperies, te vel quemvis Lutheranum audire verbum Dei, uti ritè Sacramentis, renovari spiritu, detestari peccata? Nunquid hæc non sunt ἄγραφα? Quomodo ergo ex scriptura probatis, aut probare potestis? An non verò festivum est quod addis, non tantum ex scriptura vos certitudinem in fide, sed & perseverantiam in eadem, nimirum conditionatam probare. Quæso enim quid hoc rei est? An hic est quæstio de certitudine conditionata? Minimè gentium. Nam non modò omnes Christiani sed & Turcæ illam sine dubio obtinent. Ostendo. Certitudo conditionata est, quæ hominem

nem certum reddit salutis & perseverantiæ, si ex sua parte præstet ea quæ Deus requirit. Atqui etiam Turca aliquis certus est, se salutem & perseverantiam in fide obtenturum, si præstet ea quæ Deus in eum finem requirit. Ergo. Certè Seldi, si non aliam certitudinem salutis quàm conditionatam homini fideli concedis, non multùm hercule tribuis, & nobis minimè adversaris.

II. Fumus Seldii.

Certitudo moralis & conjecturalis de salute, quam Papistæ docent, est implicatoria & incerta.

Tu dixisti Seldi. At nisi probes ridebunt te Papistæ. *Probatur 1. Qui non est certus an sit baptizatus, aut absolutus, non est certus de salute. Atqui nemo Papista est certus, an sit baptizatus, aut absolutus. Quia non est certus de intentione eius qui baptizavit vel absolvit. Ergo.* Nego Minorem, & eiusdem probationem, loquendo de certitudine morali, de qua hic est quæstio. An tu putas satis nobis esse debere, quod tu dicas & non probes?

Probatur 2. Certitudo, juxta Bellarm. est immutabilitas veritatis. Atqui certitudo moralis non est immutabilitas, utpote in solis conjecturis & fallibilibus signis fundata. Ergo.

Nego Minorem, & eius probationem, loquendo de immutabilitate & infallibilitate morali. Certitudo moralis, est immutabilitas non physica aut Metaphysica, sed moralis, & fundatur in signis moraliter infallibilibus.

III. Fumus Seldii.

Falsò dicit Marcellius, Lutheranos cum Simone mago sentire. Ostende falsitatem. *Dicit Simonem Magum docuisse, quod sola fides salvaret.* Ita. Sed nunquid idem vos Lutherani docetis? *Non.* Eccur non? *Quia nos docemus, fidem etsi sola justificet, non tamen solitariam sine bonis operibus existere* At in hoc meliores equidem estis Christiani, sed stupidiores philosophi præ Simone. Nam revera si sola fides salvat, ergo si illa sola adsit, salutem adesse est necesse, vel si bona opera unà existere debent, ut fides salvet, ergo fides sola non salvat. Deinde non dicit Marcellius, in omnibus vos cum Simone Mago facere, sed in hoc, quod statuatis solam fidem justos reddere homines. Ergo frustra excusas in aliquibus vos ab illo dissentire.

IV. Fumus Seldii.

Ex doctrina Papistarum, orta sunt hæreses, Photinianorum, Arminianorum, Weigelianorum. Qua ratione mi homo? *Sicut Papistæ docent*

cent charitatem esse formam fidei, ita Photiniani & Arminiani obedientiam, Weigeliani imitationem vitæ Christi docent esse formam fidei. Qualis demum stupor & colligendi ineptia? Catholici docent formam fidei esse charitatem, hæretici docent formam fidei esse obedientiam. Ergo hæresis ea est orta ex Catholicis. Planè atq; si quis diceret; sicut Christiani ædificant templa in honorem Christi, ita Turcæ ædificant templa honori Mahumetis. Ergo Mahumetica secta orta est ex Christianis. Nonne hæ nugæ sunt decumanæ?

V. Fumus Seldii.

Papistarum doctrina est: bona opera idcirco esse necessaria quod Christi merita non sufficiant.

Impostura & calumnia est Seldiana. *Miletus ita docet.* Nego docere. *Christus est*, inquit, *causa universalis salutis nostræ, sed tamen nec totalis, nec integra.* Concedo. *Ergo bona opera requiruntur ad salutem, quia merita Christi non sufficiunt.*

Stolida consequentia. Estne idem, non esse causam totalem nec integram, & non sufficere ad effectum? O caput Prædicantis! Penè dixissem pecudis. Dic sodes an non Deus est causa universalis filii tui à te geniti? nunquid nec totalis nec integra? an non tua actio generativa ad eum producendum requiritur? Ergone tua actio requiritur, quia Dei virtus atque influxio non sufficit? Apage pecorinum ab exedris Theologicis discursum, quem si Aristoteles intra Organi sui fines deprendat, ex ponte asinorum præcipitem duit.

Idem docet Biel Quid idem? *Passionem Christi non esse solam & totalem causam, sed cum merito Christi concurrere aliquod meritum hominis sive de congruo, sive de condigno.* An non jam audisti, quàm bestialem in modum stupidè hinc inferas, merita Christi non sufficere? Causa partialis non est necessariò insufficiens. Vin' tibi ostendam ut abnuere non possis? Audi. Etiam in tua sententia meritum Christi est causa justificationis nostræ, & quidem non totalis. Ergo vel causa non totalis est sufficiens, vel etiam meritum Christi in tua sententia est causa insufficiens. Probo Antec. Illa est causa totalis, effectus, quæ ita ad illum concurrit, ut fiat, etjamsi nulla alia causa quicquam influeret. Atqui meritum Christi non ita influit & concurrit ad nostram justificationem. Ergo non est causa totalis justificationis. Probo Min. Si non concurreret actus fidei, non fieret justificatio. Ergo & meritum Christi non ita concurrit ad justificationem, ut si nulla alia causa concurreret fieret justificatio. Quid jam Seldi? Viden' causam aliquam justitiæ non totalem & tamen sufficientem?

VI. Fumus Seldii?

Illud ex ep. ad Philipp. 2. 9 propter quod & Deus exaltavit illum, &c.

non significat meritum, aut quod Christus meruerit gloriam corporis. Nego non significare meritum. *Significat causam finalem, illationem, & ratiocinationem.* Nego. Nec dic homo, sed proba. *Si per nomen Jesu non intelligitur gloria corporis, sequitur quod illam Christus non sit promeritus. Atqui prius est: Ergo & posterius.* Nego Maiorem. *Asserit Paulus obedientiam Christi sive exinanitionem consecutam fuisse donationem nominis JESU.* Hoc tantùm asserit consecutam esse? O te hominem! Præmittit illum exaltatum esse, & per hoc interpretes intelligunt gloriam corporis.

Ad dictum illud Hebr. 2. 9. Vidimus Jesum propter passionem mortis gloria & honore coronatum, ex errore Grammatico affertur. Ita quidem tu dicis, & tecum plures nostri sentiunt. Marcellius quosdam alios, aliter verba illa construentes & explicantes sequi maluit. Tu verò pessimâ fide Papistas absolutè & universè dicis eo modo Apostolum intelligere. Imò credibile est te illud Paulinum hyperbaton non nisi ex Papistis interpretibus hausisse & didicisse.

VII Fumus Seldii.

Non benè distinguit Marcellius inter salutis initium & consummationem. Cur non benè? *Quia initium dicit esse ex fide & sola gratia Christi, consummationem ex gratia & operibus simul.* Hoccine non benè? *Non. Quia hæc distinctio est scripturæ opposita.* Dicis, non probas. Proba. *Scriptura etiam consummationem salutis tribuit fidei. Joan. 3. v. 16. & 18.* Soli fidei, exclusis nostris meritis? Non ibi dicit scriptura, sed tu ex tuo cerebro confingis. Sine dubio fides & gratia perficiunt salutem nostram, sed non solæ.

VIII. Fumus Seldii.

Nihil ad probandum meritum facit illud Pauli, 2. Tim. 4. 8. dicentis: reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex

Nihil? Certè apud S. Chrys. & Anselmum permultum facit, quorum hic dicit beatitudinem vocari coronam justitiæ, ei quod sit justa, & quam Apostolus justè meruerit, ille appellat justitiæ & cuiuis virtuti exercitæ debitam.

Paulus non intelligit justitiam sui, sed Dei. Si probares, crederem. *Neque illam Dei, quæ respicit proportionem meritorum.* Nego. *Aliàs Paulus contradiceret sibi ipsi.* Ubinam & quo modo? *asserenti vitam æternam esse donum gratuitum Ephes. 2. 8. & huius temporis passiones non esse condignas ad futuram gloriam; Rom. 8. 18.* Hic te contradictionis nodum reperisse putas in Apostolo? Jamdudum à Bellarm. & aliis extricatus est.

Prio-

Priori loco Apostolus dicit *nos gratiâ salvatos esse per fidem*, id est gratis & absq; merito operum præcedentium, fidem, quæ ad salutem necessaria est, accepisse; & ideo addit, *hoc* nimirum per fidem salvatas esse, *non esse ex nobis*. Nimirum fides prima non est ex meritis. At salus deinceps est ex meritis fidem & gratiam secutis. Posteriore idem Apostolus *putat passiones huius temporis*, in se nimirum, absque gratia Dei, spectatas, *non esse condignas ad futuram gloriam*. Non tamen negat condignas, si spectentur, ut à gratiâ Christi profectæ & elevatæ, juxta illud quod alibi dicit: *momentaneum & leve hoc tribulationis nostræ, supra modum, in sublimitate, æternæ gloriæ pondus operatur*, moraliter & meritoriè, *in nobis. 2. Cor. 4.* Quo enim modo operatur κατεργάζεται? Non physicè. Quis id dicat? Ergo moraliter & meritoriè. Certè ita Ambrosius & Chrys. intelligunt. *Deus*, inquit os illud aureum, *justus judex eo modo reddit justis beatitudinem, quo malis infernum*. Atqui infernum reddit, ut justum pro demeritis supplicium. Ergo gloriam ut verum pro benefactis & meritis præmiũ.

IX. Fumus Seldii.

Opinio illa, quâ putatur ex merito Christi accedere vim meritoriam operibus hominum, est sine scriptura, & contra scripturam. Videamus. Ostende esse sine scriptura & contra scripturam. *Marcellius nec potuit, nec ausus fuit scripturam adducere*. Semper dicis, nunquam probas. Falsum est non potuisse. Falsum est non ausum esse. Potuit ex scriptura comprobare, opera nostra bona ex fide & gratia profecta verè mereri vitam æternam, exscribendo ex Bellarm. de Justific. l. 5. c. 2. 3. Atqui potuit ex ead. scriptura ostendere, omnia quæ habemus ad vitam æternam conducentia, provenire nobis à Christo & meritis Christi: Nunquid? Ergo potuit ex scriptura ostendere vim meritoriam, quæ operibus justis inest, provenire à meritis Christi. Et demum nunquid insinuavit Marcellius scripturæ autoritatem, ex illis Joan. 15. *Ego sum vitis & vos palmites, qui manet in me hic fert fructum multum*, cum ita loquitur: *non minus ridiculè adversarii ratiocinantur, si decedere aliquid volunt de gloria Christi, ex eo, quod in ipso manentes per ipsius gratiam operemur benè, quàm si quis existimaret decedere de gloria vitis, si palmites eius uberem fructum ferant, cum omnis palmitum gloria in vitem redundet.* Nunc tu perge cavillari Seldi, quod contra scripturam Marcellius affirmaverit.

Scriptum est Christum esse passum pro peccatis nostris. Ita. *& non est scriptum, mortuum esse, pro ea re, ut operibus nostris vim merendi tribueret.* Demus hoc. Perge. *Ergo hoc est contra scripturam.* O stupidum Ergo! Non est scriptum Seldium esse Superintendentem Römhildæ, ergone

contra scripturam est? Pudeat ineptiæ. Ut ostenderes contrarium esse scripturæ, debebas ostendere scripturam contrarium asserere. Atqui tacere, non est contrarium asserere. Ergo.

X. Fumus Seldii.

Fructus operum nostrorum non sunt perfectè & absolutè boni. Si ex gratia fiant? Proba non esse.

1. Non est unio perfecta credentium cum Christo vite. Nego. *Cupiunt magis uniri.* Esto. Ergo non sunt perfectè uniti? O stupor! An nescis perfectum comparationem admittere, ut sit unio perfecta, perfectior, perfectissima? *2. Non est perfecta succi communicatio.* Nugæ fumeæ. *3. Non est perfecta in hac vita concoctio.* Gerræ pingues, è culinâ petitæ. *Quia non excludunt omne peccatum.* Veniale, transeat. Mortale, nego. Hoc obstat merito, illud non.

XI. Fumus Seldii.

Fructus operum nostrorum non sunt meritorii. Si de tuis & tuorum loquare, concedo. Si de hominum justorum, nego. Sed cedo tamen causam cur nostra proborum Catholicorum opera meritis minimè idonea reris.

1. Non sunt nostri fructus: Nego. *Sine Christo nihil possumus facere.* Concedo. *Ergo quæ facimus non sunt nostra.* Nego consequentiam.

2. Non sunt indebiti, Luc. 17. Ita. Sed quid tum postea, si Deus ex illo debito non poscat? Tibi probandum est, Deum jure nobiscum agere, & titulo creationis & supremi sui dominii omnes nostras actiones à nobis exigere. Quando verò id facies? Cum pulex elephantum pariet & musca vaccam.

3. Non sunt Deo conducibiles. Transeat. Sunt honorifici & accepti: id ad præmium merendum satis est.

4. Non sunt vitæ æternæ quo ad pretium æquales, Rom. 8. 18. Nego. Quatenus à gratia Christi procedunt, *æternum gloriæ pondus operantur in nobis, Cor. 4.* Supra ostensum est.

XII. Fumus Seldii.

Dari ex gratia, & dari ex merito sunt immediatè opposita.

Si benè cum Marcellio distingueres, benè doceres. Dari ex gratia radicaliter, & dari ex merito radicaliter, utique immediatè opponuntur. At dari ex gratia radicaliter remotè & mediatè, & dari ex merito proximè & immediatè formaliter, nullo modo repugnant. Jam verò vita æterna datur ex gratia radicaliter & remotè & mediatè, quia datur proximè, formaliter, & immediatè, ex meritis, quæ tamen merita vim & virtutem suam

tem merendi habent à gratia eiusque dignitate. Audi magnum gratiæ Doctorem Augustinum l. de corrept. & gratia, c. 13. *Veruntamen*, inquit, *quia ipsa vita æterna, quam* CERTUM EST BONIS OPERIBUS DEBITAM REDDI, *à tanto Apostolo gratia Dei dicitur, cum gratia non operibus reddatur, sed gratis detur, sine ulla dubitatione confitendum est, ideo gratiam vitam æternam vocari, quia his meritis redditur, quæ gratia contingit homini. Rectè quippe ipsa intelligitur, quæ gratia in Evangelio legitur. Gratiam pro gratia, id est pro his meritis quæ contulit gratia.* Idem l. de grat. & lib. arbitr. c. 8. ait: *Itaque charissimi vita bona nostra nihil aliud est quàm Dei gratia: sine dubio & vita æterna, quæ bonæ vitæ redditur, Dei gratia est: & ipsa enim gratis datur, quia gratis data est illi, cui datur. Sed illa cui datur, tantummodo gratia est: hæc autem quæ illi datur, quoniam præmium eius est, gratia est pro gratia, tanquam merces pro justitia.* Si hæc & similia quæ August. c. 9. 15. 16. 20. & 21. eiusdem libri exponit, Seldius legisset, non tam imperitè objectaret, dari ex gratia & dari ex merito opponi.

XIII. Fumus Seldii.

Marcellius impudenter & imprudenter negat nostra merita opponi meritis Christi.

Seldius impudenter & imprudenter calumniatur. Sed audite tamen insignem sycophantiam.

Finitum & infinitum, item perfectum & imperfectum immediatè opponuntur. Atqui merita Christi sunt infinita & perfecta, merita hominum sunt finita & imperfecta. Ergo. An non hæc impudens, imprudens, & futilis planè cavillatio? Eccur Seldi non addisti: relativa sunt opposita. Atqui merita Christi & nostra sunt invicem relativa. Nam ista sunt causa, hæc effectus. Ergo? Quis verò nesciat hic, quando negamus merita nostra opponi meritis Christi, nos negare oppositionem contrariam, & in ratione ipsius meriti? Quis tam amens est ut non intelligat, nos aliud asserere non velle, quàm merita nostra meritis Christi, eiusq; gloriæ non officere, sed ista cum hisce omnino consistere? Quæ ergo malum illa stupiditas est, ut perfectio & imperfectio finitudo & infinitudo adducatur ad probandam eorum oppositionem immediatam? Si Seldius vel micam salis in pectore haberet, facilè videret, quàm vecors id esset argumentum, quo pari planè absurditate, probari contra ipsum posset, & ipsum, & fidem eius justificantem, & baptismum, & quicquid demùm in ipso est Christo eiusq; meritis immediatè opponi. Nam videret eâdem formâ argui hoc modo posse: Finitum & infinitum immediatè opponuntur. Atqui fides justificans est finita, Christus verò eiusq; merita infinita. Ergo Christus & fides

justificans imediatè opponuntur. Item, finitum & infinitum perfectum & imperfectum, imediatè opponuntur. Atqui Christus est infinitus, & perfectus, Seldius finitus & imperfectus. Ergo Christus & Seldius imediatè opponuntur.

XIV. Fumus Seldii.

Ab Extrema unctione nulla est fidelibus fælicitas, nulla consolatio. Quippe ni? *Quia ante annum Christi 526. defuit* Falsum dicis. Tempore Apostolorum fuit in usu, Jacob 5. *Fœlix Papa IV. primo instituit.* Falsum est. *Testis Virgil. Polyd. & Durandus in Rat.* Falsum est. Non sunt testes, nisi mendacii Seldiani. Supra demonstratum.

Allegant Papistæ pro Sacramento unctionis duo loca scripturæ, nimirum ex Marci 6. 18. & Jacobi. 5. 14. Eodem modo allegant utrumq;? Nego Diverso, ut in priori illud Sacramentum insinuetur & in cerimonia quadam adumbrante futurum prænotetur, in posteriori apertè institutum significetur. Concedo.

At illa unctio de qua Marci 6. sermo est; non erat Sacramentum. Concedo. *Ergo neque illa de qua Jacobus. 5. est Sacramentum.* Nego consequentiam. Neque opus hic fuit exscribere & clepere ex Bellarmino nostro rationes ad probandum Antecedens quod Marcellius non erat negaturus.

XV. Fumus Seldii,

Non benè probat Marcellus minorem esse numerum eorum apud Catholicos, qui à salute æterna excidunt, quam qui eam fæliciter consequuntur. Eccur non benè.

1. *Quia in genere illa assertio de pluralitate salvandorum repugnat noto illi epiphonemati: multos esse vocatos, paucos electos.* Erras verò repugnare. Epiphonema verum manet, etsi Catholici nostri ad unum omnes salventur. Nam Catholici etiam universim omnes, quanti quanti, pauciores sunt cæteris hominibus, qui damnabuntur.

2. *Quia parabola seminis cœlestis Luc. 10. ostendit vitio cordis humani vix quarta parte fructum facere.* Esto. Omnes Catholici, non sunt quarta pars hominum.

3. *In parabolis non sunt singula attendenda.* Ita. Sed neque singula omnia negligenda. *Incurrit Marcellius illam ἀπαιδευσίαν.* Tu illam imponis. *Illatio illa quod pauci sint è Papistis à cœlo excludendi repugnat scopo parabolæ.* Cuinam? *Qui ex epiparabola elucet, cum subjungit Christus: Multi vocati, pauci electi.*

Imò non repugnat. Nam sicut ejectio unius è convivio nuptiali consistit cum vocatione multorum & electione paucorum, quia nimirum

multò

multò pauciores eorum erant, qui ad nuptias accesserant, quàm qui foris manserant: ita salus omnium Catholicorum consistit, cum paucitate salvandorum, quia nimirum pauciores multò sunt Catholici, quàm hæretici & Judæi & Turcæ & cæteri infideles simul collecti, qui damnabuntur.

4. *Ab universali Dei misericordia & infinito Christi thesauro in Sacramentis contento, non rectè concluditur ad universalem salutem.* Sed neque id facit Marcellius. Non concludit nisi ad salutem plerorumque Catholicorum tantùm, quæ minimè est ad universalem hominum collectionem, cum multò sint plures Acatholici.

XVI. Fumus Seldii.

Frustra Marcellius dicit Acatholicos licet innocenter in fide errent, in gravi periculo æternæ damnationis versari. Eccur frustra Seldi? *Quia nos* (Seldius & Lutherani) *acquiescimus in oraculo Christi: Qui crediderit & baptizatus fuerit salvabitur* At multi acquievere in illo oraculo, multi baptizati & crediderunt, & prophetarunt, & prodigia patrarunt, & tamen in die magni judicii audient: Nescio vos, discedite, à me qui operamini iniquitatem. Matth. 7. Qui baptizatus crediderit eo modo quo oportet, dubio procul nunquam peribit. At periculum est ne Lutherani illi, qui absq; causa à fidei regulis exerrant, non credant ut oportet, id est pronum est ut charitate, pœnitentiâ, cæterisque destituantur, sine quibus fides esse potest, prodesse non potest, ut loquitur magnus Hipponis Doctor. Cumque de cætero Sacramentis iis careant, quibus à peccatis post baptismum perpetratis emundari rite possint, vereri licet, ut ne maxima pars æternùm pereat.

Hæc sunt Seldi, quæ fumis & fucis tuis reponere visum est. Qua in re, si te fors aliquando durius quàm pro exspectatione tua tetigimus, noris etiam sæpe stupidiùs & maligniùs, quàm pro rei quam tractabas merito te gessisse, & multò equidem acerbiora commeritum. Si verò aliquid subinde tacito pede præteriimus, id tædii in re protrita vitandi causa factum. Tu quidem de Marcellio quereris, non resumpsisse omnia, neque respondisse ad singula tua objectamenta. Verùm ille studio deditâque operâ nugamenta neglexit de trivio capta. Atque ego, si meo ipsius judio stare voluissem, Marcellii sententiam secutus æterni te silentii damnassem. At fuere, qui, contra obnixi, sua me demùm autoritate impulerunt, ut stulto secundùm stultitiam respondendum, aliquid ducerent, orbique universo ostenderem, quàm frivolè tu tuique similes Prædicantes immotam in fidei Petrinæ petram arietetis, & quàm fumeos fumos Catholicæ veritati obtendere moliamini. Uti verò toto opusco-

lo frequenter, amentiam & stuporem insignem prodidisti, ita sub finem specimen ridendum edis aut vecordiæ aut malitiæ. Innuis Marcellium convictum se fateri, eo quod singulas Topicæ tuæ quisquilias excutere reformidarit. Præfidens planè hæc temeritas est tua. Vin' audire? Contempsit Marcellius nænias tuas pueriles. Rogas deinde si quidem veritatis luce collustratus fuerit, & errorem agnoscat suum, ut porrò pergat & fratres unà suos convertat. Quàm pueriliter! *Si* hæc seriò & ex animi sententia scripsisti putans Marcellium tuis fumis fucisque commotum vacillasse, nimis quàm simplex es homo, & judicii expers, qui putes Catholicum vel unum, vel dimidiata ex parte cerebro præditum, ne jam dicam sacerdotem, Jesuitam, & *SS.* Theologiæ Doctorem, tuis illis nugis plumâ volatili & unius culicis pede levioribus, vel levissimè potuisse cieri. Si verò, quod pronum est credere, tam non es amens, sed robur constantiamque Jesuitarum satis perspectam habes, qua ratione simulationis & malitiæ crimen à te repelles? Certè quicquid agas Seldi alterutrum apud me evades nunquam, ut vel stupidus vel veteratoriè malignus non audias. Quare, si quid apud te valet consilium hominis minimè in te mali, aut deinceps Pithagoræ regulam tene & tace, aut abstersa prius animi fuligine, meditatiora & veriora in medium proferre satage.

DEO Laus & MARIÆ Virgini in æternum, Amen.

FVMI-

FUMIVENDULI

RÖMHILDENSIS

EXPLOSI

APPENDIX.

VIX superiora absolveram, cum nova ab Seldio disputatio fuliginis Orcinæ plena in manus venit. Nempe excucullato alicui & à claustro & à Grammatica transfugæ (hi optatissimi sunt Pharisæis Luthericis proselythi) personam imposuit, ut quem nescio fumeũ & exinaniis cerebri Prædicantici depromptum doctrinæ parallelismum evulgaret. Ingenioso enim ingenio cum Seldius sibi esse videatur, subtilem scilicet excogitavit modum, quo ostenderet, Catholicos & P. Henricum Marcellium, in doctrina Theologica de justitia, planè idem cum Pharisæis antiquis illis sentire, ac proinde justam Servatoris nostri reprehensionem mereri. Ad quaterna autem capita totam cavillationem & sycophantiam (nam revera aliud nihil est) revocat. Primum est de peccato & concupiscentia, alterum de libero arbitrio, tertium de lege & eius impletione, quartum de justitia. Visum ergo est eadem breviter expendere, & fumos quos multos & tetros facit discutere.

CAPUT I.

De Pharisæorum erroribus in genere.

§. I.

Hypotheses aliquæ Catholicæ proponuntur.

I. Hypothesis.

P*Harisæi non modo superbiâ, avaritiâ, & hypocrisi infamem vitam duxêre, sed etiam erroribus & falsis dogmatis, doctrinam legis inquinarunt.* Prior pars patescit ex variis Evangelii locis. Matth. 15. 7. cap. 22. 18. c. 23. per tot. Luc. 9. 40. c. 11. 40. 43. 44. c. 16. 14. & alibi, vocantur à Servatore nostro hypocritæ, avari, stulti, inanis gloriæ cupidi, pleni omni rapina

 & im-

&immunditiâ,&c. Posterior pars probatur præcipuè ex illo Matth. 16. 11. *Cavete à fermento Pharisæorum & Sadducæorum.* Ubi per fermentum, à quo cautè cavere oporteret Servator indicavit dogmata eiusmodi hominum prava, ipso teste sacro scripturæ versu sequ. *Tunc intellexerunt*, inquit, *quia non dixerat, cavendum à fermento panum, sed à doctrina Pharisæorum & Sadducæorum.* Hinc etiam S. Epiphan. & Philastr, eosdem Pharisæos vocat hæreticos.

II. Hypothesis.

Non tamen omnes omnino, qui ad Pharisæorum sectam spectabant, aut eam profitebantur, eiuscemodi vitiis & erroribus vitam inquinatam ducebant, sed quidam eorum laudabili morum atque doctrinæ integritate erant conspicui.

Prob. 1. Quia Pharisæi erant Judæorum omnium, & doctrina, & religione, & moribus præstantissimi & exactissimi. Testatur Josephus lib. 7. Antiqu. c. 3. ubi eos appellat *ἐπ' ἀκριβώσει μέγα φρονοῦν τοῦ πατρίου νόμου μόριον τῶν Ἰουδαίων* & lib. 2. capt. c. 12. ab illo describuntur *οἱ δοκοῦντες μετ' ἀκριβείας ἐξηγεῖσθαι τὸ νόμιμα.* Quin & S. Paulus Act. 26. 5. ita de se profitetur coram Rege Agrippa & frequente Festi præsidis senatu: *Ab initio secundùm certissimam sectam αἵρεσιν ἀκριβεστάτην, nostræ religionis vixi Pharisæus* Certe si Pharisæi omnium eorum, qui tum verum Dei numen colebant, erant optimi, dicendum est, saltem aliquos ex eorum numero synceram vitæ atque doctrinæ regulam tenuisse, aut putandum, in tota Synagogæ & Israelis à Deo dilecti religione, nihil omnino purum & incorruptum extitisse. Atqui hoc posterius minimè credibile. Ergo prius. Deinde S. Paulus Act. 22. v. 3. testatur se eruditum in secta Pharisaica, *juxta veritatem*, *ἀκρίβειαν paternæ legis.* & ad Philipp. cap. 3. v. 9. *ego secundum justitiam conversatus, quæ in lege est, sine querela.* Ecquis verò credat unum è Pharisæis omnibus Saulum justè & absque cuiusquam offensione innoxiam vitam duxisse? & non potiùs plures eiusdem integritatis socios ac Magistros habuisse? Sanè Gamaliel eius doctor, ad cujus pedes legem didicerat, & Pharisæus erat, & à Pharisaico tamen fastu odioque in Christum eiusque doctrinam quàm alienissimus. An non S. Lucas Act. 5. egregius virtutis eius testis? Cum S. Petrus una cum aliis quibusdam Apostolis in Concilium captivus abreptus fuisset, & tum ab sacerdotum principe, tum ab aliis Sadducæis (hi enim sacerdoti autores fuerant ut Apostoli in vincula darentur) graviter objurgaretur, & vix infestas & in necem promptas eorum manus evasurus videretur, *surgens in Concilio quidem Pharisæus, nomine Gamaliel, legis doctor honorabilis univers*

verſæ plebi, &c. furorem cæterorum oratione leni compeſcuit, & Apoſtolos periculo exemit. Quid dicam de Nicodemo? Nonne Phariſæus? Joann. 3. 1. *Homo ex Phariſæis, Nicodemus nomine, princeps Judæorum?* An non verò vir bonus, qui veritatis addiſcendæ ergo, cum interdiu non liceret, concubia nocte ad Dominum occultè venit? Joann 3. qui ejus famam atque vitam contra totam Concilii obtrectationem atque inſidias apertè propugnavit? Joann. 9. 39 qui flagrantiſſimo Judæorum odio ſpreto, ad funus Jeſu Chriſti & ipſe palàm acceſſit, & impendium locuplete manu attulit? Joann. 19. 39. Quid de S. Stephano & Barnaba? Fuere ille Sauli condiſcipuli in ſchola Gamalielis Phariſaica. An non ergo una cum Saulo Phariſæi? Quid de Simeone ſene, eo qui præcipitante jam fato, in templum venit, & occulto Numinis ductu atque indicio infantem Jeſum brachiis excepit? An non *homo erat juſtus, & timoratus, exſpectans conſolationem Iſrael, & ſpiritus S. erat in eo?* Luc. 2. Quis verò dubitet τὴν ἀκριβεστάτην αἵρεσιν τῆς Ἰσραηλιτικῆς θρησκείας uti Apoſtolus appellat, ſectatum eſſe?

III. Hypotheſis.

Neque non in multis Phariſæi omnes rectè & agebant & ſentiebant. An non unum Deum, legis Moſaicæ autorem agnoſcebant? An non colendum? An non legem Moyſi & Sabbathum & circumciſionem obſervandam docebant? An non orabant, jejunabant, ſtipe larga egenos ſublevabant? An non ſacra Deo faciebant? An non decimas omnium rerum divino cultui dedicabant? Atqui hæc omnia laude & præmio ſunt digna. Nam & de huiſcemodi Phariſæorum operibus Servator, Matth. 23. dicit: *Hæc* (quæ graviora & magis neceſſaria ſunt legis, miſericordiam & fidem) *oportuit facere, & illa* (decimationem & orationem & jejunum) *non omittere.* Si non oportuit omittere, ergo oportuit facere. Si oportuit facere, ergo bona fuerunt.

IV. Hypotheſis.

Errores & falſa illa aliquorum dogmata, erant publica, per famam quidem, id eſt omnibus hominibus nota, non tamen erant publica, per autoritatem, hoc eſt non proponebant ea ex cathedra, & tunc cum præſidente ſummo ſacrorum Antiſtite de religione & fide & moribus tenendis reſponſa dabant authentica, quæ omnibus neceſſariò velut dogmata religionis Iſraeliticæ obſervanda præſcriberentur.

Prob. 1. ad hominem contra Adverſ. Nullibi ſacra pagina commemorat id factum. 2. Si eorum dogmata, quibus à ſcribis & Sadducæis, aliiſque diſcrepabant, fuiſſent à Pontifice eiusque autoritate publicè com-

probata, fuissent Sadducæi Esseni, aliique qui nullius sectæ essent, minimè in Synagoga & Concilio gentis communi tolerati. Atqui constat eos in senatum sacerdotalem adlectos. Ergo 3. Christus ipse Matth: 23.2. jubet: *Super cathedram Moysi sederunt scribæ & Pharisæi. Omnia ergo quæcunque dixerint vobis, servate & facite.* Hic Servator apertè distinguit inter doctrinam cathedræ, & quam Pharisæi ex cathedra Moysis cum publica legis explanandæ autoritate proponebant, jubetque eam, quo ad omnia, servari, & inter doctrinam privatam, quam extra cathedram privata autoritate in vulgus spargebant, à qua velut à noxio fermento præcipit esse cavendum. Quod si autem Servator mandat, ea quæ scribæ & Pharisæi in cathedra Moysis sedentes præcipiunt, & dicunt, servanda esse, & quidem omnia, ergo hæc omnia erant & rationi & legi consentanea. Ergo nihil in eorum numero reperiebatur falsum & depravatum. Hinc est,

V. Hypothesis.

Pharisæi quando in cathedra Moysis & ex vi cathedræ una cum summo Pontifice dogmata fidei morumq; explicabant, erant infallibiles.

Prob. ex communi DD. Cathol. doctrina, qui unanimi consensu statuunt summum V. T. Pontificem in decernendis ex officio suo controversiis, certa sancti Spiritus directione ita gubernatum fuisse, ut à veritate nunquam aberrare posset, juxta illud Deut 17. 8. *Si difficile & ambiguum apud te judicium esse perspexeris, inter sanguinem & sanguinem, causam & causam lepram & non lepram, & judicum inter portas tuas videris verba variari. surge & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad sacerdotem Levitici generis, & ad judicem qui fuerit in illo tempore, quæresque ab eis, qui indicabunt tibi JUDICII VERITATEM, & facies quodcunque dixerint qui præsunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te juxta legem eius, sequerisq; sententiam eorum. Non declinabis ad dextram neque ad sinistram.* Si indicabat Pontifex cum suis asseclis, *judicii veritatem*, ergo in eo dijudicandi munere erat infallibilis. Et si necesse erat ex divino præcepto eorum sententiam, omni tergiversatione seclusa, indubiè amplecti, necesse est eos in ea re errore labi non potuisse. Nisi malis dicere Deum aut à Pontificis decreto lapsum arcere non potuisse, aut populum suum electum ad dogmata erronea sectanda compulisse, quorum utrumque est impium & absurdum dictu. Confirmatur etiam ex sequ. Nam subdit: *qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto judicis morietur homo ille, & auferes malum de Israel.* Quis hic non

videat,

videat, conveniens omnino esse divinæ bonitati, eum judicem infallibilem reddere, cuius sententiæ incusso supremi supplicii metu parere omnes jubebat? Pontifici autem Pharisæos magna ex parte à consilio fuisse, proclive est, tum quia ipsi ex omnibus Judaicæ gentis sectis erant & vitæ & sanguinis dignitate facilè principes, tum quia Servator noster lib. citat. disertè ait: super cathedram Moysi sederunt scribæ & Pharisæi, &c. Unde ergo mirum non est, præcepisse; ut in omnibus, quæ in cathedra & ex cathedra juberent, omnino illis pareretur.

VI. Hypothesis.

Hac tamen judicandi certitudo unacum Synagoga interiit, & ad Ecclesiam cum Pontificatu est translata.

Successit veritas figuræ, corpus umbræ, Ecclesia Synagogæ, Papa Romanus Pontifici Levitico, cui in persona S. Petri dictum est: *pasce agnos meos, pasce oves meas. Ego pro te rogavi ut non deficiat fides tua. Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Quid ergo mirum Caipham cum Concilio suo, cum jam Synagoga læthali ictu saucia corrueret, & animam ageret, hallucinatum esse & Christum eiusque doctrinam condemnasse?

§. 2.

Fumi Seldiani dispelluntur.

I. Fumus Seldii.

Aliqui Papistæ non sic interpretantur verba Christi: omnia quæ dixerint vobis, servate: atque si Pharisæi in docendo ex cathedra non docuerint neque docere potuerint falsum dogma.

Verum quid tum? Certè multi ita explicant, & ducem sequuntur magnum Augustinum, qui securis passibus præit lib. 4. de doctr. Christ. cap. 27. ubi sic ait: *Illa ergo cathedra non eorum, sed Moysi, cogebat eos bona dicere, etiam non bona facientes. Agebant ergo sua in vita sua, docere autem sua, cathedra autem illos non permittebat aliena.* Quis hanc tanti Ecclesiæ Doctoris interpretationem non antehabeat fumeo Seldii fumo?

II. Fumus Seldii.

Doctrina falsa Pharisæorum erat publica, non privata. Quomodo publica Prædicans? *Publica autoritate, quam sibi Pontifex cum suo Clero arrogabat proposita.* Id enim verò fumus est & fucus. Age sis proba.

Illa fuit publica doctrina, quæ publicam merebatur reprehensionem. Atqui doctrina Pharisæorum publicam Christi *reprehensionem meruit. Ergo.*

Aberras à scopo, fumigator, quem ipse tibi præfixisti. Nunquid dixisti initiò te loqui de doctrina publica, non publicitate famæ & notitiæ, sed autoritatis Pontificalis? Sub eo sensu nego Majorem. Est enim putidè falsa. An nihil publicè argui & castigari salvo charitatis & juris ordine potest, nisi quod publica Magistratus autoritate peccatur? O te incogitantem!

III. Fumus Seldii

Pharisæi una cum Pontifice suo in Concilio Christum eiusque doctrinam damnarunt. Concedo. *Ergo hac eorum sententia fuit publica, publicatione autoritatis.* Concedo. *Et fuit falsa.* Concedo. *Ergo aliqua Pharisæorum doctrina publica fuit erronea.* Aliqua, post quam Christus depositâ jam tum ex magna parte, Synagogâ, Ecclesiam surrogasset suam. Concedo. ante illud tempus. nego. Fallitur ergo prædicans & fallit ignorantiâ elenchi. Nos loquimur de dogmatis Pharisaicis ante Ecclesiam, stante Synagoga & cathedra Moysis, ille verò arguit de iis quæ prostratâ cathedrâ in Christi necem machinati fuerunt.

IV. Fumus Seldii.

Heissius Jesuita malè excipit, Pharisæos errores suos non proposuisse tanquam fidei dogmata necessariò recipienda. At unde tu probas male excipere? *Bened. Arias Mont. ingenuè fatetur.* Primùm, esto, fatetaur. Quænam hæc consequentia Prædicans: Arias fatetur, ergo Heissius malè excipit? Quid si ego sic dicam: Heissius excipit, ergo Arias malè fatetur? Quid tunc ages? Certè infantiam sapit, Prædicante, non autem Theologo dignam, hæc tua reprehensio. Deinde verba Ariæ non evincunt, eum dicere quod tu contra Heissium intendis. Poterant enim illi, ut erant arrogantes & importuni, sua dogmata, etsi ad fidei præcepta attinere non putarent, tamen ita urgere ut conscientias hominum gravarent & affligerent. An enim omne quo conscientia oneratur ad fidei dogma spectat? Non sanè.

V. Fumus Seldii.

Malè excipit Conzen, Jesuita Mogunt. cum dicit, Pharisæos, si cum capite suo Pontifice, in cathedra Moysis præsidente, quicquam decernerent, non potuisse aberrare. Sed tu testimonium perhibe de mala Conzenii exceptione. *Bellarminus lib. 2. de Concil. autor. cap. 8. fatetur, præsente Christo, potuisse Hebræum Pontificem à vero aberrare & aberrasse.* Ita res habet. Sed hoc non obstat Conzenio, qui sine dubio concedet, quod Bellarminus docet. Erat Hebræus Pontifex infallibilis, stante Moysis cathe-

cathedra, usque dum de Christo eiusque doctrina judicare attentavit. Enim verò hoc ausu disjecta in nihilum iit, & fœdissimo errore atque scelere Dominum suum in mortem dedit.

At ita ex Bellarmino arguere licet : Quocunque tempore Christus præsens erat, eo tempore Pontifex Judaicus errori obnoxius fuit. Atqui eo tempore, quo dicebat ; Super cathedram Moysi sederunt, scribæ & Pharisæi : *erat Christus præsens. Ergo eo ipso tempore Papa Iudaicus errori obnoxius erat.*

Resp. Non licet arguere. Major non est Bellarmini. Non dicit : *quocunque tempore*, universaliter, sed tu ei affingis & imponis. Dicit tantùm Christo præsente potuisse errare. Atqui ad hoc satis est, potuisse errare, ultimo eius temporis excuntis articulo, cum de Christi nece & doctrina, judicium & quæstio exerceretur. Imò sic Cardinalem intellexisse patet ex verbis quæ subjicit, *imò fuisse prædictum erraturos Iudæos & Christum negaturos.* Atqui non negarùnt Christum in Concilio & præside Pontifice, nisi sub finem vitæ Christi. Ergo Cardinalis restringit errorem Pontificis Judaici & Pharisæourm eius asseclarum, ad necem Christi, quod Conzenius nunquam negat. Ergo illis Jesuitis duobus rectè invicem convenit; Seldio autem cum recta ratione & veritate malè convenit.

VI. Fumus Seldii.

Si errores illi Pharisaici non essent publica autoritate propositi, non defuisset illis effugium contra acrem Christi reprehensionem. Nego. Quid enim sodes reposuissent? *Unius atq; alterius privati hominis errorem toti Ecclesiæ officere non debere, & paucorum prava opinione non posse universos exagitari.* Nego potuisse hoc eos reponere, nisi fortè voluissent tui similes esse & apertè ineptire? Quæso an ii errores unius atque alterius aut paucorum erant? Erras. Privati erant quidem, sed plurimorum tamen. Id sufficiebat ut palam sine discrimine accusari possent. Quæ maxima pars impune peccat, ea omnibus communiter licet exprobrare.

CAPUT II.

De dogmatis Pharisaici primi parallelismo, nempe de concupiscentia.

§. I.

E*rror Pharisaicus ex mente Seldii, circa concupiscentiam.*

Sel-

Seldius Pharisæorum errores orditur. At vereor ut stuporem & Pharisaicam suam in nos malevolentiam testatam faciat. Aude ergo fumare Prædicans.

I. Fumus Seldii.

Pharisæi, concupiscentiam negarunt esse peccatum.

Concupiscentiam? Sed quamnam? Potentialem, quæ in potentia animæ sensitivæ naturali consistit? Fallis. Actualem illam quæ motus inordinatos, rationis imperium & liberum voluntatis consensum prævertentes complectitur? Falleris. Quæ cum ratione & libertate liberi arbitrii conjuncta est? Transeat equidem, sed qui probas.

II. Fumus Seldii.

Ita Paulus de se Pharisaismi adhuc nævis sordido profitetur. Ubnam? *Rom. 7. 7. profitetur.* Nego ibi profiteri. Proba. *Dicit: concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces.* Ita est. Infer. *Ergo dicit se cum Pharisæus esset, nescisse concupiscentiam esse peccatum.* Nego consequentiam. Quæso qui in forma illam ex illis verbis consequentiam extundes? Primò, quid si cum Cornelio à Lapide dicam, per concupiscentiam hoc loco significari non motionem appetitus sensitivi, propriè, sed omnem liberam voluntatis rationalis appetentiam ad rem alienam sibi injustè vendicandam, idque probarem ex hæbreo chamad, quo utitur textus, & quod non accipitur pro vitioso & nobis innato sensitivæ appetentiæ impetu, sed pro quacunque etiam spirituali affectûs tendentia? Quo tunc te vertes? Quid si cum Methodio existimem, sermonem esse analogicum, de tempore, quo Adam adhucdum in Paradiso degeret, atque ante mandatum à Deo datum putaret comestionem non esse peccatum? Quid si cum Ambrosio velim Paulum loqui nomine hominum carnalium, qui non æstimant peccatum? Certè non semel Apostolus eo modo, impiorum, quibus se præ intima animi modestia adjungere solet, personam induit, atque ex eorum indole sermocinatur. Quod si verò hic Apostoli sensus est, qua tu ratione quicquam inde de Pharisæis conficies? Verùm verò simus in Seldium munifici, demus S. Paulum de inordinata appetitus sensitivi in rem alienam commotione, cum arbitrii libertate conjuncta, loqui, indulgeamus etiam alterum suo ipsius nomine & de semet verba facere, cum dicit, nesciebam concupiscentiam eiusque pravas affectiones cum libera voluntatis consensione conjunctas revera Deum offendere, nisi lex divina, quæ concupiscere vetat, mihi errorem ex animo exemisset, quid inde facies? Ideone rectè concludes Paulo cum cæteris Pharisæis illud dogma fuisse commune? Quasi verò aut ille lapsus toti Judæorum

dæorum genti, qui plerisque inerat gentilibus non valuerit esse communis, aut Paulus non potuerit peculiari aliqua & reliquæ Pharisæorum sectæ minime consentanea opinatione duci. Vides ergo quàm parum ex illo Apostoli pronunciato proficias. Attamen ut initiò dixi, esto, fuerit ille communis Pharisæorum, imò Judæorum illa ætate omnium, error, ut putarent fædos concupiscentis animi in objecta inhonesta motus, etiam spontè & liberè susceptos, nihil noxæ habere, & peccata non esse. Jam perge fumare.

§. 2.

Seldius inaniter pseudoparallelizat.

Marcellius concupiscentiam negat esse peccatum. Omnem & quamvis? Fumas Prædicans. Adde ergo reliqua. *Marcellio motus concupiscentiæ, qui consensum liberum antecedunt non sunt peccata.* Jam benè. Hoc Marcellius & omnes Catholici profitentur. *En ergo consensum doctrinæ Pharisaicæ & Marcellianæ.* En inquam fumum Prædicanticum, & ineptiam Seldianam.

Audi sis Prædicans. Vel hoc loco per concupiscentiam intelligis naturalem animæ sensitivæ potentiam ad appetendum objecta rationi legique adversa, eiusque actus pro ut rationem & consensum arbitrii prævolant, vel intelligis actus eius liberæ voluntatis consensione ultro admissos. Si primo, mirum in modum ineptis. Nam ita arguis atq; si diceres: (faxo enim simile argumentum) Pharisæi verum Numen colebant, & pentateuchum Moysis tanquam Dei verbum recipiebant. Atqui idem facit Marcellius. Ergo Marcellius consentit in errore cum Pharisæis. Supponis erratum fuisse à Pharisæis, in eo, quod putarent, concupiscentiam isto modo acceptam peccatum non esse. At tu vehementer erras. Ecquis enim unquam hunc errorem tribuit Pharisæis? Si verò posteriore modo accipis, non minus hercule ineptis. Sic enim arguis: Pharisæi dicebant motus internos appetitionis inhonestæ, etiam cum advertentia & plena arbitrii libertate conjunctos, modo in opus externum non erumpant, non esse peccatum. Marcellius verò dicit, motus tales absque advertentia & voluntatis liberæ consensione non esse peccatum. Ergo Pharisæi & Marcellius consentiunt. An hac autem ineptiâ magis aliquid ineptum excogitari potest? Miror sanè Doctorem Theologiæ, qualis Seldius videri vult, talibus nugamentis nomen adscribere suum voluisse. Ut quis fugitivus ex cuculla fraterculus, & vix à semi tribus diebus Theologiæ

Luheranæ discipulus tales proferat quisquilias, æquiore animo quis ferat. At tuo sub Doctoris præsidio in Athenæo, uti vocas, publico, tantum stuporem se jactare, nonne pudor est?

§. 3.

Quis sit genuinus sensus verborum S. Pauli: concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret; non concupisces, Rom. 7. 7.

RESP. Est hic. Notitiam peccati perfectam hausi ex lege divinitus per Moysen perlata. Neque enim scivissem internas voluntatis meæ appetitiones, quæ in objectum turpe liberè feruntur, & ab opere solo externo se temperant, ullam apud Deum noxam habere, nisi lex facem mihi prætulisset, & me errorem illum dedocuisset. Ita Interpret. Catholici. Vide Bened. Justin. De lapide, Conzen, & alios.

§. 4.

Quid prohibeatur lege Dei: Non concupisces?

1. Non prohibetur ipsa appetendi virtus sive potentia. Hæc enim vel est ipsamet realiter anima, vel aliqua proprietas animæ sentienti connaturaliter debita. Atqui non potest homini vetari, ut ne animam sentientem, vel potentias animæ sentienti connaturales & debitas habeat. Alias etiam vetari posset homini, ut ne homo esset, quod est absurdum. Ergo. Confirm. In cæteris præceptis non furandi, non occidendi, non irascendi, non ipsæ facultates occidendi, irascendi, occidendi, vetantur, sed actiones. Ergo & in hoc præcepto, non concupiscendi.

2. Neque interdicuntur homini actus concupiscentiæ simpliciter, ut ne illos sentiat. Quia quod necessariò homini accidit, & in eius potestate constitutum non est, ut eo careat vel non careat, non potest ei ex rectæ rationis præscripto vetari. Quis enim ferat imperium, quo jubearis non uri frigore in mediis Thraciæ nivibus? aut prope focum luculentum positum non fieri cale? aut post aliquot dierum abstinentiam neq; esuriem neque sitim persentiscere, neque adeo ullo cibo aut potu refici? Atqui motus concupiscentiæ simpliciter non sunt in hominis potestate, & tam necessariò accidunt, quam frigus, calor, fames, sitis. Ergo non possunt ex ratione ei interdici. Ergo Deus, qui nihil non rectè & rationaliter agit, cum concupiscere vetuit, illos motus non vetuit. Et quæso quis hic stupor, aut quæ demum impietas, Deum propositis inferni suppliciis ea nobis præcipere aut vetare, quæ in nostra non sint potestate?

3. At-

3. Attamen interdicuntur nobis lege divina, actus inordinati concupiscentiæ secundùm quid, id est quo ad consensionem liberæ voluntatis nostræ. Hac enim ratione, turpitudinis moralis maculam nobis inurunt, & ab illis ultro, si volumus, possumus, abstinere. Vetatur ergo appetitionum in turpia ruentium non sensus sed consensus. Ita sentiunt Patres orthodoxi Chrys. Cyrill. Nissen. August. aliique à Cornelio à Lap. cit.

§. 5.

An concupiscentia simpliciter ergo non sit dicenda peccatum?

Ex dictis sequitur non esse. Vel enim cõcupiscentia accipitur pro potentia vel actu. Atqui neutro modo est propriè & in se peccatum. Ergo. Non prior modo. Quia sic vel est ipsa anima nostra à Deo creata, vel proprietas realis ab ipsa naturaliter & necessariò emanans. Atqui ipsa anima nostra, eiusq; necessaria & à nobis independens proprietas non est peccatum, cum peccatum sit aliquid à nobis vel patratum vel omissum contra legem Dei. Ergo. Confir. In Christo non fuit peccatum ullum. Atqui in Christo fuit anima sensitiva & appetitus sive concupiscentia illo modo accepta. Ergo concupiscentia illo modo accepta non est peccatum. Non etiam posteriore modo. Quia actus inordinati concupiscentiæ in objecta vetita ruentes de se non sunt liberi. Ergo non sunt peccatũ. Consequentia est evidens, & innititur principio omnibus rectis mentibus perspicuó, nimirũ huic; peccatum esse nobis voluntarium & liberum debere. Quod qui negat, næ huic Antycirâ opus est. Magnus ille Hipponis Antistes in lib. Retract. 1. c. 15. palàm enunciat: *Peccatum*, inquiens, *ita in sua essentia includit voluntarium, ut si hoc desit, desinat esse peccatum*. Et lib. de vera religione c. 14. sic loquitur: *Usque adeo peccatum voluntarium est malum, ut nullo modo sit peccatum si non sit voluntarium. Et hoc quidem manifestum est adeo, ut nulla hic Doctorum paucitas, nulla indoctorum turba dissentiat.* Dicant ergo mihi Prædicantes quo loco ipsi sint apud S. Augustinum futuri, si dicant concupiscentiam, quantumvis involuntariam, esse tamen verè & propriè peccatum? Si neq; in doctorum paucitate neque indoctorum turba eos patitur, meritò quis dixerit ad brutos pecudum greges ab illo ablegari.

§. 5.

Fumat Seldius tamen contra perspicuam veritatis lucem.

I. Fumus Seldii.

Concupiscentia vocatur peccatum propriè ab Apostolo Rom. 7. 7. Quænam concupiscentia? Ipsane potestas appetendi? An appetitiones ut rationem & consensum voluntatis prævertunt? Falleris. Illam concupiscentiam Apostolus vocat ibi peccatum, quæ lege divina nobis interdicitur, Deut. 5. Atqui neque potestas appetendi, neque ipsi actus ut liberam arbitrii nostri consensionem antevolant, interdicuntur lege divina, ut dixi §. 4, Ergo. Sed pergit fumator noster. *Per concupiscentiam, quam Apostolus lib. cit. vocat peccatum, intelliguntur primi concupiscentiæ motus ad quos consensus nondum accessit.* Nego. *Non debent intelligi motus pravi voluntarii.* Nego. *Poterant hi etiam à gentilibus ex lumine legis naturalis agnosci esse peccata.* *At illi nonnisi ex lege divina agnosci potuere juxta Apostolum.* Hæc te res tam frivola in angustias conjecit? O caput hominis! Audi ergo. Primò, poterant gentiles, & Paulus, solo luminis naturalis, ab affectu sequiore non obscurati, ductu, satis superq; nosse, quanta inesset motibus illis turpitudo, si voluntariè admitterentur, At post depravatum & vitiatum longa consuetudine affectum, & inductam inde mentibus caliginem, aut impossibile aut valde difficile futurum erat, eam veritatem percipere, ut necesse fuerit, saltem secundùm quid, divinam legem, velut lucentiorem quandam è cœlo nobis facem præferri, quo in tam salutarem latentioris peccati notitiam penetrare possemus. Deinde non dicit Apostolus, se omnino cognoscere peccatum istud nequivisse, absque lege divina, ut tu illi imponis, sed protestatur se cogniturum non fuisse, eo quod contraria, quam à puero altè imbiberat, opinio, aciem mentis non parum illi hebetasset. Poterat ergo cognoscere absque lege, sed ob difficultatem cogniturus non erat.

II. Fumus Seldii.

Confer eiusd. cap. 7. v. 8. Confero & sic reperio: *occasione autem accepta, peccatum per mandatum operatum est in me omnem concupiscentiam.* Quid hinc vis conficere? Concupiscentiam appellari propriè peccatum? Non capio equidem stuporem. An ergo peccatum, id est concupiscentia, operata est in Paulo concupiscentiam? Ergo neq; hic concupiscentia appellatur quidem peccatũ, tantum abest ut propriè peccatum appelletur.

III. Fumus Seldii.

Confer v. 9. Confero. Sic habet: *peccatum revixit.* Infer aliquid, sed homine dignum. *Ergo concupiscentia vocatur peccatum propriè.* Imò ne vocatur hic quidem. Sed ut ante dixi, per peccatum Apostolus intelligit appetitiones pravas liberas, quarum cum antea turpitudo hominem pene-

tot

tota lateret, & quasi emortua languesceret, accedente legis vetantis notitia, vitam quasi vigoremque obtinuit suum, ut & animum fœditate sua inquinaret, & illecebris suis interdictis potentiùs alliceret. Solent enim ea quæ vetantur quàm quæ permittuntur appeti vehementiùs, juxta illud: Nitimur in vetitum semper, cupimusq; negata.

IV. Fumus Seldii.

Confer v. 11. Peccatum seduxit me usque ad v, 20. Confero, & reperio concupiscentiam vocari ab Apostolo habitans in nobis peccatum. *Ergo vocatur tamen peccatum.* Propriè. nego. impropriè & tropicè. concedo.

Quando appellatio aliqua tribuitur alicui in propria sede, ubi ex professo de eiusmodi re agitur, competit ei propriè & non tropicè. Quando nulla aperta cogit necessitas aut ratio insignis momenti. Concedo Majorem. Quando cogit. nego. Sed perge ad Minorem, verùm in forma. *Atqui l. cit. Apostolus tribuit concupiscentia appellationem peccati, in propria sede, ubi ex professo de concupiscentia agitur, an pecatum sit nec ne.*

1. Nego Minorem. Cum enim Apostolus tacitè sibi ipsi objecisset, videri consequi legem esse peccatum, id est causam peccati, reposuit minimè id consequi, sed legem peccati notitiam nobis ingerere, concupiscentiam verò nostram ea ratione peccatum esse, quod ex occasione legis vetantis acriùs in malum exstimulet, & voluntatem ad consensum liberum, pelliciendo, peccati ream faciat. 2. Distinguo Min & nulla est ratio urgens appellationem peccati tropicè accipiendi. nego. & est ratio urgens. esto Minor.

Quæ verò hic ratio urgens? Nescin' tu? Quia peccatum ex essentia & necessariò est liberum. Nemo homo ne aliitterus quidem, sed sola bestia id negat, teste magno August. supra laudato. Atqui concupiscentia, eiusque actus vitiosi, cum voluntatis consensionem liberam prævolant non sunt liberi. Ergo. Si tibi hæc ratio Seldi non est urgens, non uteris ratione.

V. Fumus Seldii.

Suffragantur Patres nostræ sententia. Cuinam? *Concupiscentiam esse peccatum propriè dictum.* O fumum! Sed tamen perge recensere. Quinam dicesis Patres.

1. Ambrosius & Augustinus, consentientibus Papistis.

Gemina falsitas. Neuter illorum suffragatur. Nullus Papista consentit suffragari. Nonne ergo fumos vendis?

Bellarmin. lib. 5. de amiss. grat. cap. 22. consentit de Ambrosio. Erras

1. Bellarm. non cap. 22. sed 12. de ea re loquitur. 2. Non consentit ab Ambrosio concupiscentiam vocari iniquitatem propriè dictam, aut delectationem legi Dei formaliter adversam vocari. Tu more impostorum, & tuo, sciens volens per puram putam nequitiam Bellarmino affingis. Sed dicit Ambrosium appellare vitium, quod sit naturæ infirmitas *& non peccatum*, iniquitatem vero, eo quod *deordinatio quædam & perversitas naturæ contra ordinem in prima creatione positum, non tamen propriè peccatum, cum eiusmodi perversitas non sit in voluntate, quæ sola capax est peccati propriè dicti, sed in carne*, demum etiam delectationem divino mandato adversam, quod *concupiscentia involuntaria sit legi Dei contraria solum materialiter, id est ut objectum, non ut actus*. Hæc verba Bellarmini sunt? Nunquid? Et tu adhuc obnubilata fronte fumas, Bellarminum consentire, ab Ambrosio concupiscentiam peccati propriè dicti nomine insigniri? Non pudet tales orbi fucos & fumos vendere?

2. *De Augustino consentit Azor*. Mendacium est dilutum. Audi Azorium lo. à te cit. l. 4. instit. c. 30.

Augustinus itaque concupiscentiam ideo frequenter appellat malum & peccatum, quia contra Palagianos disputabat, aientes eam solam esse conditionem naturæ, non peccatum, nec effectum, nec pœnam peccati. Augustinus autem docet semper esse peccatum, quia vel malum est in se (arrige aures Prædicans ad sequentia) *ut cum ei assensum nostra sponte præstamus, vel peccati pœna ex culpa primi parentis contracta*. Quid nunc Seldi? Nonne res fatua est scribere Azorio consentiente concupiscentiam ab Augustino vocari peccatum propriè dictum? Itane licitum est Prædicantibus sine frōte & sine rubore palam mentiri? Ignoscite Domini Lutherani calamo justè indignanti. Vellem mitiùs tractare Prædicantem vestrum, sed intolleranda eius ineptia vel ab ipsa mititudine iram extorqueat.

3. *Augustinus cum concupiscentiam vocat peccatum, non utitur voce peccati, tropicè, ut pro peccati causa accipiat, uti Papistæ contendunt*.

Imò verò sic utitur. Estq; hæc res adeo perspicua, quam perspicuum est solem lucere cum meri est dies. Audi loquentem l. 1. contra duas epist. Pelagian. c. 13. *Sed de illa concupiscentia carnis falli credo eos vel fallere, cum qua necesse est, ut baptizatus & hoc si diligentissimè proficit, & spiritu Dei agitur, pia mente confligat. Sed hæc etiamsi vocatur peccatum*, NON UTIQUE QUIA PECCATUM EST, audin hoc Prædicans? *Sed quia peccato facta est sic vocatur, sicut scriptura manus cuiusq; dicitur, quod manus eam fecerit*. Potin' hoc claro aliquid clarius? Lib. 1. de nupt. & concup. c. 23. idem repetit. *Sic autem vocatur peccatum, quia peccato facta*

ctia est, cum jam in regeneratis NON SIT IPSA PECCATUM. ecce peccatum ab Augustino tropicè acceptum, nimirum pro effectu peccati originalis, *sicut lingua*, pergit, *vocatur locutio, quam facit lingua, & manus vocatur scriptura, quam facit, Itemque sic vocatur peccatum, quia peccatum, si vincit, facit: sicut vocatur frigus pigrum, non quod à pigris fiat, sed quod pigros faciat.* Ecce iterum peccatum metonymicè pro causa peccati acceptum. Ergo non fingunt Papistæ peccatum ab Augustino accipi tropicè cum ea appellatio concupiscentiæ tribuitur. Et ne de Augustini constantia possis dubitare, audi ex lib. 1. Retract. quem senex & jam in cœlum abituriens meditatissimo calamo exaravit, c. 15. *Hoc peccatum*, inquit, *de quo sic locutus est Apostolus, ideo peccatum vocatur, quia peccato factum est, & pœna peccati est: Quandoquidem de concupiscentia carnis dicitur.* Hæccine intelligis Seldi? Ergo & fucum te facere intelligis, cum blateras non rectè nos contendere, Augustinum peccati notionem tropicè capere cum concupiscentiæ tribuit.

At lib. 5. contra Julian. cap. 3. appellat concupiscentiam non tantùm peccati causam & pœnam, sed etiam peccatum, quia nimirum illi insit obedientia (malè descripsisti, inobedientiam asserit Augustinus) *contra dominatum mentis, &c.*

Itane? An Augustinus illo loco cum peccatum verè appellat, loquitur de concupiscentia consensu voluntatis destituta? O fumeum fumum! Concupiscentia utique peccatum est tunc cum sponte admittitur & libertate arbitrii nostri velut autoramento quodam comprobatur. Id Doctor noster adstruit, & nos ultro fatemur. Vin' verò ad occulum ostendam loco à te laudato ita concupiscentiam sumi? Audi in eod. c. loquentem. *Aliud est*, inquit, *habere mala desideria cordis* (concupiscentiam) *aliud tradi eis, utique ut consentiendo eis possideatur ab eis, quod fit, cum judicio divino traditur eis. Alioquin frustra dictum est, post concupiscentias tuas non eas, si jam quisque reus est, quod tumultuantes & ad malum trahere nitentes sentit eas, nec eas sequitur, si non eis traditur, exercens adversus eas gloriosa certamina si vivit in gratia.* Ergo ex mente Augustini non est peccati reus qui concupiscentiæ motus pravos sentit, sed qui eas sequitur & ultro consentit. Item qui concupiscentiis obnoxius bellum tamen illis facit, vivit in gratia. Ergo non omnis concupiscentia est peccatum propriè dictum. An enim gratia Dei stare potest cum peccato propriè dicto & cum ingratia? *Quid tibi enim videtur*, pergit, *quod observat quod scriptum est, si præstes animæ tuæ concupiscentias eius (quod quid aliud est quàm desideria eius mala?) faciet te gaudium inimicis & invidis tuis? nunquid*

jam

jam iste reus est, habendo tales animæ concupiscentias, quas ei præstare non debet ne in gaudium veniat diabolo & angelis eius, qui sunt inimici atq; invidi nostri? Cùm ergo dicitur homo tradi desideriis suis, inde fit reus, quia desertus à Deo cedit eis atq; consentit, vincitur, capitur, possidetur. A quo enim quis devictus est, huic est servus addictus est. Ergo tunc prava concupiscentiæ desideria sunt verè peccatum ex mente Augustini, cum homo propter peccata præcedentia à Deo desertus, traditur eis, ut cedat, consentiatque eis. Et quæso Seldi, quomodo potuit vir ille longè scientissimus, & sui semper quam maximè memor, concupiscentiam ut consensum voluntatis antevertit, vocare peccatum; cum toties tamque disertis verbis edixerit, atque adeo huic sententiæ in lib. Retract. immortuus fuerit, nimirum ad essentiam peccati omnino pertinere ut sit voluntarium, absque hoc nullo modo consistere posse, id à nemine homine, doctus indoctusve fuat, negari. Atqui concupiscentia ut sic, non est voluntaria, sed necessaria. Ergo.

VI. Fumus Seldii.

Quando Augustinus dicit concupiscentiam non esse peccatum, non sunt hæc verba accipienda absolutè & simpliciter. Non? Qua ergo ratione? *Sed comparatè & secundum quid,* videlicet, *quod concupiscentia non sit peccatum cum reatu conjunctum.* Fumus est hic. Si non est reatus, non est peccatum propriè. Omne peccatum est reatus culpæ, & omnis reatus culpæ peccatum. Nullibi hæc Augustinus distinguit. At peccatum & concupiscentiam involuntariam simpliciter & absolutè distinguit. l. 2. de Gen. contra Manich. c. 14. *Aliquando ratio viriliter etiam commotam cupiditatem refrænat atq; compescit. Quod cum fit non labimur in peccatum, sed cum aliquanta luctatione coronamur.* lib. de civ. Dei cap. 25. *Illa concupiscentialis inobedientia quanto magis absq; culpa est, in corpore non consentientis, si absq; culpa est in corpore dormientis.* lib. 6. in Julian. c. 5. & c. 11. *Omni peccato carent justificati, sed non omni malo.* Atqui non carent concupiscentia. Ergo hæc simpliciter non est peccatum ex mente Augustini. Tract. 41. in Joan. *Nunquid quia deleta est tota iniquitas,* in justo renato, *nulla remansit infirmitas?* Atqui non est deleleta concupiscentia. Ergo hæc non est iniquitas ullo modo, neque reatus. Idem dicit serm 6. de verb. Apost. *Restat ergo cum carne conflictus, quia deleta est iniquitas, sed remanet infirmitas,* nimirum concupiscentia.

At fumat adhuc Seldius. *S. Aug. lib. 2. contra Julian. in epil. ita se explicat.* Quî ita? Ut concupiscentia sit peccatum propriè, absq; reatu tamen? Miror impudentiam tuam infrunitam Prædicans. Ne verbulo

bulo uno illic huiusce rei fit mentio. Et si Augustinus alibi dicit concupiscentiam non dici peccatum, eo modo quo facit reum, sed quod sit reatu primi hominis factum, & quod nos trahere nititur ad reatum . illud ipsum est quod nos volumus, nimirum, non esse ullo modo propriè peccatum. Nam Augustino reatus & peccatum propriè dictum planè est idem. Unde l. 1. de nupt. & concup. cap. 25. dicit: *hoc est non habere peccatum, reum non esse peccati.* Quàm ergo frivolum & inane est, fingere, quod Augustinus concedat concupiscentiam in renatis manere, quo ad rationem peccati propriè dicti, sed non quo ad rationem reatus? Et quis unquam aut ubi unquam S. Auguguſtinus, vel Bernardus, vel quivis alius integræ mentis Theologus, inter reatum culpæ & culpam ipsam sive peccatum distinxit? Tu Bernardum huc trahere niteris, sed invitum & reluctantem. Vocat ille concupiscentias peccati quoddam genus quod reprimi possit, sed ejici in vita mortali non possit. Fateor. At ut fatear propriè peccatum vocare, neque me ratio ulla, neque eius verba vel leviter persuadent. Quod ejici non potest, voluntariè non inest. Quod voluntariè non inest, peccatum non est propriè dictum. Nemo id, nisi pecus, ignoret teste Augustino. Ergo quod ejici non potest, propriè dictum peccatum non est. Atqui concupiscentia, teste Bernardo ejici non potest. Ergo concupiscentia teste Bernardo, peccatum non est. Equidem idem Doctor melleus tract. de morib. & off. Episcop. & Prælator. c. 5. clarissimè mentem suam nobis explanat *Corpus*, inquit, *gesto mortis, carnemq; peccati, sufficit interea mihi si non regnat peccatum in meo mortali corpore. Sic corpus crimini non reputatur, nec hoc quod habitat in eo peccatum, si tamen non delector, si tamen non exhibeo membra mea arma iniquitati.* Concupiscentia absque assensione libera non magis est peccatum, quàm corpus in quo illa residet. Ita Bernardus. Atqui corpus nostrum nullo modo est peccatum propriè dictum, Ergo neque concupiscentia juxta S. Bernardum ullo modo est peccatum propriè dictum.

CAPUT III.

De secundi Pharisaismi pseudoparallelismo, circa liberum arbitrium.

§. 1.

Seldius errorem Pharisæorum fingit circa libertatem.

ET geminum quidem fingit geminà falsitate. *Error*, inquit, *Pharisæorum*

rum erat, hominem habere liberum arbitrium non tantum quo ad res externas & civiles sed etiam quo ad res spirituales. Error hic est fateor, sed tuus. Perge errare. *Alter est quod statuerent hominem posse mereri.* Hic iterum error, sed semper tuus. In utroque rectè sapiebant Pharisæi. Tu verò cum eos culpas, ostendis omnibus Pharisæis te esse cæciorem, qui in re tam turpiter deliras, in qua illi ex ratione sunt philosophati. Edic enim, quis unquam antiquorum Pharisæos eius erroris arguit? quis sanctorum Patrum damnavit? aut quis demùm sacræ paginæ apex aliquod indicium dedit?

Evidenter liquet ex Colloquio Christi cum Nicodemo. Evidenter liquet? Perpol iste homo aut amens est, aut nos omnes amentes putat. Quomodo amabo inde liquet, & evidenter quidem?

Exprobratur nocturno discipulo ignorantia doctrinæ de naturæ corruptione, quâ libertas arbitrii ad res spiritales sublata fuit. Deum immortalem! quæ ista res? Exprobratur ignorantia Nicodemo. Ita quidem. At ignorantia doctrinæ de naturæ corruptione, & de corruptione quæ in negatione liberi ad res spiritales arbitrii sit sita, quæso rogoque quomodo, quibusque verbis ibi exprobratur? Iterum cogor dicere, aut hic homo amens est aut nos amentes putat. Enim verò in forma Logica tale est eius argumentum. Nicodemo exquirenti qui homo fidelis possit aut debeat denuo ex aqua & spiritu S. nasci, reponitur à Christo: Tu Magister in Israel es & hæc ignoras? Ergo Nicodemo exprobratur ignorantia de naturæ corruptione, quâ libertas arbitrii ad res spiritales sublata fuit. Profectò Seldi hoc argumentum tale est, ut nisi multo mero meraco, aut Schluntio Erfordiensi largè perfundas non possit liquere. Ego equidem te citiùs è flamma cibum petere aut à pumice aquam liquidam liquidò hausturum crediim, quàm ut eam consecutionem ex eo loco liquidam faxis. Vehementer metuo, ne hanc insipientiam (talis enim verò est) liquido, & ab lagena nimis madente cerebro conscripseris.

§. 2.

Sententia Catholicorum circa præsentem materiam exponitur.

I. Propositio. *Non habemus liberum arbitrium circa actiones supernaturales saluti necessarias, eâ quidem ratione, ut sine gratia divina ope possimus eas elicere.* Hic enim est error Pelagianorum condemnatus olim in Concil. Palæst. Arausic. & Trident.

II. Pro-

II. Propos. *Supposito gratia supernalis auxilio, possumus liberè credere, sperare, amare Deū super omnia, & cateris actibus supernalibus saluti aterna indipiscenda tum necessariis tum utilibus operam dare, aut eosdem omittere.* Ita definitum in Concil. Arauf 2. can. ult. Valent. c. 6. Tolet. 4. cap. 55. Trid. seß. 6. cap. 5. ubi sic dicitur: *Declarat praterea ipsius justificationis exordium in adultis à Dei per Christum Jesum praveniente gratia sumendum esse, hoc est ab eius vocatione, quâ nullis eorum existentibus meritis, vocātur, ut qui per peccata à Deo aversi erant, per eius excitantem atque adjuvantem gratiam ad convertendum se ad suam ipsorum justificationem, eidem gratia liberè assentiendo & cooperando disponantur, ita ut tangente Deo cor hominis, per spiritus sancti illuminationem, neque homo nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abjicere potest, neque tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam coram illo liberâ suâ voluntate possit, &c.* Idem Conc. can. 4. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motū & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat, ac praparet, neque posse dissentire si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, merèque passivè se habere anathema sit.*

III. Popos. *Etsi absque gratia non possimus operari supernaturália, non tamen ideo rectè negari potest, nos in ordine ad actus supernaturales & conversionem nostram ad Deum, habere liberum arbitrium.* Prob. Quia libertas in hoc consistit, ut voluntas, positis omnibus ad agendum necessariis, possit agere & non agere; neque est necesse, ut etiam necdum positis ad agendum necessariis, vel ut sine illis necessariis possit & non possit in actum exire. Ergo libertas in ordine ad supernales actiones in eo consistit, quod humana voluntas divinæ gratiæ auxilio (quæ est unum ex necessariò requisitis ad operandum) jam tum convenienter instructa, possit & agere & non agere, & non est opus ut sine gratia possit. Confirm. ex naturalibus. Sine auxilio connaturali Dei nihil possumus unquam etiam naturale effectum dare, neque adeo festucam unam humo tollere, & tamen absolutè dicimur libertatem obtinere ad actiones naturales pro libitu nostro exercendas. Neq; ea libertas in eo consistit, quod absq; Deo per concursum naturalem opitulante & influente quicquam possimus, sed quod cum illo agere & actum omittere possimus. Atqui quod in hisce est auxilium Dei naturale, id in istis altioribus ad salutem spectantibus est auxilium eiusdem supernaturale, & gratia indebita. Ergo sicut istud non officit libertati in istis, ita neque hoc in hisce.

§. 3.

Seldius contrarium opinatus, Deum aut amentem aut tyrannum facit.

Ostendo. Edic Seldi quid tibi videtur? Si celsissimus Princeps tuus Vinariæ Dux tale edictum publicaret. Nemini meorum subditorum deinceps adulta æstate, cum in aprico sole laborat, æstuare aut sudare liceto. Nemini media hyeme, gelante cœlo, sub dio stanti algere fas esto. Nemo ab igne prope posito uritor. Nemo unquam comedito aut bibito. Nemo tamen famem aut sitim sentito. Qui verò quicquam horum unquam uspiam faxit capite & bonis omnibus minuitor. Quid si addat insuper? Singuli tum ære tum capite solo censi ex subditis millionem auri in annos singulos fisco pendunto. Singuli leporem unum, quem cursu ipsi ceperint ad aulam ferunto. Omnes annuatim semel ad centrum terræ descendunto. Unam ex stellis halitu exstinguunto. Solem manibus tangunto. Lunam dentibus mordento. Quisquis jussa hęc non faxit, mulctam millies sestertium solvito, & vitæ suæ exhæres esto. Quid inquam Seldi videtur? Audio quid dicas. Nimirum non posse ab Illustrissimo Duce vestro talia mandata perferri. Et quid ita? Quia Princeps sapiens est & æquus, in quem non possit cadere, talis vel stupor vel tyrannis ut impossibilia jubeat vetetue. Rectissimè quidem. At perge respondere. An non Deus summè, supraque omnes mortales, & sapientia & bonitate insignis? Ita. Ergo multo minus in illum cadit insanus ille furor, ut sub gravissimis æternæ damnationis pænis, atrocissimisq; suppliciis, nullo unquam tempore finituris, severè interdicat nobis, quæ cavere planè non possumus, & durè præcipiat, quæ præstare in nostra non est potestate aut viribus. Atqui tu id hoc loco facis. Dicis concupiscentiam esse lege divina vetitam, quâ nemo nostrum carere, si velit, potest. Addis ad actus supernaturales fidei, spei, charitatis, pænitentiæ, alios quos nos libertatem non obtinere, ut præstare cum volumus, queamus. Et hos tamen Deus præcepto gravissimo exigit, & nisi præstemus, exilium orcumq; perpetuum interminatur. Quomodo ergo Deus aut non amens aut non tyrannus? Miror Prædicantes, qui quam de Principibus suis dicere non ausint, de Deo impietatem asserere minimè verentur.

§. 4.

Fumi Seldii contra superiorem doctrinam facti, dispescuntur.

I. Fu-

I. Fumus Seldii.

Scriptura suppeditat testimonia generalia, quæ libertatem arbitrii circa spiritualia tollunt.

Circa spiritualia? Itane? Ergone circa omnes omnino actus voluntatis nostræ etiam naturales? Nam hi certè spiritales sunt, nisi tu & te & nos pecorinam animam habere credis. Vide ergo quanta tua hic sit oscitantia. Sed voluisti dicere supernaturalia. Nunquid? Ergo de his audiamus quid fumes.

I. *Testimonia*, inquis, *sacra, introducunt hominem post lapsum, per peccata penitus corruptum.* Penitus? Ut cum divina gratia liberè non possit credere, sperare, Deum amare? Fumus. Produc enim sis testimonia. Audite quæso Domini Lutherani, & expendite, an non Seldius vester synciput læserit. Age, perge Seldi.

Joan. 3. 6. dicitur: Quod natum est ex carne caro est, & quod natum est ex spiritu spiritus est. Verba Christi sunt. Exosculor & veneror. Sed tu face consequentiam hanc: *Ergo post lapsum homo est per peccata penitùs corruptus, ut cum auxilio gratiæ divinæ etiam non possit liberè agere quæ ad salutem æternam conducunt.* Face inquam apertè, ut videant omnes te insanire apertè. Quæ malum ista colligendi stupiditas, & quidvis faciendi insania? Sed tamen quia cæpisti, perge porrò.

Galat. 5. 19. Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, &c. Ita. Infer. *Ergo homo per peccata est penitus corruptus, ut ad supernaturalia non habeat libertatem.* Inepta ineptia. Cur non ex sequentibus: *Fructus autem spiritus S. charitas, gaudium, pax, &c.* colligis hominem etiam post peccatum posse cum gratia Dei converti, & fructus spiritus enumeratos proferre?

Ephes. 2. 3. In quibus & nos omnes aliquando conversati sumus in desideriis carnis nostræ, facientes voluntatem carnis & cogitationum, & eramus naturâ filii iræ, sicut & cæteri. Ita verissimè Apostolus docet. Tu infer. *Ergo Apostolus docet nos ita corruptos, ut cum gratia Dei nihil supernaturale possimus.* Oportet te hercule Seldi in pharmacopolio aut moletrina, ubi mortariis & pistillis res agitur, has consequentias machinatum esse. Nam perpol nulla arte, quam Aristoteles quidem noster in Organo suo tradidit, extundi potuerunt.

II. *Testimonia scripturæ inducunt hominem post lapsum, non nisi pronum ad malè agendum, Gen. 6. 5. Matth. 7. 18. Luc. 6. 43. 44.*

Fucus & fumus triplex. 1. Falsum est, omnem omnino hominem teste scriptura non nisi pronum esse ad malum. Pronum esse dicit, ad ma-

lum, fateor. *Non nisi ad malum* esse proclivem tu confingis dicere. 2. Falsum, cum gratia divina non nisi ad malum facilitari. At nos dicimus gratiæ auxilio ad supernaturalia elevari. 3. Falsum, inde consequi non posse operari benè supernaliter. Dic enim sodes, an non homo proclivis ad malum politicum? Ideone non potest operari benè naturaliter politicè? Item, cur non possit homo operari contra pronitatem à natura inditam? Nunquid non tu tantùm pronus ad male agendum? Dicis sacram paginam testari. Ergo pronus es tantùm ad furandum tantùm ad necandum, tantùm ad mæchandum. Ergo non potes non furari, necare, mæchari. Ergo tu es fur, latro, mæchus. Aut si hanc consequentiam abnuis, concedas oportet hominem non necessariò operari juxta impetum naturalem pravæ pronitatis suæ, idq; tunc præsertim, cum gratiæ divinæ auxilio adjuvatur.

III. *Scriptura profitetur hominem à peccato commisso, destitutum viribus se convertendi.* Jerem. 13. 23.

Distinguo. Hominem sine gratiæ auxilio, & cum solis naturæ viribus spectatum. Concedo. Id nobis equidem non repugnat, ut patet ex §. 2. prop. 1. Cum gratiæ supernaturalis auxilio spectatum. nego. Id scriptura non testatur. Quod si tu testari dicis, fumum facis

II. Fumus Seldii.

Specialia scripturæ loca quæ arguunt mentem cæcitatis, & voluntatem contumaciæ.

Ad quid verò specialiter faciunt? Ut ostendant hominem non posse liberè benè agere in supernaturalibus? O quàm turpiter fumas! Ecce enim argumentum tuum in forma: *Intellectus cæcus, & voluntas contumax non possunt liberè benè agere in supernaturalibus. Atqui teste sacra pagina intellectus hominis est cæcus, & voluntas contumax. Ergo.* Nunquid ita vis? Respondeo ergo: Distinguo Maj. non possunt, sine gratia spectati. concedo cum gratia. nego. Item disting. Min. intellectus hominis est cæcus, & voluntas contumax, Sine gratia Dei. concedo. cum gratia Dei. nego Min. Ergo. Nego consequentiam. Ubi nunc fumus tuus Seldi? Quod verò ad hæc adducis Gerhardum, Meisnerum, & Chamierum, nihil tibi prodest, nisi ut ostendas te non absque exemplo ineptire.

I. *Facit in hanc rem illud* Rom. 6. 16. Non facit. Adduc enim locum si audes. *Nescitis, quoniam cui exhibetis vos servos ad obediendum, servi estis ei cui obeditis, sive peccati ad mortem, sive obeditionis ad justitiam.*

Age

Age Seldi. Adsis cum mortario illo tuo consequentiarum artifice. Tunde, pinse, epistilla, si potes pollesque, ex hisce Apostoli verbis, intentum tuum, nempe hoc: *Ergo non possumus liberè quicquam agere in supernaturalibus.*

Verba hac citantur à Patribus Concilii Arauf. 2. in illum sensum. Fumum facis, mi vir.. *Sic definiunt car. 1. si quis per offensam pravaricationis Ada, non totum, id est, secundùm corpus & animam, in deterius dicit commutatum, sed anima libertate illasa durante, corpus tantùm credit corruptioni obnoxium, Pelagii errore deceptus adversatur scriptura dicenti: nescitis quoniam, &c.* Benè descripsisti. perge. *Quo ipso docetur animam ob libertatem lasam, servam esse peccati.* Sine gratia. concedo. cum gratia nego. *adeoque arbitrium esse servum, hoc est liberum arbitrium quo ad actiones spirituales esse titulum sine re.* Hic geminum fucum facis. Primò quod more tuo perversè ex vero falsum colligas. Secundò, quod tuam consequentiam eodem charactere à reliquo tuo contextu diverso exprimas, atque si ea verba essent Concilii Arausicani sicut præcedentia. Quod quomodo à fuco & nequitia excuses tu videris.

II. *Facit in rem illud Ioan. 15. 5. Sine me nihil potestis facere. & 2. Cor. 3. 5. Non sumus idonei.* Nego facere in rem tuam. *Iidem Arausicani can. 7. in eum sensum laudant.* Fumum facis, non laudant in tuum sensum sed nostrum. Audiamus enim verba. *Si quis per natura vigorem bonum aliquod, quod ad salutem pertinet vita aterna cogitare aut eligere, sive salutari pradicationi consentire posse affirmat, ABSQUE ILLUMINATIONE ET INSPIRATIONE SPIRITUS. qui dat omnibus suavitatem in consentiendo & credendo veritati. haretico fallitur spiritu, non intelligens vocem Dei in Evangelio dicentis: Sine me nihil potestas, &c.* Audistin' in terminis nostram sententiam? Dicimus nos non posse quenquam supernaturales actus ad salutem conducentes elicere absque gratia. Addimus cum illa gratia posse. An hoc non hisce verbis omnino consentit? Vin' verò tu ut mihi persuadeam te tam belluinum esse atque hebetem, ut ex verbis illis ita concludas: Non possumus aliquid spiritale facere absque opera & ope gratiæ sancti Spiritus. Ergo simpliciter non possumus aliquid spiritale facere, neque ad hoc habemus libertatem? Esset hic stupor sanè Doctore tanto indignus, & planè huic similis, si quis in rebus naturalibus parem necteret consequentiam hoc modo: Seldius non potest incedere sine pedibus. Ergo Seldius simpliciter non potest incedere. Seldius non potest bibere aut poculum ori admovere absque auxilio Dei & concursu causæ primæ. Ergo Seldius non potest bibere

aut

aut poculum ori admovere, neque ad hoc habet libertatem. Quod si hæc consequentia Arcadica, & ad molendinum ablegandaest, etiam prior tua est. Denique non legisti in eod. Concil. Arausf. can. ult. Ubi iidem Patres apertè pro nobis contra te pronunciant hoc modo: *Hoc etjam secundùm fidem Catholicam credimus, quo acceptâ per baptismum gratiâ, omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint.* audin' Prædicans POSSINT? *& debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Necdum te pudet Seldi? Pergunt illi, post pauca. *Hoc etiam salubriter profitemur & credimus, quod in omni opere bono nos non incipimus, & postea per Dei misericordiam adjuvamur: Sed ipse nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem sui prius inspirat, ut & baptismi sacramenta fideliter requiramus, & post baptismum cum ipsius adjutorio, ea quæ sibi sunt placita, implere possimus.* Audin' iterum quod implere possimus? Si hic te deprehensum non sentis; sensu non uteris.

III. Fumus Seldii.

Dissentiunt in hac doctrina à Marcellio & Papistis Patres. Nego. *Kemnitius & Gerhardus probarunt.* Uti tu, ineptè, & fucos obtrudendo. *Saltem Sixtus Senensis fatetur Augustinum ita contra Pelagianos docuisse, ut Papistica doctrina parum faveat.* Fumum hunc tuum superius dispuli. *Bellarminus disertiùs lib. 4. de grat. & lib. arbitr. c. 30. dicit Augustinum propter insidias Pelagianorum vix unquam audet liberum arbitrium asserere.* Ego in Bellarmino caput illud & verba non reperio. Ast lib. 6. de grat. & lib. arbitr. cap. 11. reperio ex omnibus decem tomis Augustini probari hanc veritatem, de qua hic litigamus, nimirum nos in operibus etiam piis supernaturalibus, libertate nostra uti.

IV. Fumus Seldii.

Dissentiunt ab Marcellio multi Papistæ. Multi? Cedo unum. *Theologi Principum Catholicorum in Comitiis Augustinis, & Joannes à Daventria, & Hofmeisterus non invenere quod reprehenderent in doctrina nostra.* Quâ vestrâ? quæ dicit quod tu modo hic blatis, per peccatũ sublatam esse liberatem quo ad opera spiritalia & supernaturalia? Vehementer erras. Non est hoc dogma quod Principes & Theologi nostri Augustani calculo comprobarunt suo. Confessionis articulus 17. de l. arbitr. planè concedit arbitrii libertatem, tum in rebus naturalibus, tum in supernaturalibus ad salutem æternam facientibus. Nam dicit humanam voluntatem habere libertatem ad deligendas res rationi subjectas. At non habere vim

sine

ſine Spiritu ſancto efficiendæ juſtitiæ ſpiritalis. Dicit effici in nobis juſtitiam ſpiritalem cum adjuvamur à ſpiritu S. Dicit in ſpiritalibus motibus, vero timore, conſtantiâ, fide, &c. opus eſſe regi nos & juvari à ſpiritu S. Damnat Pelagianos, & omnes eos, qui docent, quod ſine ſpiritu S. ſolis naturæ viribus poſſimus Deum ſuper omnia diligere, legem Dei facere quo ad ſubſtantiam actus. Hæc omnia meritò illi ut fidei Catholicæ conſentanea accepere. Tu verò quid? Dicis voluntati noſtræ in ordine ad illos actus ſupernaturales ſublatam eſſe libertatem. Ubi hoc articulus confeſſionis Auguſtanæ profitetur? Cum eo quod arbitrium ſine gratia & ſpiritu S. nihil in eiuſcemodi actibus poſſit præſtare, optimè conſiſtit plena libertas. Uti planè, cum eo quod in operationibus naturalibus non poſſumus vel minimum aliquid moliri abſq; Deo eiuſque concurſu connaturali, conſiſtit eadem voluntatis noſtræ libertas, in ordine ad res illas naturales. Quod cum intelligerent optimi illi viri, neque vellent fraudem ſub verbis fucatis latentem ſuſpicari (credebant equidem cum Germanis ſeſe & fidis pectoribus rem habere) articulum illum ultro admiſêre. Quanquam eſſent, qui inſidiantem ſub herba anguem ſubveriti, ſuſpenſo magis gradu inceſſerint, neque ex omni parte articulum illum ſuo voluerint ſuffragio comprobare.

CAPUT IV.

De tertii Phariſaiſmi imaginarii pſeudoparalleliſmo, circa impletionem legis.

§. I.

An Phariſæi errorem habuerint circa impletionem legis divinæ?

I. Affirmat Seldius, at more ſuo non rationes ſed fumos adducit.

II. Prima ratio primus fumus eſt. *Chriſtus reprehendit juſtitiam Phariſæorum, & dicit non ſatis fuiſſe ad ſalutem conſequendam: Niſi abundaverit juſtitia veſtra. Matth 5. Ergo illi errabant in hoc quod putarent ſe poſſe ſufficienter ad ſalutem legem implere.*

At diſflo fumum, & diſtinguo Antecedens. Chriſtus reprehendit juſtitiam, quam docebant. nego. quam vitâ hypocriticâ fallaciter exercebant. concedo. Ergo. nego conſequentiam. Item tranſeat Anteced. quod reprehenderit Servator doctrinam quàm de juſtitia & legis divinæ impletione tenebant. nego tamen conſequentiam. An non enim innumeri alii errores circa impletionem legis & juſtitiam accidere potuerunt?

An non satis est ad reprehensionem, quod Pharisæi putarint legi divinæ fieri satis, si ab externis pravis actibus, puta homicidio, furto, adulterio, manus temperarent, internas verò harum rerum appetitiones, quantumcunq; deliberatè admissas, saluti nihil officere? Et Servator quidem hoc ipsum loco cit. apertè commemorat. Iterum, esto, Pharisæi senserint posse se legem implere, atq; ita quidem ut sufficeret ad salutem, non conficitur per errorem ita sensisse. Quid si dixerint se posse cum auxilio gratiæ divinæ? Certè hoc dicendo minimè errassent. Unde verò tu probes non ita sensisse?

Quia Christus reprehendit eorum justitiam & doctrinam. Omnem omnino? nego. Aliquam, concedo. Sed tu proba, illam aliquam constitisse in hoc, quod tu fingis, dogmate, nimirum se sine gratiæ adjumenmento posse legem divinam ex omni parte adimplere.

III. Alter fumus Seldii. *Quidam è Pharisaica schola discipulus, Matth. 19. Marc. 10. ita sensit.* Quid sensit? Se sine gratia Dei posse legem implere? Unde tibi istuc constat? *Quia Christo respondit, se omnia mandata servasse à juventute sua.* Præclara scilicet illatio! Dixit se servasse omnia mandata. Ergo sensit se posse omnia servare sine gratia Dei. Atque si dicat quis: Seldius fatetur se tota Topica Anti-Marcelliana scripsisse. Ergo sentit se sine calamo posse scribere. Item, Seldius fatetur se filium genuisse. Ergo sentit se fine uxore filium gignere posse. Item, Seldius fatetur se Römhildæ ad populum ex suggestu verba sæpe fecisse. Ergo sentit se sine auxilio Dei verba facere posse. Nunc ex te quæro Seldi: an non hæ ineptæ consequentiæ? An non tamen tuæ simillimæ? Iterum quæro ex te, an Lucas Evangelista & spiritus ipse sanctus fuerit Pharisæo errore tinctus? Non inquis? At uterque Luc. 1 fatetur Zachariam & Elisabetham *ambos fuisse justos ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela.* Ergo fatentur illos legem implesse. Ergo senserunt potuisse ab illis impleri & totam servari. Ergo vel illi etiam Pharisæorum nævo inquinati erant, vel certè non sequitur, eum qui sentit totam legem posse ab homine impleri, esse Pharisæum. Iterum quæro, an non S. Paulus fatetur 2. Tim. 4. 7. *bonum certamen se certasse, cursum consummasse, fidem servasse, in quo reliquo repositam sibi eâ causâ esse coronam justitiæ à justo judice Deo reddendam?* Ergo fatetur à se legem impletam. Quomodo enim fidem servavit, cursum consummavit, bonum certamen certavit, si legi divinæ refractarius extitit? Ergo sensit à se posse fidem servari, cursum consummari, bonum certamen certari, legem

gemq; Dei impleri. Ergo vel etiam S. Paulus fuit Pharisaismo lapsus, vel sentire posse à se legem impleri, non est Pharisaismus.

§. 2.

Doctrina Catholica circa impletionem legis divinæ exponitur.

I. Propositio. *Lex divina secundùm aliquam partem, & pro brevi tempore, potest etiam solis naturæ viribus impleri.* Prob. Aliqua pars legis est, non furandum, non occidendum, non mæchandum. Atqui potest homo, pro brevi aliquo tempore, quo vel occasio vel tentatio nulla urget talium flagitiorum, ab illis continere, & quidem naturaliter & facilè, ut usus quotidianus manifestè docet. Ergo.

II. Propos. *Tota Dei lex & pro longo tempore non potest solis naturæ & arbitrii creati viribus impleri.* Prior pars evidens est. Quia lex præcipit actus fidei, spei, charitatis, contritionis, &c. supernaturales. Atqui hi elici absque gratia non possunt. Ergo lex ex ea parte sine gratia impleri non potest. Posterior pars patet. Quia graves & frequentes tentationes superare homo infirmus non potest, nisi gratiæ ope fultus. Atqui pro longo tempore accidunt sæpe tentationes ad malum graves. Ergo.

III. Propos. *Tota lex pro toto tempore, etiam perfectè impleri potest ab homine, auxilio gratiæ supernaturalis.*

Nam 1. aliqui impleruntr, teste scriptura, Luc. 1. At non suis viribus. Ergo per gratiam. 2. Non implicat contradictionem totam ab homine gratiâ adjuto legem impleri. Ergo potest impleri. 3. Deus severè sub interminatione æterni apud inferos supplicii mandat impleri. Ergo cum gratia à nobis impleri potest. Quomodo enim Deus optimus & sapientissimus præcipere seriò nobis potest, quod novit nequidem cum eius gratioso auxilio præstari unquam posse? Non tamen bestiæ sumus Catholici, ut Deum ita agere aut velle aut posse nobis persuadeamus. Apage Deum tyrannum! 4. Omnia potuit Paulus in eo qui eum confortabat Philipp 4. Ergo & legem totam servare. Quomodo enim potuit omnia, si istuc quidem non potuit?

§. 3.

Fumi Seldiani repellantur.

Quicquid sit ergo de Pharisæis an putarint solis naturæ viribus totam impleri vel non, clarum est nos erroris accusari absque calumnia non

 posse,

posse, cum uno ore omnes profitcamur, solis naturæ creatæ viribus non posse, cum gratiæ autem divinæ auxilio posse legem totam impleri. Contra quam doctrinam, quæ hic Seldius pueriliter nugatur talia sunt, quæ uno nebulæ fumive cyatho nemo sanus emat. Recensenda tamen sunt.

I. Fumus Seldii.

Lex spiritualis est, ego autem carnalis sum, Rom. 7. 14. Ergo non potest lex ab homine impleri.

Ab homine carnali, sed spiritali gratiæ auxilio instructo? O pepone insulsius caput! *Inter ea non potest esse subordinatio, inter quæ est oppositio. Atqui inter legem spiritalem & carnalem est oppositio. Ergo.* Unde hoc tam argute argutum argumentum? Ex capite ne an cucurbita? Nego Majorem. An non inter principem & subditum, Dominum & servum, patrem & filium, Magistrum & discipulum est formalissima oppositio? Tamen hæc subordinantur invicem. Imò subordinatio importat formalissimam oppositionem, & neque esse neque cogitari potest sine oppositione. Quid ergo tu nugaris? Ergo sanè tam ingeniosus non sum, ut videre possim, qua demùm ratione ex hoc: *Lex spiritalis est, homo carnalis*: deduci hæc queat illatio: *Ergo homo non potest legem implere.* Ignoscat ergo Seldius stupori meo, & non vertat vitio, si pari modo colligam Seldium, nullam etiam legem civilem quantumvis utilem justamvè, ab legitimo Magistratu latam, servare & implere posse. Sic enim arguo. Lex ab Illustrissimo & celsissimo Principe, Duce Vinariæ posita, qualiscunque & de quacunque re sit, est lex. Seldius non est lex. Ergo Seldius non potest legem implere. Lex est res moralis, Seldius est res physica. Ergo Seldius non potest legem implere. Lex est permanens & perpetua, Seldius est temporaneus. Ergo Seldius non potest legem implere. Lex est accidens, Seldius est substantia. Ergo Seldius non potest legem implere. Ad hæc quid faciet Seldius, si quis ita arguat: Lex, non furaberis, non mæchaberis, est spiritalis, Seldius autem carnalis. Ergo Seldius non potuit illam implere. Ergo non potuit non furari & mæchari. Ergo Seldius est fur & mæchus? Vides, quod ad furcam & gladium carnificis tua te adducat philosophia?

II. Fumus Seldii.

Refutari potest hic error suffragio aliorum Papistarum. Cedò suffragia. *Attulit ea D. Gerhardus.* More vestro, aut non intellexit, aut depravavit.

III. Fu-

III. Fumus Seldii.

κατ' ἄνθρωπον sic argui Marcellius potest. Audiamus κατ' ἄνθρωπον. *Si non aliter præcepta servantur & servari possunt, quàm servata sint ab adolescente illo Matth 19. 20. sequitur quod à nemine servari possint. Atqui prius est: Ergo est posterius.* Nego Majorem. κατ' ἄνθρωπον. Tu proba. Sed κατ' ἄνθρωπον.

Maiorem probo ex Patribus qui dicunt adolescentem illum esse mentitum. At probare debes κατ' ἄνθρωπον, nimirum Marcellium, non autem κατὰ πατέρας. An non ergo ab instituto pueriliter deficis? Nonne vides Marcellium in suo argumento cum S. Basilio, Chrys. Euthymio & aliis supposuisse adolescentem vera locutum? Ergo si ad hominem arguere volueras, juxta eam hypothesin arguere debueras, & non ex contraria quorundam Patrum opinione, à quibus Marcellius dissentit, in Marcellium disputare.

Quid vero S. Thomam Aquinatem tantopere urges? Illene consentit adolescentem illum mentitum, cum dixit præcepta se omnia à juventute servasse? Ostendis sanè te summam Doctoris aut non legisse omnino, aut saltem non intellexisse. Vin' ostendam te injuriâ illum pro mendacio adolescentis laudasse? Audi loquentem loco quidem à te cit. *Impossibile est enim implere mandatum quod dicit: Diliges proximum tuum sicut te ipsum: & esse divitem & maximè tantas possessiones habere.* Jam animum adverte Prædicans & aures. *Quod intelligendum de perfecta impletione huius præcepti. Imperfectè autem & communi modo verum est eum* (adolescentem) *observasse præcepta.* Qualis autem illa perfectio sit, subdit. *Perfectio enim principaliter in observantia præceptorum charitatis consistit, ut supra habitum est; ut ergo Dominus ostenderet perfectionem consiliorum utilem esse & innocentibus & peccatoribus, non solùm vocavit adolescentem innocentem, sed etiam Matthæum peccatorem.* Jam intelligis quomodo ex mente S. Thomæ adolescens sit mentitus, cum dixit se præcepta observasse? Nimirum, quod præcepta non servaverit usque ad perfectionem (indebitam) consiliorum. Quomodo enim innocens fuit, si & mandata uti tenebatur non servavit, & Christo roganti impudenter in faciem mentitus fuit?

CAPUT III.

De quarti Pharisaismi fictitii pseudoparallelismo, circa justitiam legalem.

§. 1.

Justitia Pharisaeorum.

FUit, inquit Seldius, 1. *merè externa.* 2. *hypocritica.* 3. *Vana & ad gloriam Dei minimè relata.* Benè est. Non contendo Perge parallelum addere.

§. 2.

An justitia Catholicorum sit Pharisaica?

Affirmat Seldius. At cum probationem aggreditur, inanes sed pudendos omninno fumos facit. Eos ad oculum demonstro.

I. Fumus Seldii.

Costerus 1. p. concion. effatum Christi: nisi abundaverit justitia vestra plus quam scribarum & Pharisaeorum, &c. Matth. 5. 20. vocat horribilem sententiam. Benè est, quid tum postea? *Atqui nisi suam & suorum justitiam hoc telo feriri sentiret, utique non haberet cur horrore concuteretur.* Non? O simplex caput! An non licet Christiano pectori horrere de malo alieno? Dic sodes, cum illam feralem Christi sententiam: Ite maledicti in ignem aeternum: Matth. 25. cum animo expuncas tuo, an non contremiscis & terrore quodam sacro concuteris? An tu sine metu de perpetuis orci cruciatibus cogitas? An non exclamas ô sententiam pavendam! ô paenas atroces! Ideone verò ad te vel sententiam illam vel inferni flammas attinere putas? Ego ut verum dicam, nugationem magis nugacem & argumentũ magis puerile in vita audisse aut legisse vix memini. Mens Costeri tam est perspicua & syncera, ut non capiam, qua ratione tam stupidus esse queat mortalium aliquis, ut hic haereat. Horribilis est, inquit, haec & pertimescenda Salvatoris sententia. Nam si scribae & Pharisaei, qui largam stipem conferebant in egenos, qui jejunio corpus castigabant, qui decimas abunde & ultro pendebant, qui praelongis precibus multùm vacabant, tamen non intrabunt in regnum coelorum, quo devenient ii Christiani qui furantur, spoliant, latrocinantur, helluantur, blasphemant, jurant? Quaeso quid in hoc discursu Pharisaicum aut Pharisaismum olens?

II. Fumus Seldii.

Justitia Papistica est merè externa. O fumeum fumum! Proba. Audite Lutherani Doctoralem vestri Praedicantis stuporem & ineptiam. *Bellarminus*, inquit, *lib. 5. de gratia & lib. arbitr. c. §. 7. Praecepta non occidat,*

cides, non furaberis, &c. nihil aliud imperant, nisi voluntariam omissionem externi operis homicidii & furti. Ita, ita planè. *Addit Bellarm. Non pravaricatur pracepta : Non occides non furaberis, sed illa observat secundùm substantiam operis, qui abstinet manum à furto & à cade. Etiamsi fortè pravaricetur praceptum : non concupisces, &c.* Ita, ita est. Perge. Quid infers? *Ergo justitia quam Bellarminus docet est externa tantum?* O consequentiam verveeino cerebro dignam! An non addit talem hominem verè peccare, & verè obligari ad continendum etiam ab actibus internis pravis, idque per legem. Non concupisces? Ergo agnoscit justitiam etjam internam quæ internos animi in vetita ruentis motus coercet.

Atqui hic fuit error Pharisaorum. Quis? Ut dicerent præceptis: Non occides, furaberis, mæchaberis : tantùm actum externum prohiberi? Falsum est. *Maldonatus fatetur, comment. in Math 5. 19.* Falsum est fateri. Errabant Pharisæi in hoc quod solum actum externum homicidii, furti, & adulterii, peccatum esse crederent, internam verò voluntatem omni culpa vacare putarent. Hoc equidem non diffitetur omnino Maldonatus, quanquam posterius istuc non planè affirmet, sed cum particula diminuente, *fortè*. At errorem Pharisaicum in eo constitisse, quod interna cogitata prava, quinto, sexto, & septimo decalogi præcepto vetita esse non putarent, sed nono & decimo, uti sentit Bellarminus, id Maldonatus ne per somnium quidem cogitavit.

III. Fumus Seldii.

Mera est hypocrisis quando Papista gloriantur se omnia pracepta servare posse. Si glorientur, estò quidem. At tu criminaris eos gloriari. Dicunt se omnia posse sed in eo qui eos confortat, id est spiritu sancto. *Hoc tamen est hypocrisis.* Quare? *Quia nullum observant praceptum Papista.* Ohe Prædicans! Quid cogitas? Nullum nullus Papista præceptum Dei servat? Omnes ergo tibi Papistæ fures, latrones, adulteri? O linguam petulcam & effrænem! O calamum stultè temerarium!

Urgeo adversarium. Urge, sed ratione non calumnia. *Hic sine dubio sibi persuadet sese esse ex numero justificatorum & in gratia constitutorum.* Persuadet sed absq; certitudine fidei, cum certitudine morali, non absq; tamen timore & tremore. Perge urgere: *Atqui neutram tabulam observat.* Proba. *Non primam.* Proba. *Eius objectum est solus Deus eiusq; cultus divinus.* Benè. *Atqui Papista Angelos & sanctos colit.* Cultu divino? Calumniaris. *Verbum divinum ex verbo explicatum non audit, sed pervertit.* Rectè explicatum? Cavillaris. *Non secundam.* Proba. *Marcellium contra octavum praceptum Lutheranicam doctrinam erroris*

falsò

falsò insimulat. Nego insimulare falsò. *Luthero affingit, eum promittere salutem soli fidei quantiscunq; associata peccatis*. Non affingit, sed verum Luthero crimen impingit. *Atqui Lutherani teste Bellarmino non ita docent*. Esto quid tum? Qualis homo es Seldi? An ideo Marcellius Luthero falsum imponit, quia vos Lutherani aliter sentitis? Aliud est Lutherus, aliud Lutherani. Quid hic pueriliter tricaris?

Ad calumniarum seriem pertinet, quod Marcellius scribit Lutherum Evangelium Matthæi minus probare quàm Joannis. Eccur pertinet? *Quia tantum posthabet secundùm quid, quo ad doctrinam de bonis operibus*. Non libet hic de eo modò contendere. Esto ergo quod dicis. Si quo ad doctrinam eam, quæ inter principes fidei nostræ est una, posthabet ergo non est calumnia, si Marcellius dicat posthabere.

IV. Fumus Seldii.

Justitia Marcelliana non est purè ad gloriam Dei relata. Quid jam hic Seldi? Quid addis istud purè? Atqui illud ante cum Pharisaismum recenseres, non expressisti. Attamen transeat justitiam aliquam Catholicam, hominis alicuis particularis non referri purè ad gloriam Dei. Quid tum postea? Ergo est Pharisaica? Nego consequentiam. Pharisæi justitiam suam non referebant ad Dei honorem & cultum, sed suo ipsorum nomini & honori purè & putè velificabantur. Id non excusat Marcellius. Sed dicit, cum eleemosynæ largitione ex puro Dei amore suscepta, posse eodē tempore conjungi aliud desiderium vanitatis & inanis gloriæ leve & veniale, quod licet advertatur, & animam aliquo nævo aspergat, eleemosynæ tamen præstantiam & valorem non minuat. Quid hic contra obtendis?

Ergo justitia talis non est ad gloriam Dei. Nego. *Non est saltem purè ad gloriam Dei*. Nego. *Est desiderium ibi pravum*. Ita. Sed hoc non est justitia. Sed tota illius hominis justitia, in quantum saltem huc spectat, est actus ille eleemosynæ. Atqui ille est purè ad gloriam Dei relatus ex hypothesi. Ergo justitia illius hominis est purè ad gloriam Dei. Ergo tu Seldi nodum in scirpo quæsisti, & plus quàm Pharisaica vanitate festucam in oculo fratris tui scrutatus es, cum tute ipse decumanam in oculo tuo hæretici erroris trabem circumferas.

FINIS.

aut poculum ori admovere, neque ad hoc habet libertatem. Quod si hæc consequentia Arcadica, & ad molendinum ableganda est, etiam prior tua est. Denique non legisti in eod. Concil. Arausf. can. ult. Ubi iidem Patres apertè pro nobis contra te pronunciant hoc modo: *Hoc etjam secundùm fidem Catholicam credimus, quo acceptâ per baptismum gratiâ, omnes baptizati, Christo auxiliante & cooperante, quæ ad salutem pertinent, possint.* audin' Prædicans POSSINT? *& debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere.* Necdum te pudet Seldi? Pergunt illi, post pauca. *Hoc etiam salubriter profitemur & credimus, quod in omni opere bono nos non incipimus, & postea per Dei misericordiam adjuvamur: Sed ipse nobis, nullis præcedentibus bonis meritis, & fidem & amorem sui prius inspirat, ut & baptismi sacramenta fideliter requiramus, & post baptismum cum ipsius adjutorio, ea quæ sibi sunt placita, implere possimus.* Audin' iterum quod implere possimus? Si hic te deprehensum non sentis; sensu non uteris.

III. Fumus Seldii.

Dissentiunt in hac doctrina à Marcellio & Papistis Patres. Nego. *Kemnitius & Gerhardus probarunt.* Utitu, ineptè, & fucos obtrudendo. *Saltem Sixtus Senensis fatetur Augustinum ita contra Pelagianos docuisse, ut Papistica doctrina parum faveat.* Fumum hunc tuum superius disputi. *Bellarminus disertiùs lib. 4. de grat. & lib. arbitr. c. 30. dicit Augustinum propter insidias Pelagianorum vix unquam audet liberum arbitrium asserere.* Ego in Bellarmino caput illud & verba non reperio. Ast lib. 6. de grat. & lib. arbitr. cap. 11. reperio ex omnibus decem tomis Augustini probari hanc veritatem, de qua hic litigamus, nimirum nos in operibus etiam piis supernaturalibus, libertate nostra uti.

IV. Fumus Seldii.

Dissentiunt ab Marcellio multi Papistæ. Multi? Cedo unum. *Theologi Principum Catholicorum in Comitiis Augustinis, & Joannes à Daventria, & Hofmeisterus non invenere quod reprehenderent in doctrina nostra.* Quâ vestrâ? quæ dicit quod tu modo hic blatis, per peccatũ sublatam esse liberatem quo ad opera spiritalia & supernaturalia? Vehementer erras. Non est hoc dogma quod Principes & Theologi nostri Augustani calculo comprobarunt suo. Confessionis articulus 17. de l. arbitr. planè concedit arbitrii libertatem, tum in rebus naturalibus, tum in supernaturalibus ad salutem æternam facientibus. Nam dicit humanam voluntatem habere libertatem ad deligendas res rationi subjectas. At non habere vim

sine

ſine Spiritu ſancto efficiendæ juſtitiæ ſpiritalis. Dicit effici in nobis juſtitiam ſpiritalem cum adjuvamur à ſpiritu S. Dicit in ſpiritalibus motibus, vero timore, conſtantiâ, fide, &c. opus eſſe regi nos & juvari à ſpiritu S. Damnat Pelagianos, & omnes eos, qui docent, quod ſine ſpiritu S. ſolis naturæ viribus poſſimus Deum ſuper omnia diligere, legem Dei facere quo ad ſubſtantiam actus. Hæc omnia meritò illi ut fidei Catholicæ conſentanea accepere. Tu verò quid? Dicis voluntati noſtræ in ordine ad illos actus ſupernaturales ſublatam eſſe libertatem. Ubi hoc articulus confeſſionis Auguſtanæ profitetur? Cum eo quod arbitrium ſine gratia & ſpiritu S. nihil in eiuſcemodi actibus poſſit præſtare, optimè conſiſtit plena libertas. Uti planè, cum eo quod in operationibus naturalibus non poſſumus vel minimum aliquid moliri abſq; Deo eiusque concurſu connaturali, conſiſtit eadem voluntatis noſtræ libertas, in ordine ad res illas naturales. Quod cum intelligerent optimi illi viri, neque vellent fraudem ſub verbis fucatis latentem ſuſpicari (credebant equidem cum Germanis ſeſe & fidis pectoribus rem habere) articulum illum ultro admiſêre. Quanquam eſſent, qui inſidiantem ſub herba anguem ſubveriti, ſuſpenſo magis gradu inceſſerint, neque ex omni parte articulum illum ſuo voluerint ſuffragio comprobare.

CAPUT IV.

De tertii Phariſaiſmi imaginarii pſeudoparalleliſmo, circa impletionem legis.

§. I.

An Phariſæi errorem habuerint circa impletionem legis divinæ?

I. Affirmat Seldius, at more ſuo non rationes ſed fumos adducit.

II. Prima ratio primus fumus eſt. *Chriſtus reprehendit juſtitiam Phariſæorum, & dicit non ſatis fuiſſe ad ſalutem conſequendam: Niſi abundaverit juſtitia veſtra. Math 5. Ergo illi errabant in hoc quod putarent ſe poſſe ſufficienter ad ſalutem legem implere.*

At difflo fumum, & diſtinguo Antecedens. Chriſtus reprehendit juſtitiam, quam docebant. nego. quam vitâ hypocriticâ fallaciter exercebant. concedo. Ergo. nego conſequentiam. Item tranſeat Anteced. quod reprehenderit Servator doctrinam quàm de juſtitia & legis divinæ impletione tenebant, nego tamen conſequentiam. An non enim innumeri alii errores circa impletionem legis & juſtitiam accidere potuerunt?

An non satis est ad reprehensionem, quod Pharisæi putarint legi divinæ fieri satis, si ab externis pravis actibus, puta homicidio, furto, adulterio, manus temperarent, internas verò harum rerum appetitiones, quantumcunq; deliberatè admissas, saluti nihil officere? Et Servator quidem hoc ipsum loco cit. apertè commemorat. Iterum, esto, Pharisæi senserint posse se legem implere, atq; ita quidem ut sufficeret ad salutem, non conficitur per errorem ita sensisse. Quid si dixerint se posse cum auxilio gratiæ divinæ? Certè hoc dicendo minimè errassent. Unde verò tu probes non ita sensisse?

Quia Christus reprehendit eorum justitiam & doctrinam. Omnem omnino? nego. Aliquam, concedo. Sed tu proba, illam aliquam constitisse in hoc, quod tu fingis, dogmate, nimirum se sine gratiæ adjumenmento posse legem divinam ex omni parte ad implere.

III. Alter fumus Seldii. *Quidam è Pharisaica schola discipulus, Matth. 19. Marc. 10. ita sensit.* Quid sensit? Se sine gratia Dei posse legem implere? Unde tibi istuc constat? *Quia Christo respondit, se omnia mandata servasse à juventute sua.* Præclara scilicet illatio! Dixit se servasse omnia mandata. Ergo sensit se posse omnia servare sine gratia Dei. Atque si dicat quis: Seldius fatetur se tota Topica Anti-Marcelliana scripsisse. Ergo sentit se sine calamo posse scribere. Item, Seldius fatetur se filium genuisse. Ergo sentit se sine uxore filium gignere posse. Item, Seldius fatetur se Römhildæ ad populum ex suggestu verba sæpe fecisse. Ergo sentit se sine auxilio Dei verba facere posse. Nunc ex te quæro Seldi: an non hæ ineptæ consequentiæ? An non tamen tuæ simillimæ? Iterum quæro ex te, an Lucas Evangelista & spiritus ipse sanctus fuerit Pharisæo errore tinctus? Non inquis? At uterque Luc. 1. fatetur Zachariam & Elisabetham *ambos fuisse justos ante Deum, incedentes in omnibus mandatis & justificationibus Domini sine querela.* Ergo fatentur illos legem implesse. Ergo senserunt potuisse ab illis impleri & totam servari. Ergo vel illi etiam Pharisæorum nævo inquinati erant, vel certè non sequitur, eum qui sentit totam legem posse ab homine impleri, esse Pharisæum. Iterum quæro, an non S. Paulus fatetur 2. Tim. 4. 7. *bonum certamen se certasse, cursum consummasse, fidem servasse, in quo reliquo repositam sibi eâ causâ esse coronam justitiæ à justo judice Deo reddendam?* Ergo fatetur à se legem impletam. Quomodo enim fidem servavit, cursum consummavit, bonum certamen certavit, si legi divinæ refractarius extitit? Ergo sensit à se posse fidem servari, cursum consummari, bonum certamen certari, le-

gem

gemq; Dei impleri. Ergo vel etiam S. Paulus fuit Pharisaismo lapsus, vel sentire posse à se legem impleri, non est Pharisaismus.

§. 2.

Doctrina Catholica circa impletionem legis divinæ exponitur.

I. Propositio. *Lex divina secundùm aliquam partem, & pro brevi tempore, potest etiam solis naturæ viribus impleri.* Prob. Aliqua pars legis est, non furandum, non occidendum, non mæchandum. Atqui potest homo, pro brevi aliquo tempore, quo vel occasio vel tentatio nulla urget talium flagitiorum, ab illis continere, & quidem naturaliter & facilè, ut usus quotidianus manifestè docet. Ergo.

II. Propos. *Tota Dei lex & pro longo tempore non potest solis naturæ & arbitrii creati viribus impleri.* Prior pars evidens est. Quia lex præcipit actus fidei, spei, charitatis, contritionis, &c. supernaturales. Atqui hi elici absque gratia non possunt. Ergo lex ex ea parte sine gratia impleri non potest. Posterior pars patet. Quia graves & frequentes tentationes superare homo infirmus non potest, nisi gratiæ ope fultus. Atqui pro longo tempore accidunt sæpe tentationes ad malum graves. Ergo.

III. Propos. *Tota lex pro toto tempore, etiam perfectè impleri potest ab homine, auxilio gratiæ supernaturalis.*

Nam 1, aliqui impleruns, teste scriptura, Luc. 1. At non suis viribus. Ergo per gratiam. 2. Non implicat contradictionem totam ab homine gratiâ adjuto legem impleri. Ergo potest impleri. 3. Deus severè sub interminatione æterni apud inferos supplicii mandat impleri. Ergo cum gratia à nobis impleri potest. Quomodo enim Deus optimus & sapientissimus præcipere seriò nobis potest, quod novit nequidem cum eius gratioso auxilio præstari unquam posse? Non tamen bestiæ sumus Catholici, ut Deum ita agere aut velle aut posse nobis persuadeamus. Apage Deum tyrannum! 4. Omnia potuit Paulus in eo qui eum confortabat Philipp 4. Ergo & legem totam servare. Quomodo enim potuit omnia, si istuc quidem non potuit?

§. 3.

Fumi Seldiani repelluntur.

Quicquid sit ergo de Pharisæis an putarint solis naturæ viribus totam impleri vel non, clarum est nos erroris accusari absque calumnia non

 posse,

posse, cum uno ore omnes profiteamur, solis naturæ creatæ viribus non posse, cum gratiæ autem divinæ auxilio posse legem totam impleri. Contra quam doctrinam, quæ hic Seldius puerili ter nugatur talia sunt, quæ uno nebulæ fumive cyatho nemo sanus emat. Recensenda tamen sunt.

I. Fumus Seldii.

Lex spiritualis est, ego autem carnalis sum, Rom. 7. 14. Ergo non potest lex ab homine impleri.

Ab homine carnali, sed spiritali gratiæ auxilio instructo? O pepone insulsius caput! *Inter ea non potest esse subordinatio, inter quæ est oppositio. Atqui inter legem spiritalem & carnalem est oppositio. Ergo.* Unde hoc tam argutè argutum argumentum? Ex capitene an cucurbita? Nego Majorem. An non inter principem & subditum, Dominum & servum, patrem & filium, Magistrum & discipulum est formalissima oppositio? Tamen hæc subordinantur invicem. Imò subordinatio importat formalissimam oppositionem, & neque esse neque cogitari potest sine oppositione. Quid ergo tu nugaris? Ergo sanè tam ingeniosus non sum, ut videre possim, qua demùm ratione ex hoc: *Lex spiritalis est, homo carnalis*: deduci hæc queat illatio: *Ergo homo non potest legem implere.* Ignoscat ergo Seldius stupori meo, & non vertat vitio, si pari modo colligam Seldium, nullam etiam legem civilem quantumvis utilem justamvè, ab legitimo Magistratu latam, servare & implere posse. Sic enim arguo. Lex ab Illustrissimo & celsissimo Principe, Duce Vinariæ posita, qualiscunque & de quacunque re sit, est lex. Seldius non est lex. Ergo Seldius non potest legem implere. Lex est res moralis, Seldius est res physica. Ergo Seldius non potest legem implere. Lex est permanens & perpetua, Seldius est temporaneus. Ergo Seldius non potest legem implere. Lex est accidens, Seldius est substantia. Ergo Seldius non potest legem implere. Ad hæc quid faciet Seldius, si quis ita arguat: Lex, non furaberis, non mæchaberis, est spiritalis, Seldius autem carnalis. Ergo Seldius non potuit illam implere. Ergo non potuit non furari & mæchari. Ergo Seldius est fur & mæchus? Vides quod ad furcam & gladium carnificis tua te adducat philosophia?

II. Fumus Seldii.

Refutari potest hic error suffragio aliorum Papistarum. Cedò suffragia. *Attulit ea D. Gerhardus.* More vestro, aut non intellexit, aut depravavit.

III. Fu-

III. Fumus Seldii.

κατ' ἄνθρωπον sic argui Marcellius potest. Audiamus κατ' ἄνθρωπον. *Si non aliter præcepta servantur & servari possunt, quàm servata sint ab adolescente illo Matth. 19. 20. sequitur quod à nemine servari possint. Atqui prius est: Ergo est posterius.* Nego Majorem. κατ' ἄνθρωπον. Tu proba. Sed κατ' ἄνθρωπον.

Maiorem probo ex Patribus qui dicunt adolescentem illum esse mentitum. At probare debes κατ' ἄνθρωπον, nimirum Marcellium, non autem κατὰ πατέρας. An non ergo ab instituto pueriliter deficis? Nonne vides Marcellium in suo argumento cum S. Basilio, Chrys. Euthymio & aliis supposuisse adolescentem vera locutum? Ergo si ad hominem arguere volueras, juxta eam hypothesin arguere debueras, & non ex contraria quorundam Patrum opinione, à quibus Marcellius dissentit, in Marcellium disputare.

Quid vero S. Thomam Aquinatem tantopere urges? Ille ne consentit adolescentem illum mentitum, cum dixit præcepta se omnia à juventute servasse? Ostendis sanè te summam Doctoris aut non legisse omnino, aut saltem non intellexisse. Vin' ostendam te injuriâ illum pro mendacio adolescentis laudasse? Audi loquentem loco quidem à te cit. *Impossibile est enim implere mandatum quod dicit: Diliges proximum tuum sicut te ipsum: & esse divitem & maximè tantas possessiones habere.* Jam animum adverte Prædicans & aures. *Quod intelligendum de perfecta impletione huius præcepti. Imperfectè autem & communi modo verum est eum* (adolescentem) *observasse præcepta.* Qualis autem illa perfectio sit, subdit. *Perfectio enim principaliter in observantia præceptorum charitatis consistit, ut supra habitum est; ut ergo Dominus ostenderet perfectionem consiliorum utilem esse & innocentibus & peccatoribus, non solum vocavit adolescentem innocentem, sed etiam Matthæum peccatorem.* Jam intelligis quomodo ex mente S. Thomæ adolescens sit mentitus, cum dixit se præcepta observasse? Nimirum, quod præcepta non servaverit usque ad perfectionem (indebitam) consiliorum. Quomodo enim innocens fuit, si & mandata uti tenebatur non servavit, & Christo roganti impudenter in faciem mentitus fuit?

CAPUT III.

De quarti Pharisaismi fictitii pseudoparallelismo, circa justitiam legalem.

§. 1.

Iustitia Pharisæorum.

FVit, inquit Seldius, 1. *merè externa.* 2, *hypocritica.* 3. *Vana & ad gloriam Dei minimè relata.* Benè est. Non contendo Perge parallelum addere.

§. 2.

An justitia Catholicorum sit Pharisaica?

Affirmat Seldius. At cum probationem aggreditur, inanes sed pudendos omninno fumos facit. Eos ad oculum demonstro.

I. Fumus Seldii.

Costerus 1. p. concion. effatum Christi: nisi abundaverit justitia vestra plus quam scribarum & Pharisæorum, &c. Matth. 5. 20. vocat horribilem sententiam. Benè est, quid tum postea? *Atqui nisi suam & suorum justitiam hoc telo feriri sentiret, utique non haberet cur horrore concuteretur.* Non? O simplex caput! An non licet Christiano pectori horrere de malo alieno? Dic sodes, cum illam feralem Christi sententiam: Ite maledicti in ignem æternum: Matth. 25. cum animo expuctas tuo, an non contremiscis & terrore quodam sacro concuteris? An tu sine metu de perpetuis orci cruciatibus cogitas? An non exclamas ô sententiam pavendam! ô pænas atroces! Ideone verò ad te vel sententiam illam vel inferni flammas attinere putas? Ego ut verum dicam, nugationem magis nugacem & argumentũ magis puerile in vita audisse aut legisse vix memini. Mens Costeri tam est perspicua & syncera, ut non capiam, qua ratione tam stupidus esse queat mortalium aliquis, ut hic hæreat. Horribilis est, inquit. hæc & pertimescenda Salvatoris sententia. Nam si scribæ & Pharisæi, qui largam stipem conferebant in egenos, qui jejunio corpus castigabant, qui decimas abunde & ultro pendebant, qui prælongis precibus multùm vacabant, tamen non intrabunt in regnum cœlorum, quo devenient ii Christiani qui furantur, spoliant, latrocinantur, helluantur, blasphemant, jurant? Quæso quid in hoc discursu Pharisaicum aut Pharisaismum olens?

II. Fumus Seldii.

Iustitia Papistica est merè externa. O fumeum fumum! Proba. Audite Lutherani Doctoralem vestri Prædicantis stuporem & ineptiam. *Bellarminus*, inquit, *lib. 5. de gratia & lib. arbitr. c. §. 7. Præcepta non occidat,*

cides, non furaberis, &c. nihil aliud imperant, nisi voluntariam omissionem externi operis homicidii & furti. Ita, ita planè. *Addit Bellarm. Non prævaricatur præcepta : Non occides non furaberis, sed illa observat secundùm substantiam operis qui abstinet manum à furto & à cæde. Etiamsi fortè prævaricetur præceptum : non concupisces, &c.* Ita, ita est. Perge. Quid infers? *Ergo justitia quam Bellarminus docet est externa tantum?* O consequentiam verveeino cerebro dignam! An non addit talem hominem verè peccare, & verè obligari ad continendum etiam ab actibus internis pravis, idque per legem. Non concupisces? Ergo agnoscit justitiam etjam internam quæ internos animi in vetita ruentis motus coercet.

Atqui hic fuit error Pharisæorum. Quis? Ut dicerent præceptis : Non occides, furaberis, mæchaberis : tantùm actum externum prohiberi? Falsum est. *Maldonatus fatetur, comment. in Matth 5. 19.* Falsum est fateri. Errabant Pharisæi in hoc quod solum actum externum homicidii, furti, & adulterii, peccatum esse crederent, internam verò voluntatem omni culpa vacare putarent. Hoc equidem non diffitetur omnino Maldonatus, quanquam posterius istuc non planè affirmet, sed cum particula diminuente, *fortè*. At errorem Pharisaicum in eo constitisse, quod interna cogitata prava, quinto, sexto, & septimo decalogi præcepto vetita esse non putarent, sed nono & decimo, uti sentit Bellarminus, id Maldonatus ne per somnium quidem cogitavit.

III. Fumus Seldii.

Mera est hypocrisis quando Papistæ glorientur se omnia præcepta servare posse. Si glorientur, esto quidem. At tu criminaris eos gloriari. Dicunt se omnia posse sed in eo qui eos confortat, id est spiritu sancto. *Hoc tamen est hypocrisis.* Quare? *Quia nullum observant præceptum Papistæ.* Ohe Prædicans! Quid cogitas? Nullum nullus Papista præceptum Dei servat? Omnes ergo tibi Papistæ fures, latrones, adulteri? O linguam petulcam & effrænem! O calamum stultè temerarium!

Urgeo adversarium. Urge, sed ratione non calumnia. *Hic sine dubio sibi persuadet sese esse ex numero justificatorum & in gratia constitutorum.* Persuadet sed absq; certitudine fidei, cum certitudine morali, non absq; tamen timore & tremore. Perge urgere. *Atqui neutram tabulam observat.* Proba. *Non primam.* Proba. *Eius objectum est solus Deus eiusq; cultus divinus.* Benè. *Atqui Papista Angelos & sanctos colit.* Cultu divino? Calumniaris. *Verbum divinum ex verbo explicatum non audit, sed pervertit.* Rectè explicatum? Cavillaris. *Non secundam.* Proba. *Marcellium contra octavum præceptum Lutheranicam doctrinam erroris*

falsò